Ad Uso di F. Giovannant.o da Lucca Lett.re Cap.no applicato alla Libraria de Cappuccini di Lucca

a

PHILOSOPHIA
PERIPATETICA

Tomis Quatuor comprehensa,

AUTHORE

JO: BAPTISTA
DE BENEDICTIS
E SOCIETATE JESU.

TOMUS SECUNDUS,

Qui est PHYSICÆ Pars Prima.

VENETIIS, MDCCXXIII.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

Della Libreria de Cappuccini di Lucca

INDEX
TITULORUM
TOMI SECUNDI.

PHY-

PHYSICÆ PERIPATETICÆ

PARS PRIMA

DE CORPORE NATURALI *IN COMMUNI.*

PROOEMIUM.

H*Ic ille est campus, in quo se se ita jactat, & ampullatur recens Philosophia, ut laudem inventis suis veteri præripuisse dictitet; quàm enim multa rerum naturis minimè consentanea priscos Philosophos, Aristotelem præsertim pronunciasse, quæ deinceps à posterioribus bona fide accepta, & dignitatum loco habita, à recentibus Physicis ingenium naturæ, non naturam ingenio accommodantibus falsa, adulterina, mendaciique manifestissima comperiantur? Hinc illa Thomæ Cornelii gratulatio*, quod nostra demum tempestate descitum sit à tyrannide (*Peripateticam doctrinam intelligit*) cui jam pridem scholæ mancipatæ servierant. *cui accinens Cardo-*

sus opus physicum ambitioso Philosophiæ Liberæ vocabulo inscripsit. Præclarè quidem, nisi mutassent verius jugum, quam excussissent; ut qui Aristotelem antea Dominum passi fuerant, longè illum quidem ultrà aleam ingenii positum, doctrinæque amplitudine, ac firmitate sapientissimo cuique per tot secula probatum, Democritum sibi, Anaxagoram, Epicurum imponerent, homines dubium an bene de re physica, pessimè sane de morali meritos; erutisque ruderibus vetustatis, semesum inde sibi magistrum, ducemque veritatis effoderent. Equidem ut fatear multum Neotericis hisce debere Philosophiam, quod pluribus experimentis antiquitati ignotis abditam naturæ cognitionem amplificarint; iis tamen omnibus Peripateticæ disciplinæ fundamenta aut diruta, aut labefactata, aut vel leviter concussa hactenus fuisse, id verò pernego; quamvis non eam inficias, pauca aliqua, quæ ad rei summam momentum non habent, & in quibus Aristoteles hominis potius, quam ingenii vitio aberrare à veritatis semita potuit, falsà demum potuisse deprehendi. Ne quis verò hæc putet ad arbitrium asseverari, instituti hoc demum nostri erit in hoc opere demonstrare: in quo non ea modo, quæ intestinis dissidiis, metaphysica plurimum, & acuminis ingeniique plena Peripatetici disputant, verùm etiam quæcumque

ex-

experientia muniti exteri objectant, solerter examinare, & ad liquidum pro mea imbecillitate perducere in animum induxi. Quod antequam præsto, ordinem prius integrum, quo Aristoteles in physicis progressus est, in medium afferre non pœnitendum operæ pretium duxi; tum, qua potissimum ratione partiendam mihi constituo Physicæ totius tractationem, exponam.

Principiò duo librorum genera ab Aristotele accepimus, ut Græci Interpretes tradunt; quorum alii facili stylo expositi sunt, & ita ad vulgi usum accommodati, ut possint sine magistri opera disci: atque hi exoterici nuncupati, quasi extranei, aut extraneis conscripti. alii altius habent, ac difficilius dicendi genus, longeque à vulgi intelligentia, captuque remotum, utpote quibus gravior, ac subtilior Philosophiæ disciplina tradita sit: atqui hi acroamatici dicti, quasi auscultatione, magisterioque indigentes. Primi octo Physices libri acroamatici sunt, qui propterea de Physico auditus inscribuntur; eumque titulum sibi speciatim vendicant, quod totius scientiæ de natura, doctrinæque Peripateticæ fundamenta ponunt. Libri de Historia Animalium sunt exoterici. Alii pro materiæ dignitate, & involuto, aut secus scriptionis charactere acroamaticis, aut exotericis annumerandi.

Porrò

Porrò librorum methodus, qua corporis naturalis contemplationem omnem exequutus Aristoteles est, sic habet. Incipit, ut fas est, ab universalioribus; communemque corporis naturam primis octo libris explicat, in quibus principia, & causas, primamque & præcipuam naturalium rerum proprietatem, motum scilicet, ac quæcumque ad motum pertinent, examinat. Descendit deinde ad corporis naturalis subjectas partes, quas inter principem locum cælo tribuit; vel quia corpus est simplex: simplicia autem naturæ, doctrinæque ordine priora sunt compositis; vel quia motus localis, unica, aut præcipua juxta ipsum cæli incorruptibilis proprietas, aliis motibus manifestior, atque adeo prior est. tum pergit ad elementa, reliqua scilicet simplicia corpora: quorum proinde omnium 4. libris, qui de cælo, & mundo inscribuntur, naturam comprehendit.

Ex his gradum facit ad mixta. sed quia communis est elementis, & mixtis transmutatio, transitus scilicet à generatione unius ad corruptionem alterius, ac vice versa; duobus libris De Ortu rerum, & Interitu corruptibilis corporis rationem omnem indagat, ubi non solum de generatione, & corruptione, verum etiam de iis motibus, qui præeunt, aut comitantur generationem, quales sunt alteratio, augmentatio, ac mixtio,

tio, imò & de ipsis rursum differit elementis, in quantum alterationis, mixtionisque principia sunt.

Procedit hinc ad mixta, atque incipit ab imperfectis, quorum naturam scrutatur per 4. meteorologicorum libros. tum transit ad perfecta, animata scilicet, ac viventia, quorum vim, ac proprietates generatim investigat in 3. lib. de Anima. Ad singula deinde viventium genera progreditur, & primo ad vegetativa in duplici libro de plantis: 2. ad sensitiva in libris, qui extant, 4. de partibus, 5. de generatione, 10. de historia Animalium. Postremo, quia multæ erant animalium affectiones, quas in reliquis tacitus præterierat, has in peculiaria\ opuscula digessit, quæ parva naturalia nuncupantur, ubi de sensu, & sensibili, de memoria, & reminiscentia, de somno, & vigilia, de somniis, de divinatione per somnium, de longitudine, & brevitate vitæ, de respiratione, juventute, senectute, vita, & morte accuratissimè disputat: atque his integram scientiæ naturalis tractationem absolvit.

Equidem, Physicam universam in duas partes ita divido. Prima sit de corpore naturali in communi, & quatuor libros continet, quorum primus principia corporis naturalis, alter naturam, & causas, tertius præcipuam ipsius proprietatem, motum præsertim localem,

quar-

quartus reliquos motus examinat. ſecunda ſit de corpore naturali in particulari in quatuor item libros diſpertita, quorum primus de mundo, & cælo, alter de elementis, tertius de mixtis inanimatis, quartus de animatis. Supereſt jam, ut propriæ conſcius tenuitatis à rerum naturalium Opifice, Præſideque Providentia eam mibi precibus mentem expoſcam, qua ejus opera pervidere, naturæque veluti ſacraria non defectu- ris ad magna animis penitus intrare contingat.

LIBER PRIMUS
PHYSICORUM
De intrinſecis corporis naturalis Principiis.
QUÆSTIO PRIMA.
Num recte Peripatetica naturalis corporis principia adverſus Atomiſtas ſtatuantur.

PRÆSENS controverſia, quæ ab Ariſtotele profligata, & jam cum priſcis ante ipſum Philoſophis ſepulta videbatur, noſtro demum hoc ſeculo excitata ardere cæpit, & in utrumque acerrimis partium ſtudiis agitari; ex quo Teleſius, & Galileus in Italia, Gaſſenduš, & Carteſius in Gallia, Baconus, & Digbeus in Britannia ingenti auſu, ſucceſſu, quam Paracellus, qui jam pridem idipſum infeliciter tentaverat, meliore, illatis in Ariſtotelem ſignis, magnis animis, viribuſque Peripateticam doctrinam aggreſſi, depoſitam antiquorum, ac pene conclamatam ſententiã revocare, & publico ſuadere conati sũt. ex his tamen alii nudis veterum.

terum vestigiis institere, ut Gassendus, qui ve- Epicuri Philosophiam solis ad eam diem Lucretii carminibus contentam, lectamque dumtaxat in linguæ, ac poeseos honorem, ab atheismi sordibus purgatam Physicis commentariis illustravit. alii novitatis amantiores novam de integro sciendi methodum, novam Philosophiam, imò & novam rerum naturam cudere de suo præoptarunt, ut Renatus de Cartes, acutissimi sine dubio ingenii vir, futurusque ingens æque Physicus, ut egregius Mathematicus, nisi omnia docere, nihil discere voluisset, magnamque potius famam, quam bonam adamasset. Et quia semper ad nova concursus fit, non pauci deinceps consecuti eiusdem notæ Doctores atomisticam hæresim usque eo amplificarunt, ut non desint, qui dictitent, futurum aliquando, futurum brevi, ut reponat Aristoteli Democritus acceptam olim ab eo cladem, scholarum scilicet solitudinem, desuetudinemque doctrinæ. Sed non est tamen nobis in tantum irata veritas, non erit unquam posteris, ut videntes, volentesque pro Epicureis atomis, aut Cartesianis elementis nomen Peripateticum exuamus. Interim ut est Aristotelicorum natio non facilis expugnatu, ubi ingenio decertetur, ne reliqua hinc esset spes ulla victoriæ, à speculatione ad experientiam, à mente ad manum provocarunt: & plusculis in lucem prolatis experimentorum manipulis, ipsam se naturam inter inutiles Scholasticorum concertationes jactatam, ac pene naufragam tenuisse demum, ac veluti portu quodam securam excepisse gratulantur. Verum hęc omnia utrum ita procedant, ut narrant, periculum in hac prima quæstione faciemus: in qua quidem latius aliquanto versabimur, quam soleant vulgò Nostri, propterea, quod maximi ea momenti ad reliqua sit, cum totius naturæ fundamenta scrutetur, quæ si constant, tutus erit in reliquis labor, universaque iis superstructa Aristotelis doctrina constabit.

CAPUT I.

Principii Physici notio declaratur.

PRincipium universim 5.met.t.co.1. dicitur *primum id, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur*: quæ quidem notio omnia ea complectitur, quibus nomen principii tribuitur. duo igiur principium habet, alterum ut sit primum, quæ est ratio negativa excludens aliud ante se in eadem linea principiandi. alterum, ut sit id, unde aliud, quæ est ratio respectiva importans habitudinem prioritatis ad alia, quæ ipsum consequantur. Sed ista prioritas latissimè accipienda non solum ut sonat constitutionem, & causalitatem, verùm ut ad locum etiam, ac tempus extenditur; in qua tamen postrema acceptione castigatior locutio non principium, sed initium usurpat; ex quo Conc. Tolet. concedens Patrem divinum Filii principium esse, negat esse initium, quod tempore non antecedat.

Deinde ad tria pertinet principiatio, ad esse rei, ad fieri, ad cognosci. primo modo in sententia Aristotelis materia, & forma corpus naturale principiant; 2. modo, etiam privatio; 3. præmissæ conclusionem. Hinc apparet, quid intersit inter principium, causam, & elementum. Latius enim patet principium, quam causa & causa, quam elementum. nam punctum est lineæ principium, non causa: privatio est principium, non causa mutationis. elementum verò est id, ex quo tanquam primo inexistente componitur aliquid, ut literæ b, & a, sunt elementa syllabæ ba. at non omnis causa est sui effectus pars constitutiva, nec proinde elementum.

Principia rei naturalis, quæ hic quæruntur, ab ista universalitate descendunt, & 1.phys.t.co. 42. dicuntur, *quæ neque ex aliis, neque ex alteru-*

parte subjectiva, ex qua constituitur. Rursus omnia, quæ ex his fiunt, sunt omnia entia naturalia, quæ verè, & simpliciter fiunt: fiunt autem propriè non abstracta, sed concreta, & supposita, non forma, sed totum, non anima, sed animal. Postremò omnia entia naturalia hic supponuntur distributivè quidem, sed secundum distributionem accommodam; est enim sensus, quod omnia constent ex principiis ita, ut tota compositorum collectio fiat ex tota collectione principiorum, sed hoc deinde compositum ex his principiis, aliud ex aliis: qua ratione dicitur bonum esse, quod omnia appetunt, unumquodque scilicet suum.

Ex his omnibus demum apparet principia physica rei in facto esse confundi omninò cum elementis. hinc apud Philosophum ignis, aer, aqua, terra, non elementa simpliciter, sed cum addito, vulgata scilicet elementa appellantur. cæterum propriè dicta elementa non sunt in schola Peripatetica, nisi materia, & forma, ut 5. met. t. co. 4. ex aperta Aristotelis doctrina Averrces notat.

CAPUT II.

In quacumque sententia tria debere assignari naturæ principia in fieri, materiam, formam, privationem, duo in facto esse materiam, & formam, demonstratur.

Odium in Aristotelem usque adeo adversarios plerosque transversos agit, ut quæcumque ab eo dicta sunt, cavillari non desinant; jure, an injuria, nihil morentur. Est recentior Philosophus Cardosus, qui trifaucia hæc principia appellat, parumque abfuit, quin Cerberum naturæ diceret: nugatores nos vocat, quod magis Aristotelis authoritatem, quam rationes perpendimus: nostram demum Phylosophiam monstrosam nuncupat, excussuramque jure Democrito

crito risum, Heraclito fletum, si viverent. hac ille libertate, qua opus suum inscripsit, seu licentia verius in immeritos debacchatur. Equidem censeo, quæcumque tandem sententia supponatur, demonstratum ab Aristotele fuisse, ad tria redigi debere rerum naturalium principia in fieri, ad duo in facto esse; atque adeò bonum hominem in Hebraicis magis mysteriis, quam in Philosophicis versatum cardinem dissensionis inter Peripateticos ex una parte, & Democriticos, aut Cartesianos ex altera, quæ in hoc certe puncto nulla esse debet, neutiquam tenuisse.

Igitur Aristoteles 1. phys. à t. co. 42. hoc discursu primùm ostendit tria esse principia, quæ fieri substantiæ naturalis constituunt. Ex rerum naturalium principiis aliqua sint oportet contraria; atque hæc duo sunt, quibus tertium substerni necesse est. termini enim mutationis necessariò sibi invicem contrariantur, quia ex uno fit transitus ad alterum, adeòque unus alterum pellit, quod est proprium contrariorum. Deindè principia rem naturalem componunt, proindeque non omnia contraria esse possunt, quæ scilicet apta non sunt constituere, sed interimere. Præterea omnis contrarietas exercetur relatè ad tertium, quod sit utriusque subiectum, & neutri contrarietur, ut constat inducendo per omnia contraria. Superest igitur, ut 3. sint rerum naturalium principia in fieri, duo contraria, positivum alterum, quod dicitur Forma, negativum, quod appellatur Privatio, substratum utriusque, quod Materia nuncupatur.

Vis huius probationis evidens erit, si solùm simplices quædam, & ab omnibus receptæ notiones supponantur. Prima est mutari rem dicimus, cum aliter se habet ac se habebat anteà. quare mutationem ad modum transitus concipimus, quo res præsupposita vel accipit, quod non habebat, quæ est mutatio acquisitiva; vel amittit, quod habebat, quæ est mutatio deperditiva. re-

qui-

quiritur ergo ad mutationem, ut res aliquid habeat, & non habeat, non quidem simul, sed successivè. aut enim habet aliquid de novo, & jam id ipsum antea non habuit: aut de novo aliquid non habet, & jam id ipsum prius habuit.

Secunda est. Materiam dicimus rem illam, quæ transit, & progreditur ad aliquid acquirendum, vel amittendum; ea enim toti mutationi substernitur, quod est proprium materiæ.

Tertia est. Formam dicimus, quæ de novo acquiritur, estque positivus mutationis terminus; cum enim nomen formæ sonet actum, seù actuativum subiecti, id quod acquiritur, subiecto advenit, illudque perficit, ac determinat ad certam entis, aut denominationis speciem.

Quarta est. Privationem dicimus carentiam formæ in subiecto apto nato habere formam. sic carentiam lucis in aere privationem appellamus; aer enim, dum lucem non habet, adhuc est natus habere lucem.

Ex his demonstratur propositum. Principia mutationis naturalis in qualibet sententia sunt tria enumerata. sed principia rei naturalis in fieri non sunt, nisi principia mutationis naturalis. ergò principia rei naturalis in fieri sunt tria enumerata. minor pertinet ad statum quæstionis, quam propterea si quis neget, simul fatebitur in alio, quàm intenderant, sensu peripateticos impugnasse. maior ostenditur. Principia mutationis ea sunt, quæ conceptum primum mutationis ingrediuntur, & sine quibus mutatio necesse potest, nec intelligi. atqui mutatio, ut ex eius notione constat, importat rem, quæ transit, terminosque contrarios, ex quorum altero ad alterum transit: res autem, quæ transit, materia, terminus positivus forma, negativus privatio nuncupatur. ergo ista tria constituunt, & principiant mutationem; quod erat demonstrandum.

Id ipsum ut planius fiat, exemplifico prius in arte-

Mercurii non habuerit, & fuerit aptum ejusdem susceptivum: quòd vero columna fuerit, aut telamon, omninò contingit, nec quidquam mutationi confert, quæ perinde haberetur, si lignum nullius figuræ prius extitisset. Similiter si supponantur atomi, quales in Chao, nondum Deo, vel casu ordinante dispositas, Hesiodus fabulatur, cùm primùm in certas series describerentur, ut res istas naturales conflarent, mutatio haberetur rigorosa, quam non aliud, nisi mera dispositionis privatio præiret.

Jam vero per se quisque nullo negotio deducet ex dictis, principia rei naturalis in facto esse ac permanentia cum re, quæ fit, non esse nisi duo, materiam, & formam; privatio enim est terminus rejectus, quęque ut componat primum rei fieri, rem certe ipsam non componit, neque ejus conceptum ingreditur; quis enim explicando hominem, aut brutum, aut aliud quodvis naturale corpus, ad privationem, & non esse confugiat? Et hoc voluit Aristoteles 1. phys. t. 66. dum privationem vocat principium per accidens; quia licet pertineat ad fieri rei per se, fieri tamen per accidens est ad esse rei, vel quod potuerit res esse sine mutatione, & transitu; vel quod possit intelligi res esse, non intellecto, quod fiat.

Audiendi nunc demum adversarii sunt, si quid habent adversus posita. Opponunt igitur 1. Quod constat ex partibus invicem pugnantibus, est chimæricum compositum. at res in fieri componitur ex privatione, & forma, ergò res in fieri est chimæra. Confirmatur. privatio & forma non sunt simul, nec una sine altera mutationem constituit. dum ergò est privatio, non est forma, nec proinde mutatio, quæ utramque involuit; & dum est forma, non est privatio, atque eadem ex ratione nec mutatio: quare nunquam est mutatio, & fieri, cujus adeo frustrà principia inquiruntur.

Secundo. Generatio, & fieri nec esse potest, nec intelligi sine efficiente, & fine; quodcumque enim fit, ab alio fit, & propter aliquid fit. ergo conceptum generationis, & fieri non tria solùm enumerata, sed efficiens quoque, ac finis ingreditur.

Tertio. Tam materia est privata forma, quam forma materia. ergo non solum privatio formæ in materia, verùm etiam privatio materiæ in forma erit principium rei naturalis in fieri. neque valet, si respondeas, formam non præsupponi ad mutationem; etenim primò in resurrectione anima rationalis supponitur ad hominem redivivum. Secundò eadem anima supponitur in nutritione, & aggeneratione novarum partium.

Mitto alia faciliora, quæ obiicit præsertim Cardosus, ut quod de ente per accidens non sit scientia, quæ est Philosophi mens 6. met. ab ipso operose citatus. quod si, inquit, accidens (non distinguit homo metaphysices non satis gnarus inter accidens, de quo est sine dubio scientia, & ens per accidens, quod sub scientiam non cadit) à nulla scientia consideratur, multo minus privatio.

Resp. ad primum, chimæram constare ex contradictoriis simul verificatis non successive, ut est in casu: neque instes, omne compositum involuere partes suas simul existentes; id enim verum est de composito physico, qualis est homo, non de logica denominatione, qualis est denominatio mutati importans unum de præsenti, formam scilicet acquisitam, alterum de præterito, privationem nim. deperditam

Ad conf. dico, mutationem haberi dum est forma, & non est, sed fuit immdiate ante privatio & dum arguitur: habetur nunc sola forma, & non privatio: ergò non habetur mutatio, quæ utramque importat; dico, argui à positione definitionis ad destructionem definiti; antec. enim

enim est definitio mutationis, de cujus ratione est, ut subiectum habeat formam, qua immediate prius carebat;

Ad 2. generatio sumi potest, ut est mutatio; atque ita nec efficientem, nec finalem causam involuit in suo conceptu formali, sed subjectum dumtaxat, ac terminos. potest deinde sumi, ut est actio; atque ita definitur per causas, à qua est, & propter quam est. sed neque ita istas causas intrinsecè involuit, sed extrinsecè solum eas connotat, ut omnis relatio terminum non ex quo est, sed sine quo non est, nec cognoscitur:at non sic mutatio principia requirit; cum enim sit transitus, formaliter illa tria includit, ex quibus est.

Ad 3. responsio ibi data recte procedit.prima eius improbatio non valet; resurrectio enim non est naturalis mutatio hic definita, nec secunda; nam per accidens est præsuppositio formæ in homine, ut videre est in reliquis viventibus habentibus animam materialē, ac divisibilem, in quibus simul cum addita nova parte materiæ nova item acquiritur pars animæ. Præterea in utroque casu duplex mutatio, & transitus considerari potest: alter, quo materia ex non animata fit animata: alter, quo anima ex non animante fit animans aut materiam, aut novam materiæ partem :& in hoc secundo transitu anima induit rationem subjecti.

CAPUT III.

Declaratur status quæstionis præcipua, & authorum circa eam placita enarrantur.

EX hactenus ostensis perspicuum est, quæstionem præsentem non eò spectare, ut videamus, an tria sint rerum naturalium, mutationisque principia, materia scilicet, forma, &

privatio; hæc enim communia esse debere cuicumque sententiæ, satis ex dictis liquet; & si qua in hoc dissensio, de voce erit. imo vero communia sunt omnibus nomina generationis, & alterationis cum notionibus subjectis ab Aristotele traditis omnes enim generationem admittunt, quæ sit mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut tum ex ligno fit ignis, & universim quoties corpus ità mutatur, ut aliud ens simpliciter à præcedenti ad sensum existat. Omnes etiam alterationem agnoscunt, quæ sit mutatio in passionibus contrariis, aut mediis, manente eodem subjecto sensibili, ut cum aqua manens substantialiter eadem, ex calida fit frigida; aut è converso.

Dissidium est, quid rei materia sit, quid forma, an scilicet materia pars quædam physici compositi, substantialis quidem, sed substantialiter incompleta, ita ut quomodocumque partes ipsius minimæ per mutuam habitudinem disponantur, non sint natæ se solis substantiam ullam naturalem componere, sed complementum expectent à forma, quæ sit substantia quædam, & ipsa partialis absoluta, de novo secundum esse simpliciter per physici agentis efficacitatem producta, materiamque sua actualitate determinans, ut cum ipsa lignum potius, quàm ignem, plantam, quam animal constituat: quæ est omnium Peripateticorum sententia. An verò materia sit corpus substantialiter omninò completum, ac perfectum, quodque ut varias induat rerum physicarum species, ac naturas, non indiget, nisi nova, diversaque suarum partium minimarum, individuarumque dispositione, ordine, ac situ. in quibus unis tota absolvatur naturalium corporum forma: quæ est opinio Atomistarum.

Atque hinc opposita generationis, & alterationis apud nostros, exterosque secundum rem acceptio. nostri enim generationem contendunt

non

non esse præcisam mutationem secundum ordinem, structuramque partium materiæ, ut contingit in artefactis, sed esse actionem physicè productivam totius per hoc, quòd partem eiusdem formalem, novamque substantiam absolutam, facientem ad esse compositi, de novo producat. Uno verbo: generationem nostri positionem solum novam esse opinantur. Similiter alterationem Peripatetici volunt esse qualitatis, quam à substantia non ratione solum, sed re distinguunt, rigorosam productionem, Atomistæ solam extraneorum corpusculorum introductionem, quæ corporis statum, formationemque potissimam non immutet, ut cum in lignum, igneæ atomi complures migrant, partium ligni constructione non dissoluta.

Statu quæstionis ita declarato, enumerandæ sunt Authorum Aristotelicis adversantium sententiæ, eæ præsertim, quæ id temporis vigent: quid enim senserit Parmenides, & Melissus de uno rerum, eodemque immobili principio sive finito, sive infinito, quid Thales, quid Heraclitus, aliique quorum figmenta retulit, ac rejecit in 1. physic. lib. Aristoteles, nihil equidem in præsenti moror, facilè enim per se ruunt nec dum ex tam multis novatoribus discipulum meruere, qui depositas ipsorum partes sublevaret, præterquam Thales in eo, quod aquam statuit unicum, & universale rerum principium, ab Elmontio, alisque paucis defensus: quos tamen ex iis, quæ dicentur adversus alios facilè quisque per se poterit refutare. Mitto pariter scutari, quid Plato, quid Pytagoras sub allegoricis scilicet involucris occultum voluere, dum prior magnum parvum, & ideam, alter numeros parem, & imparem naturæ principia statuerunt.

In quatuor igitur clases Atomistarum (hoc nomine Doctores omnes non Peripateticos vul-

go jam comprehendimus) sententias distribuo, quas oporteat sigillatim excutere, ac refutare. Primam implent Democritici omnia ex atomis componentes secundum figuram dumtaxat, situmque & ordinem diversis. huc revoco Anaxagoram, qui substantialem præterea differentiam in atomis agnovit. In altera sunt Carthesiani specialem in hac ipsa atomorum dispositione, ac figura modum servantes, atomosque materiæ, sive, ut ipsi malunt, particulas quà rotundas, quà striatas, quà varias, prout vacui implendi necessitas postulat, asserentes, ut licet reverà Democriticorum appendix, novam tamen sectam excitasse de integro, & videantur vulgo, & ipsi magnificè glorientur. Tertiam classem Chymistæ instruunt ex tribus omnia principiis, atque elementis, sale, sulphure, & mercurio constituentes. In quarta classe quosdam repono, qui cum Democrito, & Atomistis revera sentientes de corporum naturalium ex puris atomis aliter, & aliter combinatis compositione, materiam tamen, formam, & privationem cum Aristotele loquuntur, putantque hanc fuisse germanam Philosophi mentem, & oppositam, quam Peripatetici omnes tuentur, ex Arabum intrepretum fæce, colluvieque fluxisse. Singulas istorum hypotheses fusius non expono; præstat enim eas in capita conjicere, ac sigillatim explicatis suas cuique impugnationes apponere.

CAPUT IV.

Veterum Atomistarum sententia à recentioribus emendata exponitur, & reiicitur.

Veteres Atomistæ hi præcipuè numerantur, Anaxagoras, Leucippus, Democritus, Epicurus, Anaxagoras atomos, particu-

las nim. materiæ individuas, physicè, an mathematicè, non constat, infinitas, diversæque substantiæ, ac naturæ statuebat, & unicuique naturali composito reliquorum atomos ingerebat, quasi panspermiam, seu generale seminarium. cum enim ex quolibet fieri possit quodlibet, & nihil ex nihilo, necesse est, ut quodlibet, in quolibet lateat. quare non erit aliud generatio carnis ex alimento, v.g. quam eductio carnearum atomorum in alimento latentium, ita ut istæ præ aliis sensibilem apparentiam induant; quamquam & aliæ maneant, non tamen sentiantur.

Reliqui plenum, & inane constituebant rerum principia. plenum in atomos item infinitas dividebant non natura, & essentia, sed figura tantum distinctas, ut aliæ sphæricæ, aliæ quadratæ, aliæ pyramidales essent, ex quarum dispositione varia aliæ, atque aliæ existerent rerum formæ. inter eas vacua quædam spatiola dissemi nabant: verebantur enim, ne, si plena forent omnia, motus fieri neutiquam posset, quia cum hic fiat per corporis ingressum, ubi antea non erat, si locus omnis plenus esset, non fieret sine penetratione latio.

Hactenus utcumque tolerabiliter philosophati, illud intolerabile, & impium addebant, atomos in Chaos indigestum primò commixtas & continenter agitatas, nullius providentiæ consilio, nutuque, casu dumtaxat obstetricante, in hanc universitatis pulcherrimam dispositionem demum incidisse. in quo quidem placito contrarium habuere Anaxagoram commendatum propterea ab Aristotele 1. met. t. co. 21. comparatumque ad illos, ut sobrium ad ebrios. Contrarios à fortiori habent recentes Atomistas, qui sane, & probi viri sunt, & Philosophi ingeniosi. casus autem Democriti, & Fidei divinæ, & naturali Philosophiæ manifestè adversatur.

In præsenti mittam facio quæstionem de vacuo disseminato, quod ea ad præsens institutum non pertinet, & commodius versabitur in tertio libro, ubi universim de vacuo. Jam utistius sententiæ improbationem aggrediar, in duas eam partes secerno. in prima homogeneas Democriti: in altera heterogeneas Anaxagoræ atomos examino,

§. I.

Atomi substantialiter similares à rerum principiatione excluduntur.

SIt prima hujus sententiæ improbatio, pro qua unum suppono, quod fortasse nec adversarii negabunt, omnia Deum ad purum putumque arbitrium non administrare; sed esse in ipsa natura effectuum naturalium causas, quas providentia sequitur, & Philosophia indagat. quare satis ineptus is censeretur, qui eorum. quæ accipunt in natura, non aliam causam præter Dei voluntatem assignaret, qua una scilicet lepido sane compendio, tota Philosophia absolveretur. Ratio hujus ea videtur esse, quod artifex sapientissimus, qualis est procul dubio Deus, operis sui perfectioni consuluit, quantum potuit. certe id omnes de ipso præsumimus; adeoque connaturalius est, ut perfectum universum constituerit. atqui perfecta natura non esset, nisi motuum suorum rationem, ac principium in se haberet: imo nec esset natura, quæ per motus principium definitur.

Conf. ex conatu, quo omnes naturaliter movemur ad intrinsecam causam effectuum naturalium investigandam: qui conatus frustra esset, si nulla esset in natura intrinseca eorum causa, sed omnia unicè penderent ab extrinseca Dei voluntate: quare frustra ad atomos tali-

taliter figuratas confugerent Democritici, ad sua elementa Cartesiani, ad sua principia Chymistæ; cum satis esset dicere, omnem motum immediatè à Deo effici ad præsentiam corporum quòd ita, & non aliter, stantibus his, decreverit operari. Atque hinc ulterius fieret, nihil esse naturale, nihil violentum, nihil supra, nihil præter naturam; quià nullus scilicet motus, nullus sensibilis effectus à particulari natura, tanquam à proxima causa ex intrinsecis suis taliter exigente penderet. Constat igitur veritas propositionis suppositæ, effectuum videlicet naturalium esse causam in natura, cujus oppositum conatus Philosophiæ irritos redderet, inverteretque notiones omnes à naturæ ipsius authore omnibus planè hominibus insitas.

Hanc hypothesim ad propositum ità deduco, Nisi esset specifica; & substantialis diversitas in partibus componentibus naturale corpus, effectuum naturalium nulla esset ratio in natura. cons. ex suppositis, & probatis est falsum. ergò, & antecedens, cons. majoris ostenditur; quià sic tota ratio naturalium effectuum esset figura, situs, & ordo partium primarum componentium. Vel ergo istæc sunt natura ipsarum partium, vel à natura partium, vel neutrum. Si afferatur hoc tertium, sequitur positum absurdum, quod effectuum naturæ non sit ratio in natura; cum enim hæc omnia naturæ acciderent ab agente extrinseco ad merum arbitrium disponente, nihil intrinsecum esset ultima ratio naturalium effectuum: atque adeò effectus non naturales, sed casuales essent, & arbitrarii, spectata saltem corporum essentia, & exigentia. Si dicatur secundum, adimittitur substantialis diversitas; si enim A exigit figuram rotundam, ac reiicit quadratam, necesse est, ut specie, ac natura distinguatur à B exigente quadratam, ac reiiciente rotundam, ut manifestum est ex notione entitativæ, ac specificæ distinctionis. Primum non po-

test asseri, & si alleratur, adhuc obtinetur propositum. nam figura quælibet separabilis est à corpore per divisionem; atque adeo non potest esse natura ipsius. Deinde hoc dato, conficitur intentum. figura enim, situs, ordo atomorum est diversus, at natura atomorum est figura, situs, ordo earundem, ut supponitur. ergò natura atomorum est diversa.

Confirm. possibilis est entitativa diversitas corporum; tùm quia nulla ratio oppositæ impossibilitatis apparet. tum quia Deus ex infinita sua perfectione habet, ut sit diversimodè à creatura participabilis, nec solum à spirituali, verùm etiam à corporea substantia. quare ut possibilis est in Angelis latitudo entitativa, ita & in materiali natura. At verò dari etiam de facto istiusmodi diversitatem, probari potest primò, quià si Deus diversas substantialiter naturas condidisset, ut potuisse dictum est, non alia diversitatis hujusmodi haberemus argumenta, quam quæ habemus de facto. & quamvis hæc ratio communis etiam contrariæ sententiæ videatur; inficiari tamen nemo poterit probabilitatis pondus majus esse pro nostra, quæ sanè perfectius statuit universum, authorisque sui magis manifestativum.

Deindè quemadmodum diversæ naturæ, si essent, suas quæque proprietates exigerent; ità & proprietates diversæ suas quæque naturas petunt, adeòque sine iis naturaliter esse non possunt. Sit enim possibilis substantia ignis ab aquæ substantia entitative distincta, & hujus ignis sit proprietas summus calor; hujus aquæ summa humiditas: quemadmodum ejus ignis existentia summum calorem arguit, & existentia ejus aquæ summam humiditatem, ita ex calore summo infertur ignis ab aqua diversus, & ex summa humiditate infertur aqua diversa ab igne.

Id ipsum ulterius apparet ex discrimine inter

natu-

naturalia, & artefacta, quod priora scilicèt perfecta sunt, posteriora imperfecta, idque habent ab opificis varia conditione, natura quidem cum sit ars Dei, infinitè potentem habet opificem, quique valeat non modò motum, sed & internam propensionem ad motum, ejusque principium imprimere. at vero creatus artifex satis limitatæ virtutis principium operandi supponit in sua materia, non facit. quare applicando ea ipsa naturæ principia potest artificiales motus inducere, sed modo quodam imperfecto; quià speciale principium non inserit, sed ab alio jam insitum adhibet, nec sine aliqua violentia. hinc ut ars creata differentiam solum accidentalem in suis operibus faciat; ars certe increata diversitatem faciet substantialem in suis.

Postremò experientia ipsa videtur id confirmare. quædam enim naturæ suam aliquam proprietatem semper ab intrinseco reparant, redeuntque quantum possunt, ad idem: exemplum habes in figuris, ex quibus certam sibi exposcunt non solum animata, verum etiam pleraque inanimata. at vero quod semper contingit, naturale est. naturale autem est à natura, igitur natura unius non est in alio; aliter idem in omnibus contingeret.

Sit secunda ejusdem sententiæ improbatio, pro qua alteram hypothesim præmitto, dari scilicèt in corporibus continuitatem, neque vero ea constare ex atomis dissolutis, ac sola contiguitate coniunctis, quod quidem in corporibus solidis videtur patere ad sensum; quis enim ferrum dicat habere partes disjunctas, resolutasque veluti farinam in pulvisculum; de fluidis hoc idem probabitur, ubi de aquæ elemento; adversus Recentiorum, præsertim Roberti Boyle conatus in ista partium disolutione continenter motarum fluiditatem statuentis. Et puto equidem dissolutionem ejusmodi nec expe-

rientia, nec ratione convinci; quin etiam esse contrà institutum naturæ unionem inter similia, quoad fieri potest, affectantis. neque vero oportet continuitatem explicare per atomos uncinatas, sese que mutuo complectentes, aut filamentorum in morem contortas, nodisque suis in se invicem complicatas. tùm quià hæc videtur crassiuscula imaginatio eorum, qui opera naturæ non nisi ab artis opificio metiri sciunt; & oppositum scilicèt autumant intelligi, hoc est ad phantasiæ captum facile accommodari non posse, quasi idem sit apud ipsos intellectus, & imaginatio. tum quià expeditissima est via, si dicatur, quemadmodum partes, quibus atomi constant (& constant sane, ut contra Zenonem alibi demonstrabitur, infinitis) invicem copulantur unione continuativa, ita & eadem unione atomos ipsas conjungi, & unum hoc aliquid fieri.

His præmissis, sic arguo. Si atomi sola essent figura, ac situatione distinctæ, nulla esset corporum naturalium ne ad sensum quidem diversitas. consequens ipsis etiam adversariis displicebit. ergò admitti ab iis antecedens non potest. sequela majoris ostenditur. non potest haberi diversitas, cessante causa formali diversitatis. atqui diversitas tota est à figura atomorum diversimode sitarum. ergò fieri non potest, ut diversitas sine figura maneat: major patet ex terminis. minor est adversariorum doctrina. consequentia est in forma. Pergo. sed figura atomorum in corpore non manet; actualis enim terminus corporis est figura: atomi eo ipso, quod sunt continuatæ ex hypothesi jam probata, terminum actu non habent. ergò non habent figuram. Verissimum igitur est, quod in corporibus sint atomi, partes nimirum minimæ, ad quas dividendo naturale agens ultimò tandem deveniet: sed falsum, quod istæ sint figuratæ nisi solùm in potentia, & quidem plerumque indif-

indifferente ad quamcumque figuram pro modo divisionis accipiendam. Rursus, ut admittam aliquas esse atomos dissolutas ex corporum attritione resilientes, non tamen illæ corpus aliquod naturale componunt; argumentum verò atomos dumtaxat loquitur actu corpora constituentes, ac distinguentes. Alia nonnulla de hoc ipso dabimus, ubi quatuor vulgata elementa non secundum solas figuras invicem discriminari cum Philosopho demonstrabimus.

§. II.

Nec possunt rerum principia mera atomi esse substantialiter quamvis heterogenea.

OPinio atomos statuens dissimiles in natura minus improbabilis est præcedente. Potest tamen dupliciter procedere, primò ut cujusque rei speciales sint atomi constitutivæ, totidemque proinde atomorum naturæ, quot corporum; atque ita videtur sensisse Anaxagoras. Secundò ut certæ sint differentiæ atomorum, ex quibus deindè variè combinatis reliqua existant. atque has differentias quatuor vulgatis elementis contineri ex antiquioribus censuit Empedocles, cui Neoterici plures subscribunt. Addunt alii quintum speciale, quod animata constituit, & vivificat.

Anaxagoræ sententiam pluribus Aristoteles impetit; pleraque tamen concludunt ad hominem. Quæ absolutè rem conficiunt sunt fermè ista. 1. Omnes supponunt, inter quos Anaxagoras, de rebus naturalibus posse haberi scientiam, quæ tamen nulla esset in hac sententia. cum enim res sciri non possit, nisi cognitis ejus principiis: hæc vero, si infinita sunt, cognosci non possint; consequens est, ut rei naturalis juxtà Anaxagoram ex infinitis principiis constitutæ nequeat esse scientia, Conf. non possumus

aliquid scire, nisi aliquando incipiamus discere. at si quodlibet compositum est ex compositis, & nullum sit simplex, unde sumatur cognoscendi initium, numquam contingit disciplinas inchoare, ergò numquam contingit aliquid scire.

Secundò. Datur minimum magnitudinis in corporibus, ultra quod non possunt ea conservari. est enim ultimum, ad quod agens naturale dividendo perveniat: at si ultrà illud posset res perseverare, posset & ultrà illud dividi.

Sumo igitur minimum naturale carnis, ex. g. & inquiro, utrum in illo sint omnia necne rerum semina, & atomi; si ais; ergò istæ sunt in eo secundum molem minima minora: quod ex terminis pugnat. si negas; jam si minima istæc carnis simplicia conjungantur, caro existet; quid enim carnea corpuscula simùl coadunata, nisi carnem efficiant? habebitur igitur caro citrà extraneas atomos constituta; atque adeo rei cujuslibet principia non sunt atomi rerum omnium seminales; aliter posset res esse sine principiis.

Deinde qui volunt omnia ex 4. vulgatis elementis constare, hoc censent, in mixtis omnibus nihil esse præter elementorum particulas varia dispositione, unde tota sit mixtorum distinctio, combinatas. Quæ quidem sententia multipliciter excluditur. 1. In corporibus mixtis multæ sunt proprietates, quæ ad sola elementa refracta non possunt commodè reduci. est ergò in iis aliud planè principium, aliaque natura. antecedens prob. ex mirabilibus magnetis effectibus; attrahit enim ille ad se ferrum, aliumque magnetem: duos habet polos, & altero ad Austrum, altero ad Boream vergit: duo magnetes per similes polo se se invicem aversantur, & pellunt: per dissimiles se se quærunt, & attrahunt, &c. hujusmodi omnia à pura elementorum congerie provenire non possunt; quià in nullo ex vulgatis elementis simile quidpiam deprehenditur; & si in aliquo id haberetur, ut

de

de terra plerique contendunt, omnia mixta, in quibus est illius elementi prædominium, pari virtute pollerent: quod falsum est. Habetur ergò in magnete vis quædam, & natura ab omnibus simul elementis distincta. neque moror in præsenti, utrum magnetica attractio fiat per atomorum effluvia, an per Peripateticam qualitatem; unum illud contendo, sive substantia, sive accidens sit, quod emittitur, principium aut impulsivum; aut productivum sola elementa non esse. Idem dicendum de reliquis mixtis, in quibus multæ sunt qualitates, quæ occultæ appellantur, nec possunt probabiliter dici manare ex elementis.

Secundo. Mixta inter se substantialiter, & entitativè differunt, ergò non sunt mera elementorum congeries. antecedens constat; non minus enim distare videtur mixtum à mixto, quàm elementum ab elemento. eadem igitur ratione, qua hæc sententia substantialiter distinguit naturas elementares, debet mixtorum naturas pariter distinguere. consequentia prob. etenim rectè Commentator 3. cæl. com. 72. *Regula est, quod à causis, quarum natura est eadem, & non differunt, nisi secundùm magis, & minus, non sequitur, nisi una natura diversa secundum magis, & minus*. & hoc est, quod communiter dicimus, magis, & minus speciem non variare. subjectum enim magis calidum specie non differt à minus calido secundum calidi rationem. mixta autem juxta sententiam, quam impugno, non differunt, nisi quia unum habet plus de igne, aliud plus de terra, &c. non ergo specie differunt: aut si differunt specie, quintam habent præter elementa naturam. Conf. differentia substantialis non est secundùm accidens. atqui varia dispositio elementarium corpusculorum accidens est. ergò non possunt per eam mixta substantialiter variari: min. prob. neque enim plus habet de substantia dispositio ista

ele-

elementorum in mixto, quàm lapidum in domo: hanc verò quis substantiam appellet, nisi qui vocis hujus potestatem ignoret?

Tertio. non potest non esse violenta, ac minimè durabilis corporum habentium oppositas inclinationes colligatio, nisi alia superior iis apponatur natura, cui serviant, quæque ipsa in officio virtute sua contineat: ut videtur ex terminis suaderi. unumquodque enim agit juxta suam naturam; quantum potest. quare & ignis sursum evolabit, terra deorsum concidet, atque ita reliqua, nisi speciali mixti natura cohibeantur. Exemplum habes in artefactis minimum propter hoc durabilibus, atque etiam in iis, quæ mixta dicimus imperfecta, in quibus quia integra servantur elementa, nec ad specialem naturam fit transitus, facillima est dissolutio. at vero mixta quædam, ut metalla, difficillimam habent resolutionem: quę difficultas in formas contrariis agētibus passivè quidem, sed fortissimè resistentes reiici juxta Peripateticos potest: verùm si aliud in iis præter elementa non sit, qui potest intelligi? præsertim cum ad divisionem unà cum extraneo agente partium intrinsecarum natura conspiret.

Quartò efficacius multò id ipsum convincitur in viventibus cùm vegetativis, tū sensitivis, quorum utrorumque vitam dari hic sumo ex probandis cum communi non modo Philosophorum, sed & hominum sensu in libris de Anima. Jam vero vitam corporum non posse in pura elementorum congerie haberi sic primum generaliter prob. Vita ex suo conceptu est maxima perfectio: imò est ex iis, quas simpliciter simplices appellant, quasq; in Deo proindè ponunt in proprio, formalique conceptu. ergò non potest in elemētis per se non vivētibus quomodolibet aggregatis consistere. perindè enim ex non viventibus vivens cōstituere ut si substantiā ex non substantiis; & ex non entibus ens componas; quæ omnia ex eodem capi-

te

te repugnant, quod perfectio totius debeat in partibus reperiri. Et quidem si aggregatio posset elementis vitam tribuere, posset nihilominus cognitionem, & discursum. quod nemo sanus admittat.

Deindè in viventibus operationes videmus, quæ naturales sine dubio sunt, non casuales; semper enim, & eodem modo procedunt, sunt ergo à natura, & non elementorum, quid enim sufficiant ad hoc elementa, ut planta semen elaboret, in quo totam suam magnitudinem contrahat, novæq; plantæ generationem adumbret? Capio equidem, quo pacto elementa materiam huic formationi suppeditent, atque etiam in suis qualitatibus instrumenta: at vero principium tanti naturæ artefacti satis certè ipsa non præstant, quod mihi ità evidens est, ut est evidens intuenti serram, dolabram, scalprum, aliaque fabrilia instrumenta, ea per se sola quomodolibet disposita non sufficere ad artefactum, sed indigere altiori artificis impulsu, ac directione, nec naturale est ad Deum confugere, qui quidem secundis agentibus cooperatur, sed non solus naturalia operatur, est ergo in semine virtus elementis altior à vivente generante impressa: in quo proindè sola elementorum mixtio esse non potest. Roboratur id magis, ea enim mixtio in aliis quoque inanimis reperitur: nec tamen vestigium ullum similium operationum in iis deprehenditur, ut deberet deprehendi, si nihil admodum vita supra elementa consurgeret, ubi enim eædem causæ, eædem, sint oportet effecta variata ad summum secundum magis, & minus non secundum substantiam, prout causæ plus minusve insunt.

Demum si animal, & planta nil est præter elementa, posset Angelus ex quolibet mixto, ferro, auro, ligno & sim. plantam, & animal facere transmutando partes. Posset præterea ramum, aut bovem mortuum nativa vi ad vitam

tam revocare, reducendo pristinam atomorum dispositionem, localiter eas dimovendo, & ad veterem situm, ordinemque cogendo, quæ tamen inopinabilia sunt, ut iterum mox dicetur.

Ostensa jam necessitate specialis præter elementa naturæ, superest, ut ostendam non satis eam in novo quodam, ac quinto elemento, seu essentia consistere præsertim in viventibus; sic enim arguo, huiusmodi elementum, in quo resideat substantialiter vita, non aliud potest esse, quam spiritus tum vitales, tum animales, quodcumque enim fingatur aliud, divinatur, atqui in istis vita consistere non potest, primo, quia spiritus cum sint flos sanguinis purior, fluidi sunt, ut ipse sanguis, qui cum habent communem naturam; adeoque non vivunt ex generali fluidi conditione, ut probabitur in lib. de anima ex terminis autem impossibile est, ut vivificet, quod nullatenus vivit.

Secundò, quia spiritus continenter absumuntur, & propterea debent per alimentum reparari, nec possent per novam productionem, necesse igitur est, ut extrahantur ex alimento, in quo supponantur latentes, hoc autem ex eo falsum videtur, quod spiritus sensitivi frustrà compinguntur in alimenta animalium pure vegetabilia, in quibus scilicet sentire non possunt, quò spectat Philosophi argumentatio Pythagoreos redarguentis; quod rationalem animum in brutorum corpora intruderent quasi fabrilem in fistulas.

Tertiò, hinc fieret, ut vita, & anima corporis forma non esset, sed assistens potius corpori, ut currui auriga, quod quidem asserendum omninò ab hac sententia substantialem formam, præter rationalem animam, nullam agnoscente, & meritò, quia completa substantia non est alterius forma, nec cum illa componit, nisi per accidens. Hoc autem in primis est viam aperire, ut eodem quisque pacto de ani-

ma

ma rationali philosophetur: deinde quemadmodum omnes partes hominis sunt animatæ, ita, & omnes partes equi; neque enim ulla est ad sensum inter eos disparitas, spiritus autem non possunt omnes animare corporis partes; imò nullas possunt, nisi per extrinsecam denominationem, & eo modo metaphorico, quo pictor dicitur animare penicillum. Denique hinc sequeretur, ut equus esset unum per accidens, & per aggregationem, quemadmodum compositum ex curru, & auriga: quod pugnat & conceptui hominum, & veritati, ut manifestè constabit ex dicendis in de anima.

Quartò fieret, ut bonus, malusve Angelus animalium, & plantarum non modo ex quacumque vel ineptissima materia generationem, sed & resurrectionem facillimo negotio perficere naturali sua virtute possint, quid enim Angelo facilius, quam ferrum, vel aurum ita conformare nova dumtaxat atomorum combinatione secundum ordinem, ac situm, ut organa viventi cuipiam sufficiant, quibus si spiritus indant aliunde conquisitos, vivens etiam perfectum existet? cum vero mors non sit, nisi atomorum dissolutio, aut spirituum evolatio, quid expeditius, quam àtomos ad situm, & spiritus ad locum pristinum impulsu localiter motivo compellere? Est autem id contra sensum non modo vulgi, sed Ecclesiæ totius hæc inter vera miracula numerantis: quæ proindè opus est, ut omnem naturalis cuiusq; agentis vim excedant, atque à solo Deo patrari possint, cuius est proprium suprà naturam agere.

Quintò, & quidem, nisi falsus animi sum, omninò efficaciter. Nihil materiale, quod bruto conveniat, homini deest, quid enim desit? organa? at ex his pleraque, & præcipua sunt in homine perfectiora, spiritus? at istorum tum perfectione, tum copia longe homo superat bruta. Si ergo per hæc brutum est sensitivum, homo

erit

erit etiam sensitivus per eadem, hæc consequentia ostenditur; quod enim est perfectius in aliqua linea, præstat à fortiori, quod præstat imperfectius in eadem linea, atqui spiritus, & organa totam absolvunt vim sensitivam in brutis, ergo eadem perfectiora vim hominis sensitivam à fortiori constituent. Atq; id fatetur ex adversariis Magnanus cap. 30. Philos. naturæ numer. 9. ubi, *Patet*, inquit, *in homine, etiam abstrahendo ab anima rationali, nihil minus esse, quam sit in reliquis, quod attinet ad vitam animalem*. Ex hoc duplex absurdum deduco, primum distingui in homine realiter rationalem vitam à sensitiva: quod improbabitur in lib. de Anima, ut Fidei, ac Philosophiæ minus consonum, alterum, animam rationalem non esse corporis formam humani adversus sancita in Conciliis Viennensi, & Lateranensi V. ac demonstrata ex Aristotele à Peripateticis, consequentiam ostendo, nisi aliqua sit operatio communis, in cujus principiatione se se invicem compleant corpus, & anima, ita ut ad eam corpus se habeat ut passivum, anima ut activum principium, non potest anima esse corporis forma, atqui nulla esset in hac hypothesi communis operatio; intelligere enim potest anima sine ope corporis: sentire posset corpus sine ope animæ, ergo anima non esset forma corporis. major probatione non indiget, sed explicatione: forma enim, & materia se respiciunt, ut completivum, & complebile in ratione naturæ, seù intrinseci operationum principii, quare hoc nomen materiæ, seù naturæ materialis sonat subiectum, ac principium operandi passivum: nomen formæ, seù formalis naturæ sonat actum, & principium operandi activum, quæ verò utrumque principium in se habent, sunt completæ naturæ, & non seminaturæ, quales sint oportet, quæ ut substantiales compartes mutuo comparantur.

CAPUT V.

Reiiciuntur Cartesiana principia.

REnatum des Cartes est qui laudibus usque eò in cælum tollat, ut Philosophum incomparabilem appellet, quique caput supra omnes superioris memoriæ Philosophos extulisse videatur, propterea quod facili, atque expedita philosophandi ratione rerum naturalium exordia, vires, effectus per analogiam ad artefacta juxta exactas mechanicæ leges definiverit. Equidem Renato inter ingeniosos, eos etiam, qui vulgares ingenii terminos egressi sunt, locum libens concedo ea lege, si Poeta dici mavult, quam Philosophus: quam enim is de rerum genesi commentus de suo historiam est, cum revelationi divinæ tribui non possit, superest, ut in Deum illum, quo agitante incalescere se vates jactitant, in œstrum scilicèt, furoremque poeticum refundatur. Visus ergo mihi est eam laudem affectasse, quam ex Gallis suis aliquam multi fabulis in historiæ modum contextis assequuti sunt. Plausum tamen apud multos meruit ingentem; nec puduit illum Aristoteli præhabere, cui nec debuerat comparari, neque eos ab incepto deterruit, quod lata in Renatum à Sorbonicis censura, edictoque à Parisiensi. Senatu. ut ne quis ejus doctrinam auderet in posterum profiteri, securitatem nea invenerit apud suos: tum proscriptis ab Ecclesia ejus libris, quousque corrigantur, doctrinæ non satis sanæ vel crimine, vel suspicione laborare apud Catholicas gentes coactus sit. Et merito quidem jure; tot enim absurdis ipsius methodus, ac principia tum cognitionis, tum naturæ scatent, ut in unum coacta exponere, non nisi justi voluminis sit.

§. I.

Mens Cartesii aperitur.

AD rem venio, mentemque Cartesii in rerum naturalium principiis assignandis evolvo. Fingit materiam, ex qua corporeus mundus compositus est, cum primum à Deo conderetur, fuisse in tenues particulas æquales, & quadratas divisam. Hanc materiam per se ad motum, quietemque indifferentem, aut propendentem potius ad motum rectum, impulsu ab authore naturæ impresso, duplicem motum circularem accepisse autumat: primum, quo singulæ in gyrum circa proprios axes, & separatim à se mutuo agerentur: alterum, quo plures simul ferrentur circa alia quædam puncta æque à se invicem remota, eodemque pacto disposita, quo sunt jam centra stellarum; ità ut eiusmodi circumvolutiones, ac vortices totidem sint, quot sunt astra fixa, & errantia. Hac dumtaxat materia, motuque supposito, descendit ad singula naturæ phænomena facili, ut putat, expeditaque methodo declaranda.

Prius tamen ostendit materiæ particulas non potuisse ab initio esse rotundas; supponit enim vacuum impossibile, etiam divinitus: globuli autem apti non sunt, ut totum spatium repleant. Stat tamen cum hoc, quod attritis in circulari motu per mutuum incursum angulis, in sphæricam figuram post aliquod intervallum evaserint, ramentis quamplurimis, scobeque minutissima superstite, quæ vacuum à globulis relictum impleret. Ramenta hujusmodi primum elementum appellat: globulos secundum, & quià primi elementi particulæ quædam remansere magis angulosæ; propterea, quod minus fuerunt attritæ, minusque divisæ, & ex hoc minus ad motum aptæ, magnam proinde

suæ

suæ agitationis partem in alia tenuiora ramenta transtulere, hoc tertium elementum dicit ortum ex primo: cujus partes, quod inter globulos secundi elementi in triangulum dispositos sæpe gyrando permeent, tribus striis per modum cochleæ intortis excavatas facit.

Post hæc nonnulla statuit circa motum, & quietem. 1. ea lex est motus circularis, ut quæ ita moventur, à centro sui motus recedere pro viribus conentur; ut constare putat in lapide funda circumacto atque hunc conatum præcipuè inesse retur globulis secundi elementi. Secundò motum à Deo semel acceptum nunquam corpus amittit, nisi illum in aliud corpus veluti sarcinam exoneret, ac deponat: hinc elementarium particularum varia velocitas, prout invicem incurrentes, quæ aptiores ad motum ex figura sunt, aliquid ex motu alterius suffurantur, suoque adiiciunt. Mitto alias motus regulas, quas tradit, ad suum plerasque ingenium, imò arbitrium confictas. 3. quies unicus partium est nexus; hinc fluida distinguit à solidis, quod fluida partes habent continenter motas: & idcircò minimum resistentes corporibus in earum locum succedere conantibus: solida verò partes juxtà se mutuò quiescentes habent; & ex hoc capite impulsui divisionem tentanti obsistentes

Hinc pergit explicare mundi systema, terræ circumvolutionem diurnam, & annuam(quãvis assumpta nescio qua motus inaudita notione, terram in orbem licet actam moveri negat) planetarum, cometarumq; motus, naturam lucis, caloris, gravitatis, aliarumque naturalium proprietatum, quas in corporibus experimur odores, sapores, magneticas, electricasque attractiones, sensationes etiam omnes ad unum tactum redactas, omnia ex sola elementarium particularũ magnitudine, figura, & motu; quæ initio à Deo recepta, pro diversa deinceps incursione partium variata sunt. Quæ singula,

gula, ut se dabit in progressu occasio, referam, ac discutiam.

Ex his demum constat, juxta Renati mentem non alia esse rerum principia, quàm materiam in suis particulis diversimodè figuratam, ac motum. quod quidem eo consilio animadverto, quià Thomas Cornelius Prog. 2. ubi Cartesii sententiam retulit iis laudibus ornatam, quæ stomachum, aut risum moveant; eamque displicere sibi tamen confecit, quod non sufficiens videatur ad animantium motús explicandos, qui ab actione corporis sejuncti quodammodò sint, & ad leges mechanicæ non revocabiles: nec verò prætereà pro dignitate vim efficientem exhibeat; tum demum sententiam suam prolaturus, ad Cartesianam manifestè dilabitur; dividit enim principia in res duas, ut altera sit materia, seu corpus, ex quo omnia constant; altera sit efficiens, motus scil. ipse immediatè, mediatè Deus. à quo & motus & materia est. Jam vero quid speciale animantia constituat, quod ipse in Renato desideravit vel timuit exhibere, vel neglexit.

§. II.

Cartesii sententia improbatur.

Regredior ad Cartesium, & pauca quædam absurda, & adynata, quæ ex ipsius hypothesi, principiisque consequuntur, adiicio. Sed illud prius adverto, miranti mihi, qua ratione potuerit in animum viri docti, & ingeniosi induci, ut fabulas pro demonstrationibus venditaret, occurrisse ejusdem methodum, ubi multis contendit plura posse ab idea demonstrari. quid nomine ideæ intelligat, non satis explicat. plerumque tamen videtur cognitionem accipere, quam quidem utpote ab authore naturæ Deo manantem falsam esse non posse asseverat, & oppositum qui retur, Creatori, quasi de-

si deceptionem nostram amet, injuriam irrogare. hinc concludit; quæ à nobis clarè, & distinctè percipiuntur, non posse esse ita, ut percipiuntur; & ex hoc conficit Dei existentiam animæ immortalitatem, corpus in extensione consistens, vacuum impossibile, mundum infinitum, sivè, ut ait, indefinitum, aliaque complura.

Mihi vero videtur Cartesius hoc principium è schola recentium sectariorum hausisse; quemadmodum enim his privatus cujusque spiritus regula est credendi, ità, & privata Cartesii idea regula est demonstrandi. quod quidem quantum sit errorum seminarium, ut in revelatis, ita in naturalibus, quivis facile comprehendet. Hinc enim inferri potest contra Fidem mundum esse de facto non modo immensum, sed æternum: & mundos dari infinitos, qui fuit error Democriti male apud Patres, ac Theologos audientis: aliaque plurima, & falsa, & inepta, quæ verissima erunt, si satis demonstrantur ut vera, per id unum, quod concipiuntur ut vera. sed mitto ista sectari, quæ ad rem præsentem non attinent; satis sit ea libasse, ut intelligatur, quam non sit mirum, à tam inepto principio ad absurdas consequentias deventum esse.

Venio ad ipsius systema, quod satis jam dictis cap. 4. manet rejectum. superest, ut aliqua in eo adnotemus digna, quæ specialiter improbentur. Principio in particulis illis quadratis nulla videtur ex motu attritio fieri potuisse, cum potius attritio debuerit non sequi. sed præire motum. quod ostendo; quia in priori ad effectum intelligi opus est causam plane expeditam. atqui particulæ non sunt ad motum expeditæ, donec quadratæ manent, angulis agitationem omnem impedientibus. prius ergò atteri necesse est angulos, ut motus sequatur. & quidem universim prius est secundum natu-

ram tolli impedimentum, quam poni effectum ut prius est removeri columnam, qua lapis sustentatur, quam lapidem descendere. Quod si motus præcessit attritionem, necessariò aliquid vacui intercessit. duplex enim motus iis particulis supponitur impressus: alter, quo multæ vertuntur circa commune centrum, & vorticem conflant; atque hic motus attritionem facere, nisi exiguam, non potuit in partibus dumtaxat extimis: alter est motus, quo singulæ circà proprios axes volvuntur: & ex hoc omnium attritio sequuta est ingens. sed vel iste motus ponitur difformis, ut dum una ad dexteram altera vergeret ad sinistram; atque id certe contingere non potuit, nisi deductis superioribus angulis, dum inferiores pugnarent, quæ deductio cum non fiat sine tempore, aliquid vacui per brevissimam saltem moram deprehendi opus fuit inter angulos superiores, donec attrita à particulis reliquis ramenta ad illud replendum accurrerent. Idem sequitur, si supponatur motus uniformis versus eandem partem. si enim in iis tesseris anguli per motum sunt attriti, necesse fuit haberi motum in priori ad attritionem, si causa attritionis est motus: quemcumque autem motum sine attritione consideras inter tesseras cohærentes, necessariò concipis vacuum, nec dum concipis ramenta illius repletiva.

Deinde quæ illa lex motus est, ut semel acceptus nunquam amittatur, nisi aliud subjectum exoneretur? qua id ratione, qua experientia convincitur? imo istæc in contrarium clamant; cum enim motus ille circularis præter naturam, imò & fortasse contrà naturam sit materiæ ad rectum motum, ut putat, propendentis; consequens est, ut contranitente subiecto, & in oppositum conante, minuatur, ac desinat; Præter hæc dum motum sagittæ imprimimus ad parietem; cuinam, sagitta post impulsum

fru-

frustrà impressum decidente, motus ille traditur? Accedit, quod vel commune id statuitur omni motui, vel proprium unius cujuspiam determinati. si secundum, danda est dispar quoad reliqua ratio, primum est manifestè falsum in motu hominis ab intrinseco, qui cessat ad nutum animæ, quin exoneretur in subjectum extraneum.

Neque aptior (si servetur cohærentia cum doctrina Cartesii) lex alia motus circularis, quod particulæ mobilis semper à centro recedere conentur. Undè enim iste conatus, cum motus à natura ipsius mobilis non sit, sed ab extraneo impulsore? aut quid sibi timent à centro particulæ, ut illud tantopere refugiant? Certè hinc fieret, ut particulæ secundi elementi, quæ sunt divisibiles, in infinitum magis usque magisque distrahantur, & in nova semper, minoraque ramenta dissiliant. Postremò concedendum Cartesio esset, particulas unius vorticis, cum in particulas alterius continēter impingant earum motus, imò & totius universi turbare; & omnia proindè perpetuo susque deque in omnem partem agitari. quod concedere turbidi sane ingenii est, ac verticosi, uni sibi reliqua omnia accommodantis.

Quid? quod ubi omnia statuit continua agitatione concussa, negat aliud esse solidorum corporum vinculum præter quietem. sed ut ut se habebat hæc consequentia, manifestum videtur non sola quiete corpora solidari; ita enim nullatenus divisioni resisterent; & quivis posset corporis quantumvis solidissimi partes minimo conatu divellere, & ita ferrum imminuere, ut ferri præsegmina. Ineptum verò videtur recurrere ad manus mollitiem, minoremque ejus molem secundùm partem, qua agit, separabilem à reliqua manu, quàm sit pars corporis solidi ab alio dividenda. primò enim mirum est,

corporis etiam humani partes cum anima indivisibili proculdubio conjunctas non aliter invicem, quam quiete copulari, cum constet cæteroqui animam respicere per se totum corpus per accidens partes: unde si quam à reliquo corpore separes, ea, quiescat licet, non ultra vivificatur. Secundò quocumque impetu ad dividendum solidum manufacto, sentiri deberet divisio aliqua partium manus; cum è contrario dolor sæpe fit è nimia compressione. 3. falsissimum est, nec probatum à Cartesio servari proportionem istam secundum molem tangentis, & tacti in corporum divisione, cum satis omninò sit inæqualitas virtutis, quæ sub modis adhuc paritate servatur. Mitto alia, quia non libet immorari.

Tandem tota ista Cartesii imaginatio non modò vitam plantis, cognitionemque animalibus adimit, refragantibus licet Patrum, Scripturæque testimoniis, imò & certissimis omnium, quot sunt, quotquot fuere; conceptionibus, viamque sternit, ut pariter homines à nobis distinctos automata credamus; verum etiam divinam Providentiam in naturæ gubernatione mirum quantum imminuit quid enim oportuit naturalem Providentiam magnificari usque adeo non solum à Patribus; & Prophetis sed à Christo etiam Domino in vestiendis liliis ovibusque, pascendis, si omnia uno motu contingunt semel impresso, ex quo reliqua necessariò consequuntur, quemque profectò creatæ iam materiæ Angelus, etiam nativa vi imprimere potuisset, & post eam impressionem otiari jam, & dormire licuisset: perinde enim naturalia evenirent. An non hoc est divinam potentiam veluti in pristinum compingere, ut trusatiles dumtaxat Cartesianorum vorticum molas impressa semel vi, agitationemque circumagat?

Propter hæc, aliaque superius dicta, dicendaque

daque inferius, quæ hac pleraque faciunt, atque alibi sparsim disputanda de luce, de calore, de frigore, de gravitate, aliisque physicis qualitatibus, quæ hoc systemate satis perperam explicantur, Cartesii phantastica principia manifestæ falsitatis redargui mihi videntur; mirorque vehementer esse etiam num inter Philosophos, quibus scripta ipsius, qua parte physica complectuntur, fabulosæ vanitatis refertissima oraculi loco sint.

CAPUT VI.

Chymistarum principia refutantur.

PAucis ab hoc capite me expediam. Notissima sunt, quæ Paracelsus Chymistarum Coryphæus, Helmontius, Quercenatus, aliique tria constituunt rerum naturalium principia, sal scilicèt, sulphur, & mercurius, ex quibus omnia coalescunt, & in quæ omnia resolvuntur, sed his nominibus non intelligunt, quæ vulgus solet, iis auditis, accipere, sed alia omninò & singulorum propria, ac diversa pro compositorum diversitate. Est ergo sal pars fixa, & consistens, quæ per ignis actionem non evaporat, nec resolvitur, sed figitur magis.

Est sulphur pars vivida, & spiritosa, quæ in mixtorum resolutione attenuatur, abitque in vapores, & fumum. Est mercurius pars humida qua reliquæ partes continuantur, & cohærent, quaque media spiritus præcipuè, seù sulphur sali agglutinatur: Scio ab aliis aliter hæc corpora explicari, & speciosioribus aliquando vocabulis pro Chymicorum more insigniri. in his tamen immorari nullum est operæ pretium.

Hanc sententiam docet inter cæteros, qui minimè debuit, P. Nicolaus Cabeus in sus Meteorologicis, eamque planè ut Aristotelicam venditat, notatque Peripateticos aliter sentien-

tes, quasi, Aristotele relicto, chimæras metaphysicas veris rerum principiis supposuerint. Audiatur ipse 1. Meteor. tex.40. q.un. *Suppono ex alibi dictis istas partes subtiles, & spiritosas cum fixis non colligari per se, sed medio humido, & hoc est, quod sapientiores Philosophi* (Chymicos ita appellat, florem scilicèt ipsum, & apicem sapientiæ, quam, ut in puteo Democritus, ita in furnulis suis uni tandem ipsi, si Superis placet, veluti thesaurum in abdito, & inveniunt, & fovent) *dicunt, spiritum cum corpore humiditatis vinculo constringi, quo sublato, non unirentur illa duo extrema, & hæc sunt tria vera principia physica omnia componentia: & spiritosa illa pars vera est forma physica conjuncta cum materia non ex nihilo sui facta, sed inducta in subiectum* (egregiè hoc scilicet cum Aristotele consentit, qui formam statuit è sub ecto eductam) *& fixum illud est materia non chimarica, sed physica: quia duo extrema, sunt verè prima contraria* (quid ni? cum stent simul, & humido pacem conciliante, copulentur) *non forma, & privatio, quorum alterum nihil est, alterum quid metaphysicum, & communi vinculo ligantur, hoc est humido: quod humidum medium quid est inter corpus, & spiritum, ac proinde aptè vinculi, & mediatoris officio fungitur*. Tum pergit ostendere, quod hæc eadem corpora in viventibus alia nomina sortiantur; & volatilis pars anima, fixa corpus, humiditas unio nuncupetur. Demum concludit: *video hanc philosophandi rationem à multis præsertim vulgaribus* (ita scilicet, Peripatetici vulgares sumus, imoque subsellio contenti senatorium Spagyricis volentes, nolentes concessimus) *à Chymicorum fervidis furnulis desumptam judicari; sed videant, ne physicam relinquant phylosophiam, ut chimæras sectentur metaphysicas*.

Sed istæc tamen utcumque exaggerata nihil certè

certè nos terrent, qui tria hæc corpora non principia, sed principiata cum melioribus Philosophis tum nostris tum exteris asseveramus.

Et 1. non solum tria hæc corpora, sed etiam terra; quam Chymistæ caput mortuum, terramque damnatam vocant, & aqua, quam phlegma appellant, è mixtis ferè omnibus extrahuntur. plura ergo sunt, quam tria principia. Neque valet, quod respondent, ista duo non numerari inter principia, quod inutilia sint, & inertia, nulliusque activitatis. Etenim in præsenti non quæritur, in quibus mixti partibus activitas, & efficacia insit, sed quæ sint ipsum principia componentia, ex quibus sanè alia possunt esse activa, quæ causæ, alia passiva, quæ subiecti vice fungantur. Quapropter consultius quoad hanc partem Vvillis hæc omnia corporis constitutiva intelligens, numerum principiorum ad quinarium produxit.

Secundò principaliter. Principia debent esse irresolubilia in alia corpora simpliciora, diversæque inter se rationis; debent enim esse ultima, in quæ fit resolutio, ut sint prima, ex quibus fit compositio. atqui chymica hæc principia in alia ulterius dissimilia corpora resolvi posse, adeoq; principia ipsa non esse, sed principiata, fusè probat Robertus Boyle nobilis Anglus in libello, cui titulus, Chymista Scepticus, in quo Chymicus Chymicos intra sua ipsorum castra aggreditur: & ex ipsis experimentis, ac communi Spagyricorum doctrina vana esse, nec sibi multum cohærentia eorum figmenta latissimè demonstrat.

Quod demum attinet ad constitutionem animatorum, quibus sulphur pro anima sit, satis hæc sententia in calce capitis quarti explosa est, ut plura hic addere non sit opus.

CAPUT VII.

Quid senserit de rerum principiis Aristoteles.

RESTAT, ut cum quarta authorum classe superius proposita non nihil agamus, qui cum contentio est de Aristotelis mente, putant siquidem isti, quæ nos de rerum principiis docemus, non ex Philosophi, sed Averrois, Arabumq; interpretum doctrina manasse; Aristotelem verò materiam, formam, & privationem in rerum principiationem adduxisse in eo dumtaxat sensu, quo nos ipsi secundo huius quæstionis cap. hæc nomina usurpavimus, & communia omni sententiæ diximus. Ita opinatur ex nostris P. Honoratus Fabri Phys. to. 3. tr. 5. in dissertatione, quæ extat hac super re post primum eius tractatus librum, P. Cabeus 4. meteor. ad t. 34. & 36. Magnanus, Cartesiani, aliique jam Atomistæ eodem conspirantes, ut Philosophi patrocinium nobis aliquando adimant. Equidem istam (fateor) ferre non possum audaciam. quid enim confidentius dici, aut fingi potest, quam tot insignes Peripateticos, quibus rectè neminem ex his recentioribus sine iniuria comparaverim, usque eò traduci, ut notentur quasi Aristotelis sensa non benè perspexerint, quem tamen præ manibus usque habuere, non ut ex istis multi, qui Aristotelis textum unum, vel alterum ab aliis accepere. Aristotelem ipsum ne de facie quidem norunt. quid? si in hoc numero putetur etiam D. Thomas; cui sane ingens contumelia irrogatur, dum non Aristotelis, sed Averrois judicio subscripsisse dicitur, quem constat eo potissimum consilio in Philosophi textus luculentissimos commentarios elucubrasse, ut Commentatoris à recta plerumque via aberrantis nimiã authoritatem in frin-

geret. Jam vero quàm levibus argumentis in hanc sententiam isti devenerint, primum videbimus: tum germanum Philosophi sensum ex pluribus ejus locis eruemus.

§. I.

Solvuntur Aristotelis textus ab adversariis allati.

PRimum igitur P. Fabri in laudata dissertatione primis 4. numeris plures congerit Philosophi textus, quibus formam non generari, nec fieri disertis verbis autumat: quæ locutio sententiæ nostræ pugnat, in qualibet generatione formam de novo produci asserenti.

Secundò. Generatio 1. de Gen. c. 4. dicitur *Mutatio totius in totum*. Mutatio autem ista intelligitur, præcisa quavis actione de novo productiva per solam atomorum dispositionem variam, quam ergò ponimus generativam actionem, ea de mente Aristotelis non est; præsertim cum aliter, ac nos facimus, Philosophum intellexerint selecti etiam veteres interpretes, ut Herveus de un. Form. q. 17. & Caiet. 1. p. q. 53. ar. 3. & lib. de ente, & essentia qu. 17. Alios omittit; plures enim multò afferre potuisset, imò & omnes Peripateticos, qui eadem cum istis ratione & sentiunt, & loquuntur.

Tertiò. Forma dicitur unum, ut ordo, vel musica 1. Phys. t. 66. quod idem habetur 8. met. c. 3. ubi formæ dicuntur esse sicut numeri. Huc facit, quod sæpe forma nuncupatur à Philosopho ratio substantiæ. ratio autem non est, nisi habitudo, & proportio partium materiæ. quare 2. phys. t. 28. dicitur Forma *ratio ipsius quod quid erat esse, ut ejus, qua est diapason duo ad unum, & omninò numerus, & partes, quæ in definitione.* quæ omnia non possunt aptari naturæ formæ, quam ponimus entitatem substantialem absolu-

tam; benè autem congruunt Democriticæ dispositioni.

Quartò. Non agnovit Aristoteles aliam physicam substantiam præter sensibilem. 2. enim de Gen.7. Quærimus, inquit, corporis sensibilis principia & 4.met.c.3.materiam, & formam vocat substantias sensibiles. atqui forma si substantia quæpiam absoluta esset, non esset sensibilis: esset autem sensibilis, si esset respectus,& mutua proportio partium. ergò juxta Philosophum forma non est entitas absoluta, sed respectus & proportio.

Alium celebrem Aristotelis textum inculcat P. Cabeus, qui est apud ipsum trigesimus quartus lib.4.meteor. ubi Aristoteles, *sunt*, inquit, *combustibilia, quæcumque habent meatus susceptivos ignis, & humiditatem in his, qui secundum directum, meatibus debiliorem igne*. Post hæc Peripateticis Cabeus insultat, quasi magistri sui desertoribus in procusione formarum, novarum nempè entitatum substantialium de novo productarum; cum expresse Philosophus in ignis generatione non aliud agnoscat, quam eductionem partium ignearum in corpore combustibili latentium.

Resp. ad primum P.Fabri, nostrâm etiam formam nec generari, nec fieri: quod assertum est Philosophi, omniumque Peripateticorum, qui hoc pacto faciunt satis argumento Atomimistarum in eo principio fundatum, Ex nihilo nihil fit: quod & nos infrà præstabimus, germanumque declarabimus propositionis hujus sensum, & simul ostendemus idipsum ab adversariis asserendum de nova sua dispositione Atomorum. Interim adverto, Philosophum 7. præsertim met.t.27. asserere ex professo,& probare, quod forma non fit; sed tamen in eodem textu de ipso quid erat esse, hoc est, de forma disertè ait, quod *in alio fit aut ab arte, aut à natura, aut à potentia*.& in t.26.affirmat formam etiam fieri,

non

non quidem per se, sed per accidens, quod explicans D.Th.lib.1.7. *Hoc ideò est*, inquit, *quia forma non propriè habent esse, sed magis sunt, quibus aliqua habent esse. unde si fieri est via in esse, illa tantum per se fiunt, quæ per formas habent esse. formæ autem incipiunt esse eo modo, quo sunt in illis factis, quæ per formas habent esse.*

Ad secundum dico, mutationem totius in totum debere intelligi in eo sensu, quem antea Philosophus determinaverat t.10. adversus Democriti, & antiquorum mentem; qui textus cum clarissimus sit pro re nostra, dignus omninò, qui afferatur; sic enim habet: *Simplex, perfectaque generatio congregatione, & segregatione definita non est, quemadmodum nonnullis placet, qui & eam, quæ in continuo fit, mutationem alterationem esse asserunt. Verùm id ipsum est, in quo prorsus errant. non enim generatio simplex, atque corruptio congregatione, segregationevè fit, sed cum ex hoc in hoc mutatio fit*, Quæ ultima verba sic interpretatur D. Thom. *Est generatio, & corruptio in rebus naturalibus, quarum forma non est positio, & ordo, non quidem per congregationem, & segregationem, sed quia fit transmutatio ex hoc toto, idest, non dissolutio in partes, in hoc totum, quasi non congregatum ex aliquibus partibus*. Ubi hic Arabes Aristotelicæ Philosophiæ depravatores? Ex verbis ergo Philosophi generationem definientis apertè colligitur intervenire actionem substantialis formæ productivam; hoc enim sibi vult, dum ait mutationem esse totius in totum, quod scilicèt etiam partibus totius secundum ordinem, integritatemque invariatis, habeatur transitus de substantia in substantiam, adeòque per accessum novæ substantię partialis productæ, & non per partes veteris variatas. Qui verò interpretes mutationem à Philosopho definitam aliter, ac nos, acceperint, nec P. Fabri dicit, nec ego inveni. Herveus au-

tem, & Cajet. discipuli potius Aristotelis, quàm interpretes nihil tale habent in locis allegatis.

Ad tertium. Forma dicitur ratio. quid tum? an ratio non aliud sonat, quam proportionem? atqui si verum id est, forma non erit ratio substantiæ, hoc est totius, sed materiæ, cujus partes mutua habitudine ordinantur. Deindè ratio apud Philosophum sæpissimè pro quidditate, ac definitione sumitur; ut cum in Prædic. c. 1. univoca dicit, quorum, & nomen commune, & secundùm nomen eadem est substantiæ ratio. forma autem est præcipua quidditas compositi, qua explicatur, & definitur. At enim formæ dicuntur esse ut numeri, & ut musica. ita sane. an non universim de quibuslibet essentiis hoc asseritur, ut ostendatur eas in indivisibili consistere; quin possit quis jure hinc inferre, quamlibet essentiam proportionem partium esse, cum constet, multas essentias partibus non constare? Ad tex. verò 18. secundi phys. ubi exemplificatur in consonantia, quæ dicitur, diapason consistente in dupla proportione, respōdemus nihil aptè concludi; quid enim ex hoc, quod una species formæ, in qua exemplificatur ad explicandam definitionem generis, consistat in proportione, inferas, genus ipsum formæ in proportione consistere?

Ad quartum, in primis dico, Aristotelem 8. met. t. 5. contendere, formam substantialem non esse ullam ex differentiis per se sensibilibus. Præterea inde fit, ut nec materia fuerit à Philosopho agnita, qui sensibilis se sola non est. & si dicas, sensibilem eam esse per formam, bene dicis; sed nunquid non forma sensibilis est per accidentia? Rursus neque forma adversariorum sensibilis immediatè est; ratio enim & proportio ad sensum non pertinet, qui non est collativa potentia. Ad hæc quis unquam ex

Ato-

Atomistis, quæ sit specialis cujusque corporis partium dispositio, quæ atomorum figura, qui situs, potuit unquam per sensuum experientiam deprehendere, & non potius per conjecturas divinavit? In hoc igitur dumtaxat sensibilitas substantiæ posita est, quod sit principium sensibilium operationum, à quibus in ipsam sensibilitas redundat. hoc autem maximè competit formæ, quam nos astruimus.

His omnibus accedit, quod cum in his locis formam in communi sumpserit Philosophus, profectò vel animam etiam rationalem sub ea accepit, quæ juxta ipsum actus est corporis, vel admodum vitiose processit. Utrumque est injuriosum Aristoteli, cujus doctrinam sequitur, & veneratur hic author, eamque studet ab Arabum depravationibus vindicare. primùm enim facit Aristotelem malum physicum, quod animæ rationalis naturam in proportione atomorum constituerit. secundum facit Aristotelem malum logicum, quod formam in genere definiturus, ea dixit, quæ singulis in specie formis convenire non possunt.

Postremo illud præterire non debeo, eadem facilitate, qua Aristotelem Atomistis adscripsit P. Fabri, potuisse etiam Arabes: qui quidem has easdem propositiones Philosophi usurparunt. Unum afferam omnium instar Averroem. Arabum interpretum facile principem, qui 7. met. com. 26. *Manifestum ergò*, inquit, *ex his est, quod sicut agens generando non facit materiam, vel subjectum generationis, quod est æs, ita non facit formam, quæ est sphæra, nisi per accidens*. & similiter in reliquis easdem fermè loquendi formas adhibet Commentator: ut cum 12. met. com. 18. ait, *quod in spermate animalis, & plantæ sunt proportiones quædam, & rationes quibus, quæ generantur ex iis, sunt animalia propria, aut plantæ propria*.

Venio nunc ad textum, quem affert Cabæus

is

is certè nihil omninò habet, quod possit objectare Peripateticis, eosque quasi defectionis à Philosopho manifestos arguere; planissimi enim est sensus, in quo sanè Cabæus, nisi sententia sua præoccupatus, nihil advertere à nostra alienum potuisset. Corpora igitur, inquit Philosophus, quæ meatus rectos non habeant, per quos ignis conceptus, ac genitus evolare possit, in ignem non transeunt propterea, quod ignis, si quis in iis generatur, suffocatione statim extinguitur. Rursus ii meatus debent posse suscipere particulas ignis extranei, ut facilius combustio peragatur; ac vapore viscoso, qui est unicè aptum igni concipiendo pabulum, scatere: atque hæc humiditas opus est ut igne sit debilior, ut ab igne vincatur, & in se transmutetur. Ex hoc autem toto quid ad rem? numquid ibi Philosophus verbum de combustione non aliter perficienda, quam per ignis extranei ingressum, & per latentis egressum?

§. II.

Aristotelis textus pro Peripatetica sententia manifesti adducuntur.

ID unum tandem reliquum est, ut, quando nihil pro se attulisse adversarios, quo Philosophum suis partibus assererent, ostensum satis est, aliquas jam ipsius authoritates decerpam præter adductas, quibus ipsum Peripateticæ, quam tuemur, sententiæ authorem compertissimum demonstremus.

Igitur 8. met. cap. 3. t.c. 5. inquisiturus, quid rei sit forma rerum sensibilium substantialis, postquam multa de earundem materia in antecedentibus determinaverat; refert tres tantum à Democrito materiæ differentias assignatas; *subjectum enim corpus*, inquit, *materiam unum, & idem: differre autem, aut ῥυσμῷ, quod*

quod est figura, *aut* τροπῇ, *quod est situs*, *aut* διαθιγῇ, *quod est ordo* tum pergit ostendere enumerationem Democriti esse insufficientem propterea, quod si ab arte factis, aut à sensibilibus desumendæ hujuscemodi differentiæ erant, multò plures afferere debuisset. Postremò eas omnes reiicit à propria ratione formæ substantialis, & concludit. *Substantia itaque nihil horum est*, *neque combinatum*: *attamen proportionabile in unoquoque*; hoc est proportionaliter se habent ad assignatas formę substantiales physicæ: quæ proportio in hoc consistit, quod sicuti per illas artefactum constituitur, ac definitur tamquam per differentias, ita per has compositum naturale.

Secundò. primò phys. t. 71. reprehendit errorem antiquorum asserentium, nihil de novo generari, & corrumpi; quia si quid de novo fieret, vel ex ente, vel ex non ente fieret: utrumque autem videtur impossibile; si enim ex ente, esset antequam fieret. si ex non ente, ex nihilo aliquid fieret. Jam vero dum vult errasse antiquos rerum naturalium generationem negantes, nomine generationis non potuit novam partium dispositionem accipere; hanc enim veteres non negabant, accepit ergò generationem, quæ novam partis cuiuspiam substantialis productionem involueret; quam illi unam non agnovere. Deindè dum solvit eorum argumentum, ad multa se vertit, ad quæ non oportebat, si ea fuisset ipsius mens, quam adversarii imaginantur; satis enim erat, si dixisset, rem fieri nihil esse aliud, quam partes prę-suppositas aliter aggregari; quare ex ente fit ens quatenus partes unius, accepta nova dispositione, in aliud transeunt. Alia tamen omnia ibi Philosophus. nàm primò asserit ens fieri ex ente, & non ente per accidens, quià per accidens fit ens, per se hoc ens: quæ est doctrina, qua nititur iuxtà D. Thomam creationis à crea-

tura impossibilitas, non tamen eductivæ actionis. secundò ait ens fieri ex non ente actu, & ente potentia, qualis est prima materia, ex cujus ignoratione contendit antiquos longius à veritate aberrasse. quam verò illi materiam ignorantur, nisi quam nos asserimus?

Tertiò. Quid tritius apud Philosophum, quam formam educi de potentia, sinuque materiæ? Atqui hoc ipso utitur Fabri num. 18., ut ostendat nostram sententiam ab Aristotele dissidere; quià, inquit, *quis vel capiat mente entitatem absolutam educi ex illo ficto sinu mera potentia, in quo reverà non est, antequam sit?* tum concludit: *In nostra autem hypothesi optimè intelligitur, &c. nempè illa eadem particula, quarum talis dispositio, seù compositio totum illud sensibile, idest, esse ligni constituebat, in novam dispositionem abeunt, quæ constituit esse ignis. quid facilius?* Profectò nihil difficilius, & quod minus in Aristotelicam eductionem quadret. dum enim ignis particulæ latebant in ligno vel habebant actu eam dispositionem, ratione cujus ignis est formaliter ignis; vel non. si primum: ergò non generatur de novo ignis, sed è ligno veluti è laterna producitur. Si secundum: ergò non educitur forma: quod demonstro. dispositio particularum non educitur; quià non educitur, nisi quod latebat, & supponebatur. at forma ignis est ea particularum dispositio. ergò forma ignis non educitur. In hac igitur hypothesi materia educitur è materia, non forma è materia: quod certè Aristoteli formę eductionem asserenti non cohæret.

Quartò. Imò verò apertissimè contradicit. Satis est legere tertium librum de cœlo à textu 52. ad 77, qui est postremus, per quos antiquorum sententias de generatione, & compositione elementorum ità exagitat, ut mihi in mentem venerit, nunquam in eos manus, aut

aut oculos adversariorum incidisse; neq; enim in suas partes Aristotelem trahere conati essent, quem confessum hostem agnovissent; supersedeo à verbis ipsius recitandis; nimis enim multa afferenda essent, quæ per se quisque apud ipsum legere potest. Hoc idem ex professo exequitur 1. de Gen. à t. 64. ubi Democriti, ac Leucippi opiniones de rerum generatione per atomos explicata pluribus impugnat, quam ut commode possint in medium produci. non tamen omittendum, quod t.79 & 80. concludit in hæc verba: *Omninò autem hoc generari modo, scissis corporibus, inconveniens est, destruit enim hic sermo alterationem. Videmus enim idem corpus continuum existens, quandoque quidem humidum, quandoque autem congelatum, non divisione, & compositione hoc patiens, nec versione, & tactu, sicut ait Democritus, &c.*

Quintò. Postremo loco nomina, perfectionesque considero, quæ substantiali formæ ab Aristotele tribuuntur, ut videam, utrum ea Democriticæ dispositioni congruant. Dicitur forma 1. phys. t.81. divinum quoddam, bonum, & appetibile, tum comparatur materia fœminæ, forma viro, quod illa sit principium operandi passivum, hæc activum, ex quo eodem capite 2. phys. t. 12. forma dicitur magis natura, quam materia; cum enim natura sit principium motus, & materia passive, forma efficienter principiet motum: efficiens autem patiente perfectius; consequens est, ut forma in ratione naturæ potior sit, quam materia. Id ipsum habetur 7. met. t.7. ubi forma dicitur prior, hoc est, melior, quàm materia, & magis ens, id magis substantia, & ibidem t.23. forma primæ substantiæ nomine insignitur. Hæc quidem omnia meræ atomorum combinationi qui possint convenire, non video, quæ enim perfectio tanta dispositionis illius, ut queat divinum quid nuncupari? cum perfectio substantialis

non

non in dispositione; sed in partibus ipsis dispositis videatur consistere. Deinde ratio principii activi non potest tribui dispositioni, nisi per summam impropprietatem, qua quis vellet approximationem agentis ad passum efficiens principium appellare. sicuti ergò tota virtus agendi est in igne v.g & approximatio non est, nisi conditio prærequisita: ità virtus operativa tota erit in atomis, & dispositio conditionis dumtaxat munus sortietur. Et quidem virtus activa importat de suo conceptu aliquid plus, quam merum respectum, & habitudinem accidentalem partium integrantium; unde est, quod vulgò usurpamus, relationes, & modos non esse de genere activorum; neque enim potentiæ sunt, sed actus. Postremo qua ratione intelligi potest, quod habitudo mera sit magis ens, & substantia, quam partes, & extrema, quæ disponit? Fixum ergò sit, nomine formæ substantialis non venire apud Philosophum atomorum dispositionem.

Hæc habui, quæ afferrem, ut Aristotelem Peripateticis partibus vindicarem. plura iis occurrent sine dubio, qui ipsum hoc animo volutabunt; vix enim est Physicorum pars, in qua, recurrente in Atomistas disputatione, mentem in eos suam disertè non prodat. Desinant ergò tandem aliquando insignem illam calumniam nobis obiicere, quod Arabibus hæreamus Aristotelicæ Philosophiæ depravatoribus: quid enim hoc aliud est, quam asserere nostram sententiam esse Aristotelicæ Philosophiæ depravationem? Sed qualiscumque ea sit, hanc malo cum D.Thoma, cum Scoto, reliquisq; Peripateticæ doctrinæ principibus sequi, quàm cum Recentioribus istis, quibus secretior Philosophi sensus post tot secula scilicet reservabatur, puram, ut ipsi aiunt, Peripateticam, puram, ut ipse reor, Democriticam amplecti.

CAPUT VIII.

Peripatetica principia ratione confirmantur.

ASserta à nobis principia conformia esse Aristotelis menti ostensum hactenus est; superest,ut probem eadem consentire rationi,& quod majus, divinæ Fidei.

Primùm igitur uti possem in nostræ sententiæ probationem illo eodem philosophandi modo, quo plerique adversarii suam tuentur. assumunt enim eam in hypothesim, ex qua deindè eorum omnium, quæ in natura contingunt, rationem eruere conantur. videntur proindè sic arguere: non potest non esse vera ea hypothesis circa rerum principia, quæ omnium naturalium effectuum sufficiens est causa. atqui hypothesis assumpta est hujusmodi. igitur vera est. Et satis hoc uno putant contrà Aristotelem debellatum: quam aptè, in præsenti non moror; habet enim talis argumentatio vim apud eos dumtaxat, qui sufficientem causam à præcisa non distinguunt. id unum contendo, eodem hoc argumento, eodem jure hypothesim Peripateticam confirmari; aliter afferant, si habent, experimenta, quibus ista non congruit. Profectò, hac supposita, res deindè naturales versabimus, earumque rationem reddemus, si non omnino ineluctabilem, certè non meliorem adversarii.

At, inquiunt, Atomistica sententia facilis captu est,Peripatetica inintelligibilis.non equidem Atomistas adeo hebetes judicio, ut, quod dicimus, non intelligant. quid ni intelligant ipsi,quod pueri in scholis quotidiè capiunt? sed sit illa sanè cognitu perdifficilis; non tam benè cum rebus humanis agitur,ut facilè idem sit, ac verum: & quod difficile, illico falsum. Scio

sæpè

sæpè difficiles appellari, & non intelligibiles sententias, quæ argumentis adeo validis urgentur, ut solvi non possint. num ità non intelligibile, quod Peripatetici asserunt? at postremo huius quæstionis cap. ostendam, quam frivola sint, exiguique momenti, quæ obiectant Atomistę Metaphysicis speculationibus, regulisque dialecticis plurimùm non assueti

Cæterùm tantùm abest, ut difficultatem ingerat ullam Peripateticum systema, ut equidem putem non aliud æquè captui se accommodare, nisi naturæ ductum deserere velimus. Principiò enim id à natura omnes habemus, ut iudicemus in aliis contingere, quod deprehendimus in nobis. jam vero quis nescit, anima se, & corpore constitutum, & anima quidem ut forma, corpore ut materia, quæ invicem primò coniuncta generationem, seiuncta divisionem, mortemque efficiant? Hoc sanè secundùm rudem aliquam notitiam, vel pueri, vetulæque norunt. Hinc gradum facimus ad bruta; & quia in iis manifesta cognitionis vestigia, non tamen intelligentiæ, aut ratiocinationis invenimus, animam etiam iis tribuimus nostræ proportionalem, materialem illam quidem, adeoque mortalem, quæ tamen in iis principium sit sentiendi, ut nostra in nobis principium est ratiocinandi. Pariformiter in plantis, aliisque non viventibus aliquid his analogum ponimus, quod accedat in generatione, in corruptione recedat, ac pereat: & hanc formam dicimus substantialem constitutivam cujusque, ac distinctivam, primumque operationum rei naturalium efficiens principium.

Dum ergò compositionem ex materia, & forma in naturam inducimus, non ex hypothesi, non ex libito procedimus: sed ex iis, quæ certissima in nobis sunt, quæ minus sunt certa in aliis, judicamus. In quo miror Atomistas

usque

usque eo sibi plaudere, sententiæque suæ probabilitatem, imo & evidentiam extollere, quod naturalia explicent juxtà leges mechanicas, & per analogiam ad artefacta; cum tamen præpostera videatur dicendi ratio, quod natura imitetur artem; cum potius ars sequatur, nec tamen assequatur naturam. tum rident hypothesim nostram, eamque ut Metaphysicam, ut obsoletam, ut inintelligibilem exsibilant; cum nos tamen petamus naturalium exempla à naturalibus: & ad hominis perfectissimam naturam reliquas pro portione componamus. & notissimum cæteroqui illud est, primum in unoque genere mensuram esse reliquorum.

Ad hæc longè major contingit ad sensum mutatio in rerum non viventium analysi, quam in viventium, & hominis præsertim morte, si ergò in hac non habetur sola partium materialium transpositio, sed alterius substantiæ alicuius abscessio, cui tanquam principio humanæ omnes operationes tribuebantur; idem dicendum contingere in reliquorum resolutione, ut non sola fiat atomorum divisio (ut si ferrum in minutissima præsegmina dissecetur) sed alicuius etiam substantiæ à materia separatio, quæ cum natura sua à materia dependeat, non, ut rationalis anima, perseveret, sed omninò destruatur. Quod quidem tantò libentius admittendum, quod materia quæcumque non corpus est, & natura completa, sed mera passiva potentia, cui nihil activitatis, & operationis per se inest: cui proindè ad compositum alia cuiusque propria opus est partialis substantia, quam formam dicimus. Hanc materiæ naturam ex homine ipso conficimus; si enim ea corpus, & substantia simpliciter, completaque natura foret, non esset apta, ut cum anima unam hominis naturam constitueret. natura enim non ex naturis, sed ex seminaturis fit se mutuò indigentibus ad operationum principiationem

qui-

quibus altera passivum, altera præstet activum principium. Ex quo est, quòd naturæ humana, ac divina in Christo unam non naturam, sed personam constituunt.

Accedit, quod opposita sententia omnem à rebus naturalibus vim simpliciter effectricem amovet, totamque earum actionem in solo motu lationis impendit. At qua, quæso, de causa tantam naturæ perfectionem invident? Egregiè D. Thomas 3. contrà Gentes cap. 79. *Perfectio* inquit, *effectus determinat perfectionem causæ maior enim virtus perfectiorem effectum inducit Deus autem est perfectissimum agens. oportet igitur, quod res ab ipso creatæ perfectionem ab eo consequantur. detrahere ergò perfectioni creaturarum est detrahere perfectioni divinæ virtutis. sed si nulla creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturæ. ex abundantia enim perfectionis est, quod perfectionem, quam habet, possit alteri communicare. detrahit igitur hæc positio divinæ virtuti*. tum pergit ostendere, id ipsum detrahere divinæ bonitati. Et sane si principium assumptum ut primum à priscis Atomistis, Ex nihilo nihil fit, quod ipsi intelligebant de quavis nova productione, locum habere posset in ista universalitate apud nos, tolerabilior esset istorum sententia. nunc verò cum certissimè sciamus aliquid nos agere non creando. sed educendo saltem intelligentia, & voluntate, quas quidem potentias non se habere merè passivè in suis actibus; & ratio evidens, & ineluctabilis authoritas Tridentini convincit; consequens est, ut illud principium in sensu; quo accipitur ab Atomistis, falsum evidenter deprehendatur. Quod si accidens produci aliquod de novo potest per actionem secundæ causæ, quid ni etiam substantia?

Præter hæc est in corporibus naturalibus resisten-

sistentia ad corrumpi. ergò corrumpi non est dividi. antecedens prob. non potest non esse resistentia adversus id, ad cujus oppositum est naturæ inclinatio: atqui unumquodque amat conservari; quia unumquodque amat suum bonum, cujus fundamentum est esse. *Natura omnes*, inquit Aug. 12. de Civ. c. 5. *cum ibi sunt, ubi esse per natura ordinem debent, quantum acceperunt, suum esse custodiunt*. Et quidem hujusmodi inclinatione haberi in animalibus evidentius est, quam ut egeat probatione; ea enim sunt in iis signa studii illius, quo se suamque vitam unumquodque procurat, & tuetur, ut negare id non possit, nisi qui malit protervire, quàm philosophari. Aliquod ejusdem etiam amoris vestigium in reliquis agnoscimus; huc enim spectare videtur illa similarium corporum secum invicem naturaliter affectata conjunctio, ut & calida seorsim à frigidis, & frigida seorsim à calidis congregentur, quum per hiemem procul à frigidis dominantibus calida corpuscula sese in cryptas subterraneas dant, & vice versa æstate; ut constabit ex iis, quæ de hac re dicam ex professo infrà lib. 4. qu. 3. c. Prob. jam consequentia; si enim corruptio non esset; nisi divisio, nulla esset ejusmodi resistentiæ ratio. ex duplici siquidem capite possunt aliqua conjunctionem appetere; vel quia se mutuo fovent, tuenturque à contrario destructivo: atque hoc timere non possunt atomi incorruptibiles. vel quia se mutuò perficiunt quoad aliquam communem accidentalem operationem, quæ sit intima cujusque perfectio: ex quo capite anima rationalis amat conjunctionem cum corpore; & neque ita se se atomi complectentur, si vera est adversariorum hypothesis, nullam agnoscens perfectionem accidentalem, quam acquirant de novo atomi conjunctæ, amittant separatæ. At verò hujus rei in promptu est causa, si vera est hypothesis, quam defendimus.

Po-

Postremò sic arguo. si alteratio est nova productio qualitatis contrariæ, generatio est productio novæ substantialis formæ; atqui alteratio est nova qualitatis contrariæ productio. ergo generatio est productio novæ substantialis formæ. major negari ab atomistis non debet tum propter consequentiam doctrinæ; quemadmodum enim explicant combustionem per ingressum atomorum ignearum scindentium, ac resolventium corpora; ità & debent calefactionem per ingressum earundem atomorum minori numero irruentium, quæ proindè non sufficiunt ad corporis resolutionem. tum etiam quia immissio qualitatis contrariæ, si qua fit, non potest esse ad divisionem partium materiæ, ad quam cuneis opus est, non qualitate. est ergo ad tentandam aliter resolutionem per destructionem alicujus substantiæ.

Minor probabitur naturali ratione, ubi de Elementis. nunc eam lubet solo Fidei suffragio confirmare, qua docemur; in Venerabili Eucharistia destrui totam substantiam panis, & vini, manentibus eorundem accidentibus. sunt ergò accidentia à substantiis realiter distincta; ut jam calefactio, & similes accidentales mutationes, non per Atomorum immissionem, sed per productionem qualitatum commodius explicentur. Mirum, in quot partes sese adversarii vertunt, ut huic argumento occurrant, Fidemque salvam, atque integram servent; sed ita, ut præcipua sit cura opinionis suæ, cui Fidei dogmata aptata volunt.

Ajunt igitur primò, saltare nos extrà chorum, dum naturalia divinis, & sacra miscemus prophanis. quid enim Fidei cum Philosophia? hæc quidem scientia est; illa verò scientiam parere non est apta. Rursus Physica medio utitur sensibili: Fides suprà omnem sensum,

imo

imo & suprà captum evehitur. Postremo manca utimur phylosophia, ad cuius assertiones confirmandas miracula, & machinam adhibemus. Hæc quidem omnia Atomistæ non eo consilio dicunt, quo impii quondam nescio qui Philosophastri, dum rationalem animam immortalem secundum Fidem, mortalem secundum Philosophiam asseverabant: quos damnat Lateranen. V. sess.8. definiens, quæ Fidei contradicunt, vera secundum Philosophiam non esse; quia verum vero non pugnat: & Fides est suprà, sed non contrà naturam. Deinde quidquid sit, an medium assumptum sit Philosopho dignum, nec nè, inquiro, utrum rectè concludat, an secus. si aiunt; Philosophia igitur atomistarum vera esse non potest. si negant; impii sunt ad Fidei Quæsitores amandandi. Profectò quid indignius, quam Deo dicenti non credere, quæ Philosophis credimus, expertos se quidpiam esse testantibus? Demum fateri non pudet, Philosophiam, qua utimur, mancam esse, & imperfectam, quæque certitudinem, unde potest, supplex etiam emendicet. sed age, num solidior, ac tutior atomistica, quæ exemplis tantum nititur sæpissimè fallacibus, & secum adversa fronte pugnantibus?

Aiunt secundò, manere in Eucharistia non integrum panem, & vinum. sed ea superesse corpuscula, quæ panis, & vini exteriorem apparentiam constituunt, quæq; propterea species nuncupantur. Hæc responsio intolerabilis est, & aperte contrà Trid. sess. 13. can.2. ubi anathematizatur, quisquis negaverit conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: at verò si corpuscula illa manent, manet aliquid substantiæ præcedentis, adeoque perfecta transubstantiatio non habetur.

Aiunt tertiò, manere species, non accidentia

 panis,

panis, & vini; species enim, non accidentia nominat Trid. species autem non sunt, nisi apparentia sensibilis, quam Christus ibi induit pani, vinoque suffectus, ea prorsus ratione, qua olim peregrini discipulis euntibus Emmauntem, & Magdalenæ hortulani speciem, formamque exhibuit. Hæc etiam responsio tolerabilior non est. primò, quia nomen accidentium expressum est à Concilio Constantiensi contrà Vvicleffum, qui quidem, teste Valdensi, contendebat absurde invehi in Eucharistiam accidentia panis, & vini sine subiecto; adversus quem Conc. sess. 8. damnat hanc propositionem, quæ est secunda inter ipsius articulos: *Accidentia panis non manent sine subiecto in Sacramento Eucharistia*. Secundò, quia Trid. ait manere species; non manet autem nisi quod præfuit: quod in hoc modo dicendi non verificatur, cum apparentia ista panis, quam Christus, assumeret, prius eadem non fuisset. Et quidpiam certè superstes requiri omninò ad transubstantiationis, quæ conversio est, perfectam rationem, Theologi communiter ex ipsa conversionis notione demonstrant. Tertiò, Conc. usum est nomine specierum in eo sensu, quo tunc usurpabatur in Ecclesia à Theologicis Scholis, quæ non aliud sanè, nisi accidentia intelligebant, quamquam ex duplici capite species dicere, quam accidentia maluerunt. primò, ut significarent, ea solum accidentia permanere, quæ ad externam panis, & vini sensibilem apparentiam pertinerent, cum dubium de cæteris esset. altero, quia vox accidentis significat, quod subiecto accidit: illa autem accidentia nulli accidunt actu, sed solum potentia. melius ergò specierum, quam accidentium nomine significantur. Quartò demum Concilium Coloniense id ipsum declarat tit. de administratione Sacramentorum cap. 15. dum ait; *Quid panis, vinique species aliud sunt*

post

post consecrationem, quam species sacramentales, & accidentia sine subiecto?

Propter hæc opposita sententia vix dici sine hæresi potest, ut contrà hos Novatores probat ex professo P. Raynaudus in libello super hac re edito, qui habetur in 6. suorum operum tomo, ubi suprà 40. primæ notæ Theologos numerat, qui hanc sententiam ut planè hæreticam proscribunt.

C A P U T IX.

Atomistarum argumenta diluuntur:

Obiiciunt primò. Ex nihilo nihil fieri est principium cuiq; notissimum ab Aristotele, & antiquis omnibus admissum. atqui data existentia formarum substantialium, & accidentalium, hoc principium falsum est. ergo nulla datur forma sive substantialis, sive accidentalis. prob. min. nam formæ eiusmodi, aut supponuntur in materia; atq; ita de novo non producuntur: aut non supponuntur; jam ergo antequam fierent, nihil erant, adeoque dum fiunt, ex nihilo fiunt.

Principio hoc idem argumentum urget Atomistas: tum quia negari omnis nova productio naturalis non potest in actibus animæ, tum quia etiam juxta ipsos de novo habetur motus, & dispositio atomorum; quæ aliquid saltem modale denuo productum importat ab atomorum substantia omninò distinctum, ut ex alibi dicendis pro modorum distinctione constabit.

Resp. itaque ex Philosopho Peripatetici non fieri formam, sed compositum: & quia huius materia præsupponitur, generatio non ex nihilo fit, sed ex aliquo. Quod ut intelligatur, notandum discrimen inter actionem eductivam, qua producitur forma equi v.g. & creativam, qua producitur anima rationalis. prima habet

ponere formam in subiecto. quare non sistit in forma, sed per eam intendit totum, n. 3. equum, qui propterea per eiusm. actionem dicitur absolute, & simpliciter fieri: quemadmodũ & actio productiva intellectionis non solam quærit intellectionem, sed ulterius illam copulat intellectui, ut faciat intelligentem; quare intelligens, non intellectio est finis, ac terminus actionis. At vero actio animæ creativa animam petit, non hominem, qui pertinet ad actionem generativam; unde anima per eiusmodi actionem illud esse adipiscitur, quo possit se sola permanere: quod formis materialibus non contingit. Hinc jam ad argumentum dicimus, quod licet forma etiam dicatur aliquo modo fieri, fit tamen simpliciter non ipsa, sed corpus. at vero principium illud verum est, imò etiam per se verum, ut alibi contendam, si intelligatur de termino per actionem ultimatè intento, adeoque simpliciter facto; falsum, & per se falsum, si de quocumque non ultimato; quod diximus fatendum etiam ab adversariis.

Urgebis, negari in hac sententia non potest, quod forma in aliquo sensu verè fiat, & quidem ex nihilo sui. neque enim approbanda quorundam veterum Peripateticorum figmenta nescio quas formæ incoationes in materiæ sinu latentes agnoscentium. Jam verò hinc fieret, ut naturale agens posset pariter materiam ipsam producere. Quod enim potest in effectum perfectiorem, à fortiori potest in imperfectiorem: forma autem perfectior est materia. ex quo sequitur, ut possit totum ex nihilo compositum, adeoque creare.

Negamus sequelã; modus enim producendi per creationem, quo uno potest effici materia, est adeo perfectus, ut quamvis imperfectissimus sit terminus, qui creatur, arguit tamen in producente maiorem creata perfectionem. hoc quidem qua ratione probetur, non est huius loci.

Obiic.

Obiic. 2. ars humana quam multa, quam varia perficit artefacta, corporibus dumtaxat diversimode dispositis, & ordinatis, ut videre est in sculptura, pictura, & sim. At Deus, & natura potentiores sine dubio sunt. poterunt ergo sola atomorum combinatione diversa mirabiliores effectus præstare, totamque rerum universitatem hac una ratione distinguere.

Resp. excellentia naturæ, quæ Dei est ars, suprà artem creatam in hoc habetur, quod illa ponit entia, quæ sui motus principium in se habent: hæc vero huiusmodi entibus dumtaxat utitur: & mirabilia perficit non efficiendo, sed adhibendo principia aliunde supposita. Quidquid autem sit, an possit aliquod universum ex sola atomorum dispositione varia componi, ac distingui (quo genere arguendi nihil aptè pro Atomistis concludi potest, cum possibile nihilòminus sit universum Peripateticè constitutum; hoc autem sit plane perfectius, Deoque authore dignius) in hoc certè, quod ob oculos versatur, tot sunt argumenta probantia novam in qualibet eius parte produci, haberique substantiam, quæ intrinsecum sit principium operandi, & non sola corpusculorum transpositione id præstari, ut, si fortè in ipsa assertione fallimur, in assertionis certe probabilitate ingenti excessu adversariam superante falli non possimus. Eiusmodi autem indicia in artefactis nulla sunt.

Obiic. 3. Unumquodque componitur ex iis, in quæ resolvitur. atqui omnia resolvuntur in atomos; ergo omnia componuntur ex atomis. min. constat inducendo; elementa enim resolvuntur in minimas partes, ignis v. g. in scintillas, aqua in guttas, terra in pulvisculum: mixta vero in elementa, adeoque tandem in atomos.

Resp. omnia resolvi in atomos in resolutione integrali, secus in resolutione essentiali, quæ

fit per substantiæ præsuppositæ destructionem, nulla sæpè facta atomorum dissolutione, ut est videre in animalium morte.

Obiic. 4. totum hoc Universum nihil est aliud, quàm partes materiales à divina sapientia dispositæ, & ordinatæ. ergo omnia pariter corpora non sunt aliquid præter suas cuiusque partes ita, & non aliter combinatas.

Dispar est ratio de universo, quod est totum per aggregationem, ac de partibus ipsius, quæ sunt composita per se. his ergo concedenda fuit propria forma, cui operationes tribuerentur, tamquam internæ origini. hac posita, nihil fuit opus universo specialem formam ingerere; tum quia non possunt naturalia omnia unam simpliciter naturam constituere. tum quia particulares naturæ satis efficiunt principium ordinativum universi; si enim unaquæque suum locum obtineat, quem propriis viribus potest, mundus satis intelligitur ordinatus. non ergo addenda fuit specialis mundo forma.

Obiic. 5. cum Bassone. si forma daretur in composito naturali tamquam principium proprietatum, eadem esset principium suæ corruptionis, tenderetq; sua sponte in suam perniciem, & interitum. experimur enim multa corpora facillimè igniri, ut cernere est in oleo, pice, sulphure, & sim. ista autem facilitas unde, nisi à forma, esset? ergo forma facilitaret suam corruptionem, atque adeo in eam tenderet: quod repugnat naturæ.

Sed aliud est, quod forma faciliter suam corruptionem, aliud, quod in eam inclinet. facilitas est exigua resistentia propter qualitates accedentes ad proprietates ignis. at verò inclinatio est positiva propensio, & appetitus, qui nullus est, aut esse potest in forma ad sui corruptionem. Et quidem duo ista omninò distingui manifestissimum est ex communi sensu. animal enim facile vulneratur; nec tamen vulne-

ratur sine resistentia, violentiaque naturæ. multi propter ingenii imbecillitatem facile convincuntur, nec propterea libenter. Idem dicimus in quibusdam formis contingere, quod licet parum resistant contrariis agentibus, non idcircò ad interitum à natura inclinantur.

Ob.6.cum Magnano c.1.Phil.nat.prop.5.n.32. sine forma Peripatetica evidens est posse fieri compositum essentiale. ergo forma Peripatetica non est forma constituens compositum essentiale. antecedens prob. possunt enim ex omnibus elementis sumi certæ portiones, eæque invicem componi vinculo naturali; tum impediri saltem à Deo nova productio Peripateticæ formæ. hoc certè compositum ex solis partibus elementaribus certa ratione combinatis esset physicum corpus naturale ex elementis ut materia, ex earum proportione ut forma constans. ergo evidenter licet concludere, non formam Peripateticam, sed atomorum elementarium proportionem esse corporis naturalis formam.

Mirum mihi accidit, hominem cæteroqui doctum argumento tam debili nomen evidentiæ, ac demonstrationis aptasse. Illud certe ad summum probat possibile esse compositum naturale ex solis constans elementis tali proportione commixtis, qualia dicimus Peripatetici esse mixta imperfecta: sed ita esse de facto corpora omnia naturalia, non solum non ostendit, sed neque suadet, nos vero oppositum huc usque non dico demonstravimus, sed ita probavimus, ut non plus sit probabilitatis (modeste dicam) in opposita, quàm in nostra sententia, utcumque eam uno spiritu diffiare tamquam ineptam, metaphysicam, inintelligibilem totis viribus contendant, jactentque Atomistæ. Et ut intelligat hic author, quantæ sint in ista sua demonstratione vires, eam sic Atomisticæ sententiæ improbandæ accomodo:

Sine combinatione partium elementarium evidens est posse fieri compositum naturale. ergo ea non est forma compositi naturalis. antecedens prob. si enim intelligas materiam primam cum forma substantiali exigente certas proprietates, quales sunt in homine materia, & anima, intelligis completam naturam physicam constitutam ex principio passivo, & activo motus. ergo intelligis verissimum compositum naturale.

QUÆSTIO SECUNDA

De Materia.

Superest jam, ut singula principia enucleatius evolvam. primum autem locum materia sibi jure merito vendicat; nam & imperfectior est forma, eamque naturaliter præit, ut substratum, fundamentum, & subiectum commune physicarum generationum, atque adeo quà naturæ, quà doctrinæ ordine prima est.

CAPUT I.

An sit, & quid sit materia.

NOmine materiæ venit commune generationum subiectum idem manens ingenito, quod fuerat in corrupto. Dividitur in primam, & secundam: quæ divisio non est, nisi duplex eiusdem materiæ acceptio; si enim ea sumatur in nuda sua entitate incompleta, dicitur materia prima; si verò veniat sub quantitate, & qualitatibus ad certam formæ speciem disponentibus, dicitur materia secunda. quamquam non desint, qui hoc nomen toti tribuant

fuæ in se accidentia recipienti. Præsens hic labor circa primam materiam totus erit.

Sententia est non modo Peripatetica, sed & omnium, quotquot sciam, melioris notæ Philosophorum dari materiam primam, partem scilicet subiectivam, & materialem rerum omnium physicarum. Ratio est ex ipsis rerum transmutationibus quotidiana experientia notis; nam & ligna transeunt in ignem: ex semine fit vivens, ex vivente cadaver, ex hoc elementa, quæ rursum abeunt in mixta, & acta in gyrum perenni vicissitudine naturam alternant. Dum ergo ex uno corpore aliud gignitur, aut prius ex toto interit, aut aliquid ipsius manet in genito. hoc secundum si detur, datur materia prima communis genito, & corrupto. primum admitti non potest; aliter nec mutatio esset, nec generatio in natura, sed creatio: quæ quidem vel esset à solo Deo, nullam conferente vim effectricem inferiori naturæ: & hoc est inopinabile alibi reiiciendum. vel esset à naturali agente: & hoc pugnat principio per se noto, quo ex nihilo fieri per naturam Philosophi omnes hactenus asseverarunt, ut constabit in metaphysicis.

Conf. ex mutationibus accidentalibus, & artificialibus, in quibus certo certius est aliquid commune permanere; quis enim inficietur eandem esse manum, quæ ex calida fit frigida, idem marmor, quod ex non figurato fit figuratum? idem verò dicendum videtur in mutationibus, quas substantiales appellamus; utrobiq; enim experimur mutationem fieri ex aliquo præsupposito.

Dices, necessariam esse materiam præsuppositam, ut ex ea fiat novum ens naturale, non tanquam ex aliquo subjectivè prærequisito, sed solum initiativè, & ut termino, à quo motus & in hoc secernitur à creatione generatio quod illa ex nullo fit termino positivo: hæc

verò supponat positivum expellendum, ac destruendum.

Hanc responsionem evidenter redarguit Scotus 7. met q 2. ex hoc enim secundò, quod admittitur in agente generativo, sequitur à fortiori illud primum, adeoque fit, ut generans possit creare. quandoquidem agens, quod in sua virtute continet effectum integrum, non minus, imo magis illum producet, quamvis non præsupponatur aliud, quod non est natum juvare, sed retardare virtutem agentis. sic calidum potens calefacere passum frigidum, à fortiori poterit calefacere non frigidum, cum frigus non juvet, sed impediat actionem calidi. videtur autem ex terminis impossibile, ut virtus debilitetur, aut impediatur per solam ablationem impedimenti. Atqui juxta hanc hypothesim agens in sua virtute totum effectum continet; per materiam verò destruendam, adeoque pure resistentem actioni retardatur, ac debilitatur, saltem nullatenus juvatur virtus activa.

Probata jam materiæ existentia, inquirenda est ejus quidditas, Dupliciter materiam Aristoteles definit. primo negativè per id, quod ipsa non est, 7. met. t.8. sic. *Dico autem materiam, quæ per seipsam neque quid, neque quantum, neque aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur: est autem quidpiam, de quo horum singula prædicantur*. Sensus est, quod materia non sit ullum ens prædicamentale, & completum in actu, sed solum in potentia. & hoc est quod dicimus eam esse puram potentiam, quatenus excludit ab essentia sua omnem physicum actum, quo ens, & corpus naturale in sua specie reponitur. quia verò materia est corporis constitutiva, de ipsa, in quantum non ipsa, sed totum, omnia demum prædicamenta dicuntur prędicatione non essentiali sed denominativa.

Ve-

Verum ne sit errandi occasio, adverto Philosophum in hac ipsa definitione negare simul, & concedere materiam esse quid; dicit enim primò, quod materia non est quid: concludit deinde, quod est quidpiam; imò in Græco textu est idem τι negatum, & concessum, sed in alio sensu negatum, in alio concessum. negatur esse quid completum, hoc est totam, adæquatamque substantiam. conceditur esse quid incompletum; & indifferens ad omnia, atque adeò non tollitur ab ea omnis quidditas, ut Thomistæ nonnulli volunt, sed contenditur quidditatem materiæ propriam esse indifferentiam ad omnia.

Secundò positivè materia definitur. 1. Phys. t. 82. hoc pacto: *materiam dico primum uniuscuiusque subjectum, ex quo fit aliquid, cum insit per se, & non secundum accidens: & si quid corrumpitur, in hoc abibit ultimum*. Sensus est; materia est subjectum non quodcunque, sed primum omni formæ, tum substantiali, tum accidentali substratum, ex quo aliquid, hoc est substantiale compositum (accidentale enim non aliquid, sed quale aliquid nuncupatur) intrinsecè, & in facto esse constituitur. quæcumque demum substantia destruatur, sola materia per se, & universaliter manet; quo materiæ incorruptibilitas denotatur.

Ut autem plenius natura materiæ teneatur, explicanda est universalissima notio subjecti, sub qua materia obtinet primitatem. Equidem hanc rem (quidquid pro ea atrocius, quam par est, Recentiores digladientur) reputo nec difficilem, nec obscuram, si communem dumtaxat sensum attendamus. Dico igitur, rationem subjecti importare rationem entis imperfecti participativi alicujus perfectionis intrinsecæ, ad quam reducitur, ac determinatur ab aliquo agente. Et quidem nihil tritius apud Philosophos, quam materiam, seu subjectum

habere rationem perfectibilis; formam verò & actum rationem perfectivi. Rursus perfectio, ad quam ordinatur, intrinseca sit oportet: quæ est ratio, cur humanitas in Christo non sit subiectum Deitatis, à qua perficitur ut per terminum extrinsecè dumtaxat licet reali, & physica unione afficientem. Ex ista autem subiecti imperfectione oritur, ut ipsum quà tale non possit se reducere ad debitam perfectionem, sed indigeat agente, quod sit in actu. Unde Philosophus 9. met. t. c. 2. *Potentia*, inquit, *patiendi aliqua est, quæ in ipso patiente principium est transmutationis ab alio, prout aliud est*. ex quo veritatem illius principii, omne quod movetur, ab alio movetur, alibi conficiemus. Postremo istiusmodi notio videtur unicuique manifesta; colligi enim ab experientia nostrarum vitalium potentiarum, quæ suis operationibus perficiuntur. quare subiecti rationem potentiæ, formæ operationes habent.

Duo occurrunt momenti alicujus, quæ in contrarium opponi possunt. Primum est, tam materia perficitur per formam, quam forma per materiam; utraque enim est quid incompletum, & ulterius complebile per compartem: omnis autem complebilitas est perfectibilitas. ratio igitur subjecti non satis explicatur per esse perfectibile, quod commune est formæ. Secundum est. Quædam accidentia imperficiunt potius subiectum, quod afficiunt, ut error intellectum, peccatum voluntatem, calor aquam, &c. in ordine autem ad has formas servatur ratio subiecti, & non ratio perfectibilis. ergo ratio subiecti non est ratio perfectibilis.

Resp. ad primum negari non posse, aliquo modo formam à materia perfici; simpliciter tamen dici debet, materiam perfici à forma, non è converso. Ratio est, quia tota perfectio,

quam.

quam sibi invicem communicant partes, est in ordine ad totum, quod componunt. cum ergo forma sit, quæ affert toti nobiliora prædicata; materia verò tantum ignobiliora; vix enim aliud invenies, quod sit proprium materiæ, præter rationem materialis, & corporei, cuius est in materia fons, & origo; hinc fit, ut perfectio adscribatur formæ, perfectibilitas materię. Ad hæc nomen ipsum passi, & subiecti imperfectionem explicitè importat: secus nomen activi, & actus, cujus est ex sua perfectione alterum sibi subiicere, & in eo veluti dominari. Idem proportionaliter dicendum de substantia relatè ad formas accidentales; quamvis enim substantia perfectior sit accidente, maior tamen ista perfectio venit materialiter, & solum de formali se habet limitatio, ulteriorque promovibilitas ad aliud, & aliud esse; adeòque expresè semper significatur perfectibilitas, & imperfectio. Præterea dicitur perfici substantia ab accidentibus, non contra; quia perfectio accidentium ordinatur ad substantiam, non contrà; est enim accidens entis ens. sic in simili vestis hominem ornat, non homo vestem, quia vestis ordinatur ad hominem, non homo ad vestem.

Ad secundum sunt qui respondent, omnia accidentia esse perfectionem substantiæ, sed non omnia eodem modo; adhuc enim intellectus perficitur per errorem, & voluntas per peccatum, quia adhuc errando intellectus fertur ad verum, & voluntas peccando ad bonum saltem apparens. Reverà tamen negari non debet, subjecta sæpè per formas absolutè imperfici, licèt aliqualiter perficiantur. dicendum ergo subiectum definiri per id, quod est in eo præcipuum, & primum, quod est esse perfectibile, sicuti in causa definitur peresse productivum, licèt possit quādoque subiectum imperfici, ut potest causa aliquādo destruere, & quéad-

modum

modum conceptus causæ satis explicatur per vim productivam, quamvis simul habeat vim destructivam, quia hæc sequitur illam; cùm ejus sit destruere, cujus est producere: ita conceptus subjecti sufficienter reponitur in perfectibilitate, quamvis, & imperficiatur non rarò; hoc enim ad illud consequens est, cùm ejusdem sit posse imperfici, cujus est posse perfici.

Ex hactenus dictis de natura materiæ deducitur primo, eam ingenerabilem esse, & incorruptibilem. Ratio est facilis ex propria ratione primi subjecti omnium naturalium transmutationum, quod quidem si subjaceret actioni generativæ, & corruptivæ naturalis agentis, fieret, ut physicum agens posset creare, ponendo totum secundum omnem sui partem, & posset annihilare tollendo omnem partem totius. Præter hæc materia si subjectum est primum, est item subjectum simplex: quod est certe necessarium, ne sit in compositis progressus in infinitum. Jam verò cum ex nullo subjecto materia constituatur, si ab agente naturali produceretur, ex nullo subjecto præsupposito fieret; si destrueretur, in nullum subiectum desineret. atqui hoc est materiam creabilem, & annihilibilem esse, non generabilem, & corruptibilem.

Dices ex hoc sequi, ut homo ingenerabilis sit, & incorruptibilis, quia nulla pars ipsius generari potest, aut corrumpi; non enim materia, ut contendimus, non anima, ut fide constat. Neque fit satis dicendo corrumpi hominem sola partium separatione; ità enim materia etiam corruptibilis foret, cujus partes sine dubio separabiles sunt.

Hęc instantia ut sit difficilis in communi sententia, in mea certè nulla est. respondeo enim illud solum divisibile in partes corruptibile esse, quod partium unionem includit tanquam ali-

aliquid essentiæ suæ constitutivum. at verò integralis unio non constituit essentiam materiæ, sicuti unio inter animam, & corpus constituit hominem; posse enim esse, & intelligi materiam sine ulla integrali unione suo loco ostendam: non sic hominem sine unione partium physicarum.

Deducitur secundo, materiam non modo esse incorruptibilem, sed etiam inannihilabilem naturaliter, & annihilabilem solum miraculosè, & violenter. Prob. quia materiæ annihilatio non esset, nec esse posset ad ullius naturæ exigentiam; neque enim ipsius materiæ, ut est manifestum: neque alterius; destructio enim cum sit malum naturæ, à nulla natura per se exigitur, sed solum per accidens. at ne per accidens quidem posset materiæ destructio intendi; quodcumque enim generatur, tantum abest, ut materiæ destructionem trahat tamquam alicujus incompossibilis, ut potius materiam necessariò supponat, tanquam id, ex quo est.

In oppositum est hic paralogismus. Per materiæ annihilationem nulli naturæ infertur violentia; maximè enim deberet inferri materiæ ipsi: hæc autem destructione nullam patitur violentiam; quia in instanti, in quo ultimò est; tunc enim nihil adhuc mali est passa; neque in instanti, in quo primo non est; quod. n. non est, pati violentiam non potest, cum non habeat exigentiam ullam, ut conservetur, quæ scilicet ab ipsius esse non distinguitur.

In primis hoc argumento invertuntur communes sensus; quis enim negare ausit, hominem, aliudvè animal per occisionem perire violenter? argumento autem probatur nullam destructionem esse posse violentam. Resp. igitur in utroque instanti materiæ violentiam inferri. in primo quidem; quia tunc fraudatur decreto ulterioris conservationis; exigit enim

tunc

tunc, ut Deus velit ipsam in posterum conservare, & Deus tunc habet destruendi deinceps voluntatem; in secundo autem; quia spoliatur existentia debita. neq; obstat, quod tunc ipsa non sit; quia nec debet, nec potest esse, ut hoc genus violentiæ per existentiæ scilicet privationem patiatur.

CAPUT II.

Sit ne sua materia essentia, & sua existentia.

PRæsentem controversiam, quæ non multum mihi videtur habere momenti, celebrem fecit ultra meritum discordia Thomistarum à reliquis. Hæc mihi jam resolvenda: & quia iisdem ferè principiis tam essentia, quàm existentia materiæ concluditur, & ab obiectis adversariorum defenditur, de utraque simul uno hoc capite agendum constituo.

Verum quia sæpè in hac re usurpantur nomina actus, & potentiæ, ex quorum non recta acceptione paralogizatur non rarò, distinguendus est duplex actus, & duplex proportionaliter potentia. Actus quidem universim idem sonat, ac perfectio: perfectio autem alia absolutè, & in se talis: alia talis alteri, & respective. hinc actus alius absolutus, quem qui habet, perfectus dicitur: alius respectivus, quem qui habet, appellatur perfectivus. Item potentia, ut actui opponitur, nomen est imperfectionis; & alia est absoluta, quam qui habet, dicitur imperfectus: alia respectiva, quam qui habet, dicitur non imperfectivus (hoc enim pertinet ad actum & formam) sed perfectibilis intrinsecè.

Distinguitur etiam communiter potentia in subiectivam, seu physicam, & obiectivam, seu logicam: in qua distinctione non video, quid displiceat Thomistis præter voces, quæ Sco-

tum

tum habent authorem ; de re enim nulla potest esse contentio . secundi generis potentia est, in qua sunt res omnes ante , quam sint , & non distinguitur ab ipsa rei cuiusque non repugnantia , & possibilitate ad existendum . dicitur autem obiectiva, quia nihil est in esse intrinseco rei , sed solum in esse extrinseco objecti . Primi generis potentia cadens in rem dumtaxat existentem adhuc est duplex, passiva , & activa. prima opponitur actui , & confunditur cum potentia respectiva , seù perfectibilitate intrinseca , qua res quælibet ordinatur ad propriam intrinsecam perfectionem . altera propriissimè est actus. Potentiæ huic duplici duplex actus opponitur ; obiectivæ enim correspondet actus entitativus , qui est ipsa rei entitas actualis , & posita extrà causas per physicum agentis influxum , subiectivæ , in quantum ad solam passivam contrahitur, correspondet actus formalis, qui est intrinsecum ipsius bonum , & perfectio .

§. I.

Suus decernitur materia essentia actus.

DIco 1. materia suam habet entitatem adæquate distinctam ab entitate formæ, adeoque non est sua entitas per formam . Videtur propositio omnibus Peripateticis certa .

Et sanè materia prima aliqua entitas est; dicitur enim primum subiectum , quod inest ; non potest autem inesse , quod non est . ergò materia est , aut saltem est materia , adeoque habet entitatem suam , per quam est potius materia , quam forma , aut aliud quodvis . Rursus materia ponitur , ne entia naturalia fiant ex nihilo . materia ergò non est nihil; habet proindè entitatem , & est ens ,

Quod autem ista entitas sit à forma adæquatè distin-

distincta, constat primo ex ratione principii, cujus est non fieri ex alio. constat secundo ex separatione materiæ à singulis formis, quas successivè recipit, ac deperdit. quod si formæ materiam constituerent, destructis formis, materia non staret; quia non stat constitutum, pereuntibus constitutivis. Atque hinc demum consequens est, materiam non esse suam entitatem per formam; idem enim est, per quod res habet esse, & unum esse, & distinctum esse. quarè sicuti per formam non potest materia distingui ab ipsa forma, ità nec per formam constitui in suo esse distincto à forma.

Hoc idem expressit Philosophus tum 2. phys. t. 10. ubi ait, materiam esse naturam, & formam naturam, sed aliter materiam, & aliter formam: esse autem naturam cadere non potest, nisi in id quod est ens. tum 1. phys. t. 66. ubi distinguit materiam à privatione: quia scilicet, ut exponit ibi Commentator, materia secundum quod est materia, numeratur in entibus, quod non est in privatione.

Dico 2. materia suam aliquam habet perfectionem distinctam à perfectione formæ, adeoque non quidquid est perfectionis in materia est per formam.

Prob. 1. omnis entitas ex suo conceptu perfectio est; quia entis propria est bonitas, quæ cum perfectione convertitur. at materia ex dictis habet suam entitatem, & non per forma. ergo habet suam perfectionem, & non per formam. 2. compositum ex materia, & forma est quid perfectius. quam sola forma, ut finis perfectior est eo, quod est ad finem. ergo forma non est tota perfectio totius, sed aliquid etiam perfectionis calculat materia supra formam. 3. Ratio substantiæ est ratio perfectionis. atqui materia est intransitivè substantia, aut saltem substantialis, aliter totum non esset substantia, quæ non componitur ex non substantia. ergo im-

importat propriam in sua entitate perfectionem.

Quartò si materia quidquid perfectionis habet, per formam habet, tota perfectio materiæ erit forma. hoc autem si detur, jam fit manifestè, ut agens naturale in sua virtute materiam contineat, adeoq;ut possit illam producere: quod sic ostendo. Agens, quod in sua virtute productiva continet totam perfectionem effectus, continet ipsum effectum in sua virtute, adeoque potest illum producere. Sed agens naturale continet in sua virtute formam, quæ est tota perfectio materiæ, adeoque continet totam perfectionem materiæ. ergò continet in sua virtute materiam, & potest illam proinde producere. minor ex parte, qua potest dubitari, est doctrina adversariorum. major constat; causa enim ut possit effectum producere, non debet continere imperfectionem effectus, sed solam perfectionem, ut videre est in Deo potente omnia producere; quia omnium perfectionem eminenter complectitur, & nullam imperfectionem. Hoc totum asseritur à D. Th. 3. contra Gentes c. 20. & 1. p. quæst. 14. art. 11. ad 3.

Dico 3. materia habet suam essentiam actualem, adeoque habet actum essentiæ, seù actum entitativum.

Hæc conclusio præcisis vocabulis, manifestè sequitur ex iam statutis. Et quidem quod materia habeat essentiam, videtur jam probatum, dum probatum est suam esse materiæ entitatem; nihil enim aliud venit apud omnes, quos ego sciam, essentiæ nomine, quam rei entitas, & natura, quæ per sua prædicata explicari, & definiri potest; per quam res est id, quod est, & non est id, quod non est: & à qua emanant passiones aut physicæ, aut metaphysicæ. sed sua materiæ entitas hæc omnia ipsi præstat; est enim ea definibilis, ac per eam materia in suo esse

esse materiæ constituitur; ab ea demum emanat tum incorruptibilitas, quæ est passio metaphysica, tum quantitas, quæ est passio physica. habet ergo entitas materiæ, ut sit rigorosa essentia materiæ.

Neque dicas, essentiam rigorosam eam esse, quæ genere constat, ac differentia rigorosis. nam primo id verum non esse, patet in Deo; cui ex communi loquendi more essentia tribuitur, non tamen genus. Deinde hoc idem habet materiæ entitas; est enim substantia incompleta: in quo ut in genere convenit cum forma: & est potentialis: per quod ut per differentiam discriminatur à forma. Et sanè huic prædicato distinctivo materiæ conveniunt omnes definitiones differentiæ à Porphyrio allatæ, & communiter admissæ, ut facile cuique patebit experiri volenti. Atq; hoc voluit Comment. dum ait, materiam substantiari per posse, hoc est, materia in sua substantia, & essentia per ipsum posse constitui, ut per atomam differentiam.

Hinc autem fit prætereà suum esse materiæ actum essentiæ, seù entitativum. vel enim nomine talis actus intelligitur essentialis, & entitativa perfectio; atq; in superiori conclusione materia ostensa est in tali actu constituta, vel intelligitur ultima differentia metaphysica, qualis est in homine rationalitas: atque hanc inesse materiæ, non aliam tamen, quam ipsam passivæ potentiæ rationem, consequens est ex modo dictis. itaque quid negent adversarii, dum materiæ actum essentialem negant, non video: damus enim libenter, solam rationem potentiæ esse materiæ distinctivam; atque ità materiam puram passivam potentiam nos etiam appellamus: contendimus tamen hanc potentiam physicam esse simul actum metaphysicum, quia comparatur ad rationem superiorem incompletæ substantiæ, ut determinativum

ad.

ad suum determinabile, adeoque ut actus ad suam potentiam metaphysicam.

Quod verò hic minantur quidam ex adversariis, futurum scilicèt, ut materia in actu essentiæ constituta sit ens completum, & totalis substantia, ac proindè incapax, ut cum forma unam per se substantiam componant; vacuum omninò timoris est. Primò enim peto, quid sit, quod cum eadem prædicata nos materiæ tribuamus, quæ ipsi tribuunt Thomistæ, varietur natura materiæ, si tantum ea appellentur genus, & differentia? neque enim puto nos inter, & ipsos esse aliud, quam unius appellationis discrimen. Scio tamen, quid eos ad hæc vocabula ablegandа compulerit; si enim actum essentiæ materiæ concedant, vix & ne vix quidem paritatem solvent ab actu essentiæ ad actum existentiæ ductam; si enim hic, ille etiam actus natus est violare unum per se, quod ex actu, & actu constare non potest.

Deinde conati quidam sunt reale discrimen nostram inter, suamque sententiam assignare: ajunt ergo genus, & differentiam rigorosam requirere distinctionem ex parte objecti inter prædicata, quæ hujusmodi logicas denominationes accipiunt. quare in homine animal, & rationale genus sunt, & differentia propter mutuam obiectivam distinctionem; at in materiæ prædicatis nulla est in re distinctio; adeoque nec subeunt generis, ac differentiæ rationem. Multa sunt, quæ in hoc dicendi modo legenti displicebunt. Unum ego afferam, quod publicè disputans aliquando proposui. Imaginemur duplicem materiam, alteram cum prædicatis obiectivè distinctis. alteram cum iisdem omninò identificatis haac secundam putant adversarii aptam, quæ simul cum forma, ut pars cum comparte, unum substantiale componat: prima habet per ipsos rationem totius completæ quidditatis, adeoque inepta ad com-

componendum est: ex quo fit, ut prima perfectior sit, quam secunda, ut completum ex genere perfectius est incompleto. hoc autem esse impossibile sic ostendo. non potest A esse perfectius B præcisè ex hoc, quod A dicit imperfectionem, quam B excludit, ut est evidens ex terminis. atqui si prior materia cum prædicatis distinctis esset completa, esset perfectior posteriori habente prædicata identificata præcisè ex eo, quod prior haberet distinctionem in prædicatis, adeoque limitationem, & imperfectionem, quam excluderet posterior. ergò prior materia non est completa.

Demum arguo ad evertendum fundamentum illud Thomistarum, quod unum scilicèt per se constare debet ex actu, & potentia in suo genere perfectissimis. Actus componens unum per se non debet esse in omni ratione perfectissimus ità, ut excludat omnem potentiam. ergo potentia non debet esse in omni ratione potentia; ita ut excludat omnem actum. consequentia est bona; tam enim vitiat rationem unius per se defectus in actu secundum rationem actus, quam defectus in potentia secundum rationem potentiæ; quia tam repugnat unum per se constitui ex actu, & actus, quam ex potentia, & potentia. prob. antecedens. forma substantialis nec in ratione actus absoluti, nec respectivi est purus, & perfectissimus actus, sed solum est purus actus comparativè ad materiam. non est purus actus absolutus; esset enim Deus, qui unus est perfectio excludens omnem imperfectionem. non est purus actus respectivus; quia ità perficit materiam, ut à suis accidentibus, & operationibus ipsa perficiatur. sicuti ergò satis est in forma ad constituendum unum per se, si sit purum materiæ perfectivum; ità satis est in materia, si sit purum à forma perfectibile. Atqui cum actu entitativo absoluto, quem materiæ concedimus, stat, quod sit pu-

ra potentia respectiva, cum hæc ipsa sit materię differentia, & metaphysicus actus, ergo actus materiæ entitativus nihil lædit rationem unius per se.

§. II.

Ostenditur, materiam suam habere existentiam.

DIco 4. materia prima habet suam entitatem in actu acceptam à Deo per actionem creativam.

Prob. materia habet suam entitatem adæquatè distinctam ab entitate formæ, ut probatum est in prima concl. sed hanc entitatem non habet in pura potentia obiectiva. ergò eam habet in actu opposito tali potentiæ. min. est evidens; quod enim est in pura potentia objectiva, nihil est. sed materia secundum se spectata, & antecedenter ad formam non est nihil; aliter naturalia agentia efficerent ex nihilo. ergò non est in pura potentia obiectiva. Hoc idem expressè docuit D Th. 1. p. quæst. 46. art. 1. ad 1. ubi distinguit passivam potentiam materię contrà potentiam illam, qua possibile dicitur in potentia ad esse per solam habitudinem, & non repugnantiam terminorum. supponit ergo materiam esse entitatem aliquam actualem, prout actualitas idem sonat, ac vis verificandi propositiones absolutas, & categoricas de inesse. Et Comment. 3. cæl. com. 29. vult omnem potentialitatem passivam in aliqua actualitate fundari.

Dico 5. materia prima habet suam existentiam contradistinctam ab existentia formæ. Ita D. Th. apud Alamannium 1. secundę partis summę philosophicæ q. 3. ar. 2.

Prob. materia habet suam entitatem actualem acceptam à Deo per creationem, & à formæ enti;

entitate contradistinctam. ergo habet suam existentiam à formæ existentia pariter distinctam. consequentia prob. existentia est illa forma, seù ratio, qua res intelligitur actu extrà statum meræ possibilitatis, & vi cujus habet, ut verificet non solum hypotheticas, verum etiam absolutas, & de inesse categoricas propositiones. neque vero alius existentiæ conceptus excogitabilis est. atqui hoc totum præstat materiæ sua entitas actualis à Deo per creationem accepta. ergo illa est materiæ existentia; ac proinde tam est certum materiam habere suam existentiam, quàm suam entitatem.

Conf. nulla res potest poni extrà nihil per formam, quæ ipsam supponit necessariò positam extrà nihil. atqui forma substantialis, eiusque existentia supponit materiam in priori positam extrà nihil. ergo non potest materia existere per existentiam formæ, sed necessariò existit per suam. maior est evidens; ponere enim formam ad præstandum formalem effectum in priori necessariò præsuppositum est ponere aliquid essentialiter supervacaneum. min. prob. nulla forma ponit, sed supponit suum susceptivum in rerum natura; quia forma non potest dare subjecto, ut possit subiici, ac perfici, hoc est, non potest dare subjecto, ut sit subjectum, sed supponendo subjectum perfectibile, ac receptivum, afficit, ac perficit illud in actu. De ratione autem ejus, quod perfici potest, ac recipere, est, ut sit extrà nihil, & jam positum actu in rerum natura; quia, quod non est, non potest esse formæ alicujus realis aptum susceptivum. forma ergò supponit materiam è nihilo extractam; adeoque ejus existentia in materia recepta non est, nec potest esse ratio, qua materia formaliter existat.

Hæc ratio non solum probat in suppositione iden-

identitatis omnimodæ essentiam inter, & existentiam, sed etiam valet ad inducendam veritatem conclusionis simul, & suppositionis. sed age quid dicendum, facta suppositione realis distinctionis inter essentiam, & existentiam?

Equidem ab hac suppositione penitus abstineo, quia illam reputo ineptam, ac repugnantem in adiecto, quæque adeo ea sit, cui responderi non possit, nisi per utramque simul partem contradictionis; quod ut ostendam.

Adverto, sæpè in Philosophia, atque etiam Theologia adhiberi suppositiones impossibiles, quæ tamen aptæ sint, & utiles ad indagandam prædicatorum naturam, & connexionem, ac veritates categoricas eruendas. non tamen omnes sunt huiusmodi, sed discernendæ diligenter sunt aptæ ab ineptis: pro quo duplicem regulam statuo. Prima est: ut suppositio sit apta, debet prædicatum licet repugnans relinquere formalem, & propriam rationem subiecti; si enim hæc non manet, non manet subiectum, de quo possit formari quæstio: ut si ponatur, quod homo non est risibilis, adhuc manet homo, de quo inquiri posset, utrum esset animal. sed si ponatur, quod homo non sit rationalis, homo non manet; adeoque nihil potest ulterius quæri, idem dic, si ponatur, quod homo non esset ens.

Secunda est. quamvis ex omni hypothesi impossibili sequatur utraque contradictionis pars; debet tamen attendi, an utraque sequatur ex utralibet parte, seù termino hypothesis. utraque quidem sequitur; cum enim hypothesis includat incompossibilia, aliud ex uno, aliud ex altero hypothesis termino concluditur; adeoque si tota hypothesis consideretur, semper ex ea sequitur impossibile illatione, ut dicitur, mixta: sed non semper sequitur, si consideretur solum subiectum, aut so-

lum prædicatum hypothesis. si exemplum. fiat ista quæstio, si Angelus esset animal, esset ne corporeus, an incorporeus? certè ex tota hypothesi utrumque sequitur; subiectum enim infert incorporeitatem illatione materiali; prædicatum trahit corporeitatem illatione formali; ad quam quia unicè attendi debet, quæstio ista utilis est, & æquivalet huic categoricæ, utrum omne animal sit corporeum. At si ex solo hypothesis prædicato utraque pars contradictionis deduceretur, quæstio nulla esset; ut enim egregiè Aureol. in 1. d. 11. art. 2. *illud non est disputabile, nec cadit sub inquisitionem, ad quod necesse est impossibilia sequi* (illatione simplici, & formali) *quia respondens secundum artem dialecticam nihil debet dicere repugnans, ut dicitur* 1. *Top.*

Jam veniendo ad nostram hypothesim, eam ex utroque capite ineptam, inutilemque pronuncio. ex primo quidem, quia conditio illa, si materiæ actualis entitas distingueretur realiter ab ejusdem existentia, non relinquit subiectum quæstionis. omnis enim formalis ratio subiecti sublata tollit subiectum: atqui existentia, & entitas actualis, quæ per distinctionem invicem avellantur, ità comparantur, ut una sit de formali conceptu alterius, imò ut utriusq; sit unus idemque formalis conceptus; neque enim assignabilis est conceptus existentiæ, qui non sit proprius entitatis actualis quà talis: ut in metaphysicis ostendetur.

Ex secundo autem capite ista conditionalis inepta est; si enim ponas, quod materia sit pura potentia passiva nullum in se dicens actum entitativum: tum quæras, an debeat materia existere per existentiam alienam; jam ex parte prædicati hypothesis sumitur, & negatur actus materiæ entitativus; de ratione enim formali puræ potentiæ passivæ, ut contradistinctæ à pura potentia objectiva,

va, eſt actus entitativus; quod mihi eſt ex terminis manifeſtum, quia nullam invenio rationem formalem actus entitativi, & exiſtentialis potentiæ paſſivæ reali non convenientem, atque adeò ſupponitur materiam eſſe, & non eſſe ſuam exiſtentiam, ex quo fit, ut poſſit, & non poſſit exiſtere per exiſtentiam alienam.

§. III.

Solvuntur adverſariorum argumenta.

OBiic. 1. adverſus dicta 1. §. Quod eſt in potentia in ordine ad ens ſimpliciter, non poteſt includere actum entis ſimpliciter; repugnat enim idem eſſe in actu, & in potentia ad idem. At prima materia eſt in potentia ad ens ſimpliciter; eſt enim in potentia ad totum, quod fit ex ipſa: totum autem eſt ens ſimpliciter, quia terminat generationem, quæ in hoc differt à reliquis mutationibus, quod iſtæ ponunt ens ſecundum quid, generatio autem ens ſimpliciter. ergo materia nullum habet actum entis ſimpliciter. *Hæc ratio*, inquit Goudin primæ partis phyſ. diſp. 1. q. 2. ar. 2. *omninò profunda eſt, & juxtà principia Ariſtotelis evidenter convincens.*

Sed reverà eſt ratio ſola nitens æquivocatione; ens enim ſimpliciter poteſt accipi pro ſubſtantia completa; atque ita totum argumentum rectè concludit, ſed nihil contra nos; actus enim ſubſtantiæ completæ eſt ſolus actus phyſicus ſubſtantialis reſpectivus, qualem in materia nullum agnoſcimus, quæ mera eſt, nobis etiam fatentibus, potentia paſſiva. & poteſt ens ſimpliciter ſumi, ut opponitur enti cum addito. ſeù diminuente, ſeù diſtrahente; atque ità falſa eſt minor. neque verò aliquid habet contrà hanc doctrinam aut Ariſtoteles.

qui contrà antiquos id unum contendebat, materiam non esse totam rei substantiam varia solùm figuratione dispositam: aut D. Thom. Opusc.15. c.7. apud eundem Goudin, ubi, *Cum ponitur*, inquit, *materia ens actu, nihil differt dicere materiam, & substantiam rei; sic enim antiqui naturales, qui ponebant materiam esse aliquod ens in actu, dicebant materiam esse rerum omnium substantiam*. quibus verbis manifestè loquitur. S. D. actum physicum; antiqui enim materiam, qualem nos contendimus actu in solum metaphysico, qui sit mera ipsa passiva potentia, non admittebant.

Obiic.2. instando contra datam responsionem. in eo genere, in quo materia est potentia, nullum actum habere potest, ne metaphysicum quidem. quod ostenditur inductione; quia enim lignum, aut æs est in potentia ad Mercurium, non potest actum vel metaphysicum Mercurii in priori ad formam Mercurii habere. Rursus, quia materia est in potentia ad vivens, ad animal, ad hominem, nullum omninò actum in his rationibus continere potest: & si continet, unum per se cum forma non constituit. cum ergo sit in potentia ad totum, quod est substantia, & ens simpliciter, nullum pariter actum sub huiusmodi lineis materia includet.

Resp. materiæ actum esse ipsam potentiam mere passivam, ut dictum est, atque adeo quicumque actus hanc tollit, tollit materiam, & violat unum per se. Actus, seù differentia sub linea entis, substantiæ, & corporis potentiæ passivæ non repugnat; istæ enim rationes explicitè activitatem non important. at verò actus, & differentia sub genere viventis, &c. involvunt activitatem, & prædicatum formæ proprium; in quo proindè si materia constituitur, non erit tantum in actu metaphysico. sed physico: nec erit pars, sed totum.

Ob 3. si suus esset materiæ entitativus actus, sola materia esset substantia, & totum e esset enim ens primum in actu constitutum, cui forma adveniret ut substantiæ jam plenè, ut ità dicam, essentiatæ, & adeoque adveniret ut accidens.

Resp. formam advenire materiæ, ut accidens logicum quidem, non tamen physicum. Ratio est; quia advenit materiæ constitutæ dumtaxat in esse materiæ, hoc est in esse principii passivi, cui addit ipsa principium activum: ex quo fit ut adveniat ad constituendam substantiam, naturam, & primam rem, quæ scilicèt in suo conceptu utrumque principium dicit, passivum, & activum; natura enim completa est adæquatum principium motus. cætera quæ huic naturæ adduntur, accidentia physica sunt; consequuntur enim naturam, non componunt. Hoc ergo est discrimen formam inter, & accidens, quòd hoc advenit naturæ: illa seminàturæ. quare accidens advenit naturæ constitutæ: forma advenit materiæ, ut cum ea naturam constituat.

Obiic. 4. contrà dicta in 2. §. multas rationes conglobatas ex Goudino 1. existentia est actus entis. quod ergo per se non est ens, per se non existit. atqui materia non est ens, nisi tantum incoativè. ergo per se non existit. 2. existentia est ultimus actus entis, qui proindè non competit, nisi enti completo, at materia non completur; nisi per formam, 3. existentia est positio rei extrà omnes causas. sed materia antecedenter ad formam non est extrà omnes causas; quia nondum habet causam formalem. ergo non existit per se, & antecedenter ad formam. 4. existentia est actus perfectior, quam forma. ergò si materia per se non habet actum formalem, à fortiori nec existentialem. antecedens prob. ex Dionysio, qui, teste D. Thoma, vocat existentiam formam for-

formarum, & actualitatem actualitatum.

Resp. ad 1. materiam esse ens incompletum, & in potentia ad ulteriorem in linea entis completionem. existentia autem est actus entis ut præscindentis à completo, & incompleto; quemadmodum enim ens incompletum per se est actu ens incompletum, ità & per se est. Ad 2. nego maiorem; existentia enim est primus actus entis simpliciter, & est fundamentum omnis actus, & perfectionis; quia nulla perfectio competit rei, nisi existenti. Potest tamen, & solet appellari ultimus actus metaphysicè; quia prius concipimus prædicata rei essentialia, in quibus differentia includitur, & deindè actualitatem existentiæ, cum prius ratione sit rem posse esse, quam actu esse. Quod tamen est ultimum in una linea, potest esse non ultimum, sed primum in alia. Ad 3. nolim, ut adversarius imaginetur quatuor causas, quatuor veluti januas, per quas successivè, & ordinatim res ingreditur in esse. esse enim est quoddam indivisibile, quod non potest ex parte acquiri & ex parte expectari. Nego igitur minorem, & additæ probationis suppositum; forma enim substantialis non est materiæ formalis causa existendi, cum hoc habeat quælibet actualis entitas per se ipsam. Ad 4. do antecedens; si sumat existentiam secundùm, merum, ac præcisum conceptum suum; sic enim existere est pura, & simplex perfectio, à qua & forma habet, ut sit forma, unde & dicitur forma formarum, & materia etiam habet, ut sit materia: forma autem de sua ratione est perfectio impura, ordinata ad subjectum, quod perficit, & totum, quod componit. Hinc autem non sequitur à fortiori, ut, si materia non est sibi sua forma, nec sit sibi sua existentia; tum quia pariformiter independentia ab alio, ut à subiecto, utpotè perfectio pura, maior est, quam

for-

forma. nec valet tamen hinc arguere, quod si materia nō est sibi sua forma, nec est sibi sua independentia ab alio, ut à subiecto. Similiter ex eodem capite ratio entis perfectior est ratione hominis; neque valet hinc inferre, quod si equus non est homo, à fortiori non est ens; tum quia aliud est, quod existentia ex abstracta sua ratione formali perfectior sit, quam forma: aliud, quod sit perfectior accepta in concreto, ut est entitas actualis huius rei, quæ est materia. Secundum est falsum, primum est verum, sed non ad rem argumenti; ut enim constat allatis exemplis, potest enti imperfectiori competere ratio, quæ in sua formalitate concepta perfectior sit etiam ultima differentia entis perfectioris; cum enim ea sit ratio utrique communis, adhuc stat excessus unius suprà aliud, quia licet huius differentia non excedat genus, aut quasi genus, excedit tamen differentiam illius.

Obiic. 5. omnia argumenta, quibus materiæ suum actum probavimus, eo præsertim nituntur, quod ante formam non sit in mera obiectiva potentia. atqui hæc deductio nulla est; potentiæ enim obiectivæ non solum actus, sed etiam potentia opponitur; quia ens reale dividitur ex Philosopho in actum, & potentiam. quare cum potentia obiectiva expleatur per ens reale; constat expleri tùm per actum, tùm per potentiam etiam puram.

Resp. etiam juxtà nos potentiam obiectivam materiæ expleri per potentiam, realem tamen, ac subiectivam. verum quia hæc potentia est materiæ differentia, est eiusdem actus metaphysicus, & essentialis; contrahit enim genus substantiæ incompletæ, illudque determinat, & actuat, ut sit potius materia, quam forma, aut totum. Rursus hæc ipsa potentia est actus materiæ existentialis; est enim esse materiæ: quod probo ex hoc ipso quia explet po-

tentiam obiectivam, quæ cum sit indifferentia quædam logica ad esse, & non esse, videtur non posse determinari, nisi vel per esse, vel per non esse, qui sunt actus indifferenter respecti: sicuti indifferentia ad videre, & non videre non determinatur nisi per alterum ex his. Jam verò materiæ obiectiva potentia si est in priori ad formam expleta, certè non per non esse, ergo per esse. quamquam hoc non sit esse actuale, quale competit formæ, sed mere potentiale, passiva, & physica potentialitate, seù receptivitate.

Verùm quia huiusmodi divisionem entis inculcant sæpius Thomistæ, atque ex ea non animadversa, putant nos arguendo paralogizare; lubet in ultima hac parte rem istam penitius investigare. Primum adverto, potentiam, qua Philosophus dividit ens, non esse passivam tantum, qualis est materia, sed multò magis activam, quam, scilicèt vult esse primum in ratione potentiæ analogatum, ut videre est 9. met. t. 2. & seqq. ex quo manifestum est, potentiam non ità dividi contrà actum, ut ex vi divisionis debeat excludere aut realiter, aut etiam formaliter omnem actum; constat enim activum principium formaliter esse actum, quid ni igitur possit principium etiam passivum ex hoc capite aliquem actum includere? Quod ipsum certius mihi est, quia potentia passiva animæ rationalis, ac totius compositi in re compatitur actum; & tamen ista etiam ibi consideratur; imò omnia fere, in quibus passivitas exemplificatur, desumuntur à substantia completa. Demum conficitur ex dictis, quod si ista divisio est entis realis, pugnat, ut potentia dividens sit in omni sensu, & ratione pura; sic enim aut esset chimæra, quæ una est pura imperfectio excludens omne esse etiam possibile: aut omninò nihil, quod unum excludit omne esse actu.

Ob.

Ob. 6. Datur purus actus excludens omnem potentialitatem, qualis est Deus, ergo debet dari pura potentia excludens omnem actualitatem, quæ certè non est, nisi materia. consequentia prob. quia juxtà Philosophum 2. cæl. si datur unum contrariorum in natura, dari debet & alterum: purus autem actus, & pura potentia invicem contrariantur.

Argumento æquè convincitur, dari chimæram; infinitum enim malum contrariatur infinito bono. utrumque ergò dari debet, si alterum datur. atqui infinitum malum, quod proindè includit omne malum, adeoque & possibilitatis negationem, non est, nisi chimæra. nego igitur cons. dictum vero Philosophi, quod in probationem adducitur, verum est de contrariis rigorosis, quæ sub genere sunt determinato, non verò de oppositis in linea entis, & boni; quidquid enim est, ens, & bonum est, atque adeo actum aliquem participat.

CAPUT III.

An possit stare materia sine omni forma substantiali.

DUplicem habet partem lis præsens. in prima quæritur, quid possit de potentia Dei absoluta, & miraculosa. in altera de potentia ordinaria, seseque rerum naturis accõmodante.

§. I.

Ostenditur posse divinitus:

POsse materiam ex Dei potentia extra ordinem existere separatam ab omni forma substantiali, communis est extrà scholam Thomisticam sensus omnium pene eorum, qui concedunt materiæ suum essentiæ, & suum exi-

ſtentiæ actuum. non defuere tamen Neoterici ingenioſi, qui etiam ſuppoſita eſſentia, & exiſtentia materiæ propria, aſſererent nec divinitus poſse illam à forma ſeparari. quorum argumenta, quæ multa ſunt, nec planè contemnenda, mox afferam, & diſſolvam.

Probo jam communem concluſionem communi argumento. Conſideratis omnibus materiæ prædicatis, nulla in ea videtur eſſentialis affixio ad formam. ergo poteſt ab ea ſaltem divinitus ſeparari. ant. prob. neque enim iſta affixio relucet in prædicato ſubſtantiæ incompletæ; hoc enim eſt commune formæ, quæ tamen à materia eſt ſeparabilis, neque in prædicato potentialitatis, & indifferentiæ; ex hoc enim habet materia, ut ſi prior forma, ab eaq; independens ſecundùm eſſe ſimpliciter; præterea materia ex dictis non eſt ita potentialis, & indifferens, ut nullum prorſus habeat actum, & differentiam:

Diſplicet Recc. hic modus arguendi; ex eo enim, inquiunt, quod nulla nobis appareat eiuſmodi inſeparabilitatis ratio, non rectè conficitur, nullam eſſe; quia poteſt eſſe, & nobis non apparere. Sed quia hoc genere arguendi negativo, quod in præſenti improbant, utuntur etiam ipſi in aliis materiis, ego certè, qui plurimi ipſos facio, malo eorum exemplum ſequi, quam præceptum. Deinde ut hæc conſequentia evidens, ac demonſtrativa non ſit, eſt ſine dubio valdè probabilis, imo ea ſæpe probabilitate, quæ omnem in oppoſitum probabilitatem interimat eo ipſo, quod contrariis motivis vim adimit ſuaſivam. Profectò quoties in rebus verſamur à noſtra cognitione non valde remotis, ſi in iis nullam repugnantiam invenere viri doctiſſimi, atque ipſi ſcholarum Principes, probabiliſſimum eſt repugnantiam nullam eſſe; ſi enim eſset, tam magna ſane ingenia, tantamque eorum in rerum na-

turis

turis perscrutandis diligentiam non latuisset,

Confirmo id ipsum, quia simili ratione usus est D.Th.in 4.d.12.quæst.1.art.1.0,& ad 1. quam quidem materiæ applicatam sic propono. materia est considerabilis secundum esse absolutè cum ordine, quem dicit ad Deum; & secundùm modum essendi cum ordine, quem dicit ad agens naturale. sicuti autem in accidente potest retineri esse absolutè cum ordine ad Deum, à quo est, non retento modo essendi, quod est inesse, cum ordine ad causam secundam, à qua poni non potest, nisi in subiecto: ita, sublato ordine materiæ ad causam naturalem, secundùm quem esse materiæ est esse sub forma, potest retineri ordo ad Deum, secundùm quem esse materiæ est dumtaxat esse à Deo,

Obiic. 1. authoritatem, & argumentum D. Th.1.p.quæst.66.art.1.ubi improbans eorum opinionem, qui materiam in ipso mundi exordio voluerunt sine ulla forma creatam, sic habet: *si materia informis præcessit duratione, hæc erat iam in actu; hoc enim duratio importat. creationis enim terminus est ens actu: ipsum autem, quod est actus, est forma; dicere igitur, materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu: quod implicat contradictionem*. Conf. quidquid existit, est in specie determinata entis; aliter posset existere animal, quod neque rationale esset, neque irrationale. atqui materia in certa specie entis per formam reponitur. ergo sine ea existere in rerum natura per nullam potentiam valet.

Mens D. Th. in hac parte multis est dubia. sed revera loco cit. tam clarè loquitur, ut probabilem interpretationem in oppositum non recipiat. Resp. igitur ex hoc quod materia existat sine forma, non haberi actum sine actu, si servetur constantia terminorum; hoc est, si idem sit actus affirmatus, & negatus; cùm enim ex di-

ctis sua constet materiæ essentia, & sua existentia, jam separata ab omni forma esset in actu essentiæ, & existentiæ suo, licet non in actu physico, formali, & completo, quem unum habet à forma. Per quæ patet ad confirmationem; cui addita paritas ex genere metaphysico non est ad rem; tum quia similiter probaretur nec formam esse posse sine materia, cum differentia non possit esse sine genere; tum quia genus, & differentia non comparantur ut alia, & alia res, sed ut eiusdem rei alia, & alia ratio, materia autem, & forma comparantur ut res, & res.

Ob. 2. Quæ magis accedunt ad unitatem, sunt magis inseparabilia. sed materia, & forma, maximè accedunt ad unitatem; faciunt enim per se unum, quod est maximè unum. ergo sunt maximè, adeoque essentialiter inseparabiles.

Argumentum probat, materiam esse inseparabilem ab hac numero forma, cum qua facit per se unum: & similiter formam esse inseparabilem à materia; quod adversarii non concedunt. Resp. igitur, quod si sit sermo de unitate simpliciter, ut supponit pro identitate, maior est falsa ex falso supposito; neque enim datur accessus minor ad identitatem: quia omnia distincta æquè recedunt ab identitate, cum recedant per contradictionem, quæ magis, & minus non suscipit. Si vero sit sermo de unitate secundum quid, quæ facit media unione unum hoc aliquid, major est absolutè falsa: quod ipsis fatendum est adversariis; magis enim facit unum materia cum singulis formis, quam substantia cum propria passione; & hæc tamen est magis inseparabilis.

Obiic. 3. Deus miracula vana, otiosa, & phantastica, quibus abutatur sua omnipotentia in ludum, & jocum, patrare non potest. Atqui tale esset miraculum, quo materia separaretur ab omni forma; cui enim bono tale miraculum? aut quem finem Deo dignum habere posset?

mate-

materia ergo etiam miraculosè à forma inseparabilis est.

Primò argumentum non est ad rem; ostendit enim (si tamen ostendit) inseparabilitatem materiæ ex natura non materię, sed Agentis non potentis operari miraculosè, nisi ex fine honestissimo, qui hic deficeret: quod est ostendere miraculi huius impossibilitatem non physicam, sed moralem. Nos autem id unum hic contendimus, naturæ materiæ non repugnare, ut maneat separata. 2. nego min. & dum urges, non est assignabilis finis, ergo non est, retorqueo in te instantiam tuam; ut enim non probas genus illud arguendi, nulla assignatur repugnantia, ergo non est: ita nec deberes probare hoc aliud, & quidem multò aptius; fines enim divinæ Providentiæ quis novit? aut quis Consiliarius eius fuit? 3. finis esse potest, vel confirmatio divinæ locutionis, vel ostensio ipsa omnipotentiæ, quæ una est ex Dei perfectionibus, ad quam proindè ostendendam non otiosè operatur is, qui omnia ad suarum perfectionū manifestationem operatur. Potuisset etiam Deus in triduo mortis Christi nullam novam formam inducere in eiusdem materiam, ut ne scil. sacratissimum illud corpus ab alio, quam ab anima illa sanctissima habitaretur. Et sic possent alii fines excogitari.

Ob. 4. Ita proportionaliter se habent in genere accidentis, quæ sunt minimæ entitatis, ac quæ sunt minimæ entitatis in genere substantiæ. atqui priora non possunt existere separata. ergo nec posteriora. At materia minimæ est entitatis in suo genere, cum sit prope nihil. ergo nec potest existere separata.

Sed primò ut modi accidentales minimi sunt in linea accidentali, ita modi substantiales sunt minimi in linea substantiali. neutri autem possunt existere separati. 2. in hoc quod est existere divisim à reliquis non est attendenda ma-

jor; aut minor entitativa perfectio, sed major, aut minor addictio, aut dependentia. modi omnes utpote actualia exercitia dicunt essentialem additionem subiectis suis: quæ ratio non valet in materia, quæ proinde quantumcumque imperfecta, modis, ac formis materialibus in hoc præstat. Nego igitur maiorem.

Obiic. 5. Deus est summè perfectus: materia summè imperfecta, atqui Deus ex summa perfectione habet, ut semper sit actu totum, ergo materia ex summa imperfectione habebit, ut semper sit actu pars. Conf. 1. potentia summè productiva est semper actu producens, ut videre est in Deo semper actu ad intra producente. ergo potentia summè receptiva est semper actu recipiens. Conf. 2. utenim de Deo discurrit Aug. quò maior perfectio, minor indigentia: & quò minor perfectio, maior indigentia. in Deo autem summa perfectio, ergo nulla indigentia. At in materia summa imperfectio, ergo omnis indigentia, adeoque essentialis indigentia formæ.

Ad argum. resp. Deum esse summè perfectum per exclusionem omnis imperfectionis, & hinc excludere rationem partis, quæ imperfectionem involuit. at materia nec est, nec potest esse summè imperfecta per exclusionem omnis perfectionis. non ergo ex hoc necessariò est pars. Ad 1. conf. nego conf. & paritatem; Deus enim actu est essentialiter producens ad intra, quia actus eiusmodi productionis est indistinctus à Deo, atque adeò non posset esse Deus, & non esse talis actus. recipiendi autem actus à materia est distinctus. Addo posse transmitti consequentiam, quæ vera esset, si materia formas solum accidentales reciperet, qualis est ubicatio, & duratio, à quibus ex generali creaturæ conditione separari non potest, ut suo loco ostendam. Ad 2. conf. patet ex dictis. imperfectio materiæ non excludit omnem perfe-

ctio-

ctionem. quare potest in aliquo superare formam, & accidens, & de facto utrumque superat in ratione independentiæ.

Obiic. 6. omnis creatura est in aliquo genere pars, & composita, sed non sine gradualitate. nam Angelus utpotè perfectissima creatura nullam habet compositionem substantialem, quamvis habeat accidentalem. sequitur porro anima rationalis, quæ est quasi media inter corpora, & Angelos: & propter hoc potest naturaliter esse pars, & potest naturaliter non esse pars. at formæ materiales, quæ minus sunt perfectæ, non possunt naturaliter non esse partes, quamvis possint miraculosè. Materia autem est in infimo gradu perfectionis, & magis distat à formis materialibus, quam istæ ab anima. ergo materia est actu pars non solùm naturaliter, sed etiam essentialiter.

Resp. ista graduatione nihil confici, cum in ipsa linea, ordineque formarum sit assignabilis forma infimum gradum tenens; quæ est essentialiter actu pars, qualis est forma modalis. materia autem sit oportet extra eiusmodi graduationem, quæ est comparatio instituta inter actus. Et quidem si spectetur ratio addictionis. invenietur eam non esse rationem potentiæ, sed rationem actus respectivi, & imperfecti. quare modi sunt addictissimi, quia nihil habent de potentia, seu indifferentia, sed toti quanti sunt, actus & actuativi sunt. formæ autem absolutæ materiales cum sint principia, & potentiæ, sunt aliquo modo indifferentes, & possunt proindè supernaturaliter stare sine subjecto. Unde fit, ut si servanda sit gradualitas, materia utpote maxime indifferens, & potentialis, adeoque minus participans de ea ratione, propter quam formæ addicuntur, poterit etiam naturaliter ab omni forma separari.

§. II.

§. II.

Statuitur, non posse naturaliter.

HÆc sane communissima est omnium ferè Peripateticorum sententia, contrà quam non rectè citatur Gabriel in 2. d. 12. q. etenim ar.3.dub.2. expresse dicit, quod *per naturalem potentiam materia non potest stare nuda*: in fine autem quæstionis loquens de prima creatione materiæ, relatis aliorum opinionibus, nihil decernit, informisnè, an formata creata fuerit. Sed quàm est communis hæc sententia, tàm habet difficilem probationem. vnde Arriaga, reiectis, quæ ad huius sententiæ probationem solent afferri, concludit, quod cum in hanc opinionem videat fere omnes unanimiter consentire, & in tali connexione naturali materiæ cum forma nulla repugnantia videatur, probabilius est asserendum esse de facto talem in materia connexionem, eamque reducendam in naturam ipsius materiæ; quemadmodum reducimus in naturam quantitatis, ut non possit cum alia quantitate penetrari.

Miror vehementer, undenam iniecta Arriagæ ea in præsenti religio, ut recedere à cõmuni sensu nefas sibi duceret, quem solitus tamen est in reliquis plerumque negligere. Deindè quæ in eius discursu afferunt, vana omnia sunt. Certè enim non contendet, eam propositionem, materia non potest naturaliter esse sine forma, esse per se notam, neque enim ad id satis est consensus omnium dumtaxat Peripateticorum. est ergo propositio indigens probatione. Malè autem nititur Arriaga eorum authoritate, quorum rationes infringit; qualis enim sit apud te illorum authoritas in eo, quod putas illos sine ratione dixisse? Recurrit porro ad non repugnantiam, quæ tamen favet

adversariis; qui enim quærit non repugnantiam repugnantis, tenetur ipse assignare repugnantiam; quia tenetur ostendere prædicatum, in quo repugnantia fundatur: quo non ostenso, semper pro directa non repugnantia standum. recurrere autem ad non repugnantiam reflexam eorum est, qui onus probandi, cui ferendo non sunt, utrisque humeris decutiunt. Postremò recursus ad naturam materiæ, ut in impenetrabilitate ad naturam quantitatis inanis omninò est; in iis enim quæ sunt certa per experientiam, qualis est impenetrabilitas quantitatis, si alia ratio à priori desit, rectè recurrimus ad rerum naturam nobis per se ignotam, sed notam per effectus. non sic in iis, quæ nulla experientia manifestantur. nàm similiter adversarius asserens materiam stare naturaliter posse sine forma, diceret hanc esse naturam materiæ.

Ut ergo huius naturalis repugnantiæ rationem aliquam afferam, primum noto, duplex esse caput, unde ea peti possit. alterum est natura agentis, & actionis. alterum natura passi, & materiæ.

Ex primo capite sic arguitur. Non potest agens naturale corrumpere unam formam, quin aliam in materia producat. ergo non potest spoliare materiam omni forma. antecedens prob. ex communi principio, Generatio unius est corruptio alterius, & è converso: quare omnis actio generativa erit indivisim corruptiva, & versa vice: hoc quidem principium videtur naturaliter notum, quia per experientiam singularium est collectum, & ab omnibus communiter admissum. quare Philosophus illud adeò certum existimat, ut nec probet. Rationem à priori hanc tradunt. natura non potest intendere destructionem; nihil enim intendens ad malum operatur, teste Dion. destructio autem sine dubio mala est naturæ; ergo non potest illam

natura

tura intendere. quare restat, ut destructio precisè habeatur, quia naturale agens intendens productionem novæ formæ, cum qua est incompossibilis antiqua, per accidens istam destruat.

Hæc tamen ratio non videtur facile sustineri posse. Principiò enim illud principium, Generatio unius est corruptio alterius, negatur à Scotistis in viventium generatione; & alterum principium, corruptio unius est generatio alterius, negatur ab iisdem in viventium destructione: Rursus neutrum ex his ab experientia constat; quæ enim experientia docet in viventium morte novam illam formam cadavericam generari?

Minus adhuc valet ratio à priori; quamvis enim admittatur corruptionem per se non intendi à natura, non tamen concedi ex hoc debet generationem novæ formæ præire, aut comitari indispensabiliter veteris corruptionem, cum possit intendi alius effectus, ad quem per accidens destructio consequatur. Sic dum ex alto decidens lapis confringit subiectum caput, aut securis cervicem suppositam abscindit, sequitur hominis mors per accidens, non ad introductionem intentam novæ formæ, sed ad descensum gravis, quem primò, & per se intendit in ea actione natura. potest igitur sequi per accidens alium effectum naturalem, quàm novę formę in eadem materia productionem.

Alia ejusdem principii ratio à priori potest esse; quod agens naturale non potest destruere formam, nisi introducat dispositiones destructivas. ergò non potest destruere, quin producat. antecedens est certum. prob. consequentia; qualitates enim destructivæ unius formæ sunt productivæ alterius. ergo qui inducit destructivum, inducit indivisim productivum; adeoque qui destruit, necesse est ut producat,

ante-

anteced. non potest aliter probari, nisi redeundo ad illud principium, destructio non potest per se intendi : quod applicatum qualitatibus rem pressius fortasse conficit.

Urgetur tamen adhuc ratio ista dupliciter. primò quia sæpè dispositio destructiva non est positiva qualitas, sed mera separatio continui facta tam brevi tempore, ut nulla possit qualitas produci, aut destrui. 2. quia dici potest, qualitates ipsas, dum destruunt, intendere quidem productionem; sed quia minus requiritur ad destruendum, quam ad producendum, possunt in uno instanti sufficere ad destructionem formæ veteris, in quo nondum sunt satis ad generationem novæ; sed hanc perficient post aliquam temporis moram. Quæ si quis afferat, non video ex hoc capite, qua ratione rejici possit.

Ex altero igitur capite sic arguo primo. Connexio prioris cum suo posteriori tanta, ut sit per naturam impossibilis ab eo seiunctio, datur de facto inter substantiam, & accidens, essentiam, & physicas proprietates, ut videre est in igne, qui naturaliter esse non potest sine omni calore, in Sole, qui non potest naturaliter spoliari omni luce, & in quavis materiali substantia, quæ non potest carere potentiis suis operativis juxtà naturam suam. ergo à fortiori debet ista connexio admitti in materia relatè ad formam. cons. prob. ex eo, quod si substantia completa, & perfecta ita indiget suis accidentibus propriis, ut iis carere non possit; quanto magis id ipsum asserendum de materia imperfectissima relatè ad formam, à qua accipit suum primum & substantiale complementum? certè exigentia fundatur in indigentia, & hæc in imperfectione. in materia autem major imperfectio. ergo major indigentia, & exigentia.

Resp. potest ex Oviedo Contr. 2. phys. p. 7. §. 3.
dispa.

disparitatem esse, quod substantia est operativa in se suarum proprietatum; materia verò non est operativa formarum. sed contrà 1. ex hoc enim crescit vis argumenti, & paritatis; omne enim agens agit, in quantum est actu, adeoque in quantum est perfectum, & tamen stare non potest sine suo effectu. quanto magis ergo verum id erit de passo, quod est longè imperfectius? Contrà 2. activum non in quantum activum formaliter, adeoque non in quantum respicit effectum, illum naturaliter causat, sed in quantum exigit universalem primæ causæ concursum, sine quo causare non potest. si ergo exigentia activitatis est tanta ad suam perfectionem exerendam, ut eam frustrare non nisi miraculum possit, tanta, & major erit exigentia passivitatis.

Secundò videtur magis connecti materia cum forma, quam vivens cum sua operatione vitali accidentali, atqui vivens esse naturaliter non potest sine omni operatione vitæ. ergò nec materia sine forma. major in suis terminis præsefert suam probabilitatem, & constat prætereà ex dictis. min. docetur, & prob. à D. Th. 2. contrà Gentes c. 97. his verbis: *Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitæ in actu ex sua natura, quæ inest ei semper, licet alia quandoque insint ei in potentia. sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant.* Quod idem docet Philosophus 9. Eth. c. 7., ubi, *sumus*, inquit, *operatione, & actu; vivendo enim, atq; agendo sumus*; atque adeo sine actu vitæ, & operatione non sumus.

Tertiò à priori. esse cuiuscumque entis naturalis ordinatur ad motum, & operationem, ut omnis actus primus ad secundum; unde, cessante possibilitate naturali operationis, cessat naturaliter esse. ex hoc fit, ut illæ formæ, quæ possunt operari extrà materiam, possint naturaliter esse extrà materiam: quæ verò

mate-

materia indigent ad operandum, eadem indigeant ad essendum, utque non possunt extrà illam operari, ità nec esse. hinc formæ materiales quia omnem operationem habent à materià dependentem, indigent materia ut simpliciter sint, & corrumpuntur eo ipso, quod separantur. at rationalis anima. quæ habet operationes spiritales à materia penitus emersas, habet esse naturaliter extrà materiam. Iam vero esse materiæ licet immediatè ordinetur ad pati, ac recipere formam, non tamen sistit in ea, sed ulterius progreditur ad operationem, & motum, qui ad ipsam quoque pertinet, ut ad principium passivum; cum ipsa quoque natura sit, quę per motus principium definitur. quare ipsa etiam naturaliter esse non poterit, quoties non potest operationem aliquam principiare. atqui separata à forma non potest esse principium intrinsecum ullius motus, qui quidem per se à toto est. ergo separata à forma naturaliter esse non potest.

Ex his sequitur, quod si materia divinitus separaretur ab omni forma, miraculum esset non solum ex parte agentis, & actionis exigentis statum illum ordinem, & cursum naturæ, ut nunquam forma una tollatur, quin altera succedat, sed multo potius ex parte materiæ, cujus exigentia naturaliter insuperabilis de substando alicui formæ, à qua perficiatur substantialiter, & in specie completa physicè constituatur, superatur miraculosè. Quamquam novo influxu conservativo non indigeret materia in casu separationis, sed prior ille satis esset, quo conjuncta conservabatur, neque enim alius influxus suppleri potest, in cujus vicem novus, majorque Dei concursus ingrederetur; cum materia nec à forma in rigore dependeat, & per creativam actionem ab uno Deo manantem totam omninò essendi sufficientiam accipiat. neque verò quod prius erat debita, deinde indebita

vitiat,

vitiat, aut variat substantiam actionis, ad quod satis est mutatio circumstantiæ : quemadmodum idem est nummus, qui alteri datur sive debitus ex iustitia, sive indebitus ex liberalitate: eademque rationalis anima infunditur modo debita embryoni, modò indebita cadaveri.

Obiic. 1. si materia conservaretur sine forma, tantum abest, ut miraculosè conservaretur, ut potius si tunc destrueretur, miraculosè destrueretur. tunc enim est miraculosa destructio, cum ad nullius naturæ exigentiam est, & est contra alicujus exigentiam. atqui in eo casu nihil esset, quod peteret destructionem materiæ, & ipsa materia peteret sui conservationem. ergò materiæ destructio esset miraculosa; adeoque esset naturalis conservatio.

Resp. 1. eodem argumento confici conservationem substantiæ sine naturalibus proprietatibus, viventis sine operatione, accidentis sine subiecto miraculosum non esse. Secundò respondeo exigere materiam non esse, sed esse sub forma; ut enim appetitus eliciti, ità & innati terminus integratur ex fine *cui*, & *qui* indivisibiliter respecto, ut in Ethicis ostendam. hinc fit, ut quemadmodum prudenter appetit voluntas non esse, dum malè, ac miserè est; ita & quælibet res naturaliter appetit non esse, dum debita simpliciter perfectione privatur: quæ est ipsius miseria: neque enim aliud est appetitus innatus, quam conditionatus elicitus; cum ex Philosopho illud sit obiectum innati appetitus, quod res vellet, si prudentiam haberet. ex quo nullus vereor affirmare, in casu separationis destruendam materiam ad suam ipsius exigentiam, quæ quidem ad malum simpliciter non esset, ut non est simpliciter ad malum voluntas damnati appetens de facto sui destructionem. esse enim non respuitur absolutè, sed ut conjunctum cum malo suo, adeoque non tam reiicitur esse, quam malè esse.

Obiic.

Obiic. 2. materia est causa formæ, ergo ad existendum nullatenus indiget forma. cons. prob. omnis causa est prior natura effectu suo, ergo antequam sit effectus, supponitur entitas causæ; adeoque entitas effectus requiri non potest ad existentiam causæ; in eo enim, in quo requiritur, præcedit, cum omne requisitum ad esse rei aliquo modo, ut conditio saltem, integrat primam rei ad essendum sufficientiam.

Hoc argumentum magni facit Oviedus: in gratiam tamen communis sententiæ non nihil conatur ad ejus solutionem, quæ videri potest apud ipsum contr. 2. phys. p. 7. §. 2. equidem missis, quæ ille altius iusto meditatur, adhibitis divino decreto, ac scientia conditionata, nodoque per machinam dissoluto, ità resp. ex modo dictis. nego cons., ad cuius probationem dist. cons. supponitur entitas causæ, ut est terminus completus exigentiæ ipsius causæ, nego cons. ut est terminus incompletus, conc. cons. hinc fit, ut effectus requiratur ad existentiam causæ consideratam, ut exigitur à causa; neque ex hoc sequitur, ut præcedat existentiam, nisi sic consideratam: quod non est esse principium, aut conditionem præviam causæ, sed solum complementum, & debitam perfectionem, qua sublata, non habetur existentia causæ naturalis, & exigita ab ipsa causa, licet per consequentiam immediatam habeatur existentia simpliciter causæ, ut præscindens à debita, & indebita.

CAPUT IV.

De potentia, & appetitu materiæ.

Breviter ab his duobus me expediam: sunt enim exigui per se momenti, & nihil speciale occurrit, quod ab aliis non sit exhaustum.

Duo

Duo sunt formarum genera, quæ passiva materiæ potentia respicit, alterum est formarum materialium, quæ nec fieri, nec esse possunt, nisi in materia, & dependenter ab ea, ut à causa materiali: alterum est formarum immaterialium, quæ ut fiant in materia, non tamen ab ea pendent, & possunt ab ea separatæ subsistere. Primi generis formas dicitur materia recipere, & sustentare, seù causare materialiter. formas secundi generis dicitur tantum recipere. hinc distinctio potentiarum materiæ in receptivam, & sustentativam.

Neutra ex his distinguitur realiter à materia: tum quia nulla est huius distinctionis necessitas. tum quia vel materia potentiam illam suam per se reciperet, vel per aliud. hoc secundum trahit evidentem processum in infinitum. primum si dicatur, conf. inde est, ut materia sit per se receptiva. cur ergo non etiam formæ? præsertim cum non magis, sed minus potius requiratur ad plus recipiendum. Hoc idem confirmabitur, ubi ostendemus qualitates non posse in quantitate recipi ex eo, quod universim impossibile sit instrumentum in linea causæ materialis, quod est possibile in linea efficientis.

Deindè potentia receptiva nec videtur ratione à materia distingui, accipiendo distinctionem rationis rigorosam; est enim materiæ definitio, quæ dicitur esse primum subiectum, hoc est primum receptivum. Recursus autem ad potentiam radicalem non videtur aptus, & quia non necessarius, & quia non terminabilis progrediendo in distinguendis radicibus. neque valet, quod opponunt Scotistæ, ens ad se, seù absolutum constitui in sua prima ratione non posse per respectum, qualis est potentia. quid enim materiam ens absolutum appellent? cum esse materiam sit esse subiectum, quod certe nomen est relativum. Præter hæc nullum ens

est

est ità absolutum, ut nullum respectum involvat saltem transcendentalem, qui quidem transcendentalis dicitur, quod rei essentiam transcendit, in eaque imbibitur.

Potentia porrò receptiva, & sustentativa invicem distinguuntur distinctione rationis non mutua, nàm receptiva non dicit formaliter, nisi posse recipere: recipere autem in suo conceptu, ut constat, causalitatem, & sustentationem non includit. at sustentativa formalissimè receptivam involuit; quia sustentare dicit formaliter recipere, cui addit dependentiam ut rationem intraneam: quod patebit ex infra dicendis de materiali causalitate. Ex his sequitur, solam potentiam receptivam esse primum conceptum materiæ. tum quia posse recipere est conceptus simplicior. tum quia posse sustentare probatur per posse recipere; est enim materia sustentativa, quia omnium formarum, adeoque etiam materialium receptiva. Et hinc fit ulterius, ut potentia receptiva formarum substantialium sit prior receptiva accidentalium, in intentione enim naturæ forma præcedit accidens.

Quod attinet deindè ad materiæ appetitum; solet hic communiter dividi in elicitum, & innatum. prior est absolutè talis; alter est talis per metaphoram, & est quædam naturalis proportio rei cum debita sua, naturalique perfectione.

Ex quo sequitur materiæ inesse appetitum ad formas sibi coniungibiles, sub disiunctione tamen, ad hanc scilicèt, vel illam. nam & est forma naturalis perfectio materiæ; & non est debita, nisi sub disiunctione. Hinc censeo extendi eiusmodi appetitum ad formas etiam corruptas; cum enim istæ sint eiusdem rationis cum non corruptis, patet quod non minus est his, quam illis materia proportionata. quamvis autem forma semel corrupta non possit naturaliter reproduci; hoc tamen est per accidens,

& facta suppositione contingenti, quæ non est nata immutare potentiam, eiusque proportionem. sic anima separata retinet adhuc naturalem inclinationem ad corpus, quamvis à nullo naturali agente possit cum corpore reuniri.

Rursus iste appetitus ad eliciti similitudinem dividitur in simplicem inclinationem, desiderium, & complacentiam, seù delectationem. Inclinatio simplex fertur ad formam secundum se spectatam, præcisa absentia, vel præsentia. desiderium est formæ non habitæ: complacentia formæ habitæ. Duo tamen hìc adverto. primum, inclinationem simplicem esse nudam entitatem materiæ se per se spectatam; est enim ista inclinatio eadem semper, & invariabilis. at verò desiderium, & complacentia involvunt absentiam ipsam, ac præsentiam formæ; neque enim posset aliter intelligi, qua ratione materia transiret ad complacentiam à desiderio, nisi affectus isti, vel quasi affectus in sua ratione per aliquid à materia distinctum complerentur. Secundum, quod adverto, est, materiam, dum est sub una forma, non desiderare alteram pro eodem instanti; neque enim potest eam desiderare, nisi in casu, quo deficeret habita. in instanti autem, quo illa habetur, deficere non potest. Pro instantibus verò sequentibus desiderat aut retinere formam, quam habet, aut acquirere, quam non habet. itaque complacentia est absoluta, & determinata formæ possessæ: desiderium, & inclinatio semper incerta, & disiunctiva. Atque hæc satis superque de his tricis.

CA.

CAPUT V.

An sub materia possibilis sit specifica latitudo.

DIsputari à plerisque consuevit hæc quæstio in libris de cęlo per occasionem quærendi, an cęlestia corpora composita sint ex materia diversæ rationis à materia sublunarium. sed quia pertinet ad materiæ divisionem, lubet eam in præsenti examinare. Quæritur ergo, utrum sub materia sit specifica latitudo, hoc est, utrum materia sit genus plures sub se materierum species continens; an potius omnes materiæ sint eiusdem inter se rationis, ac speciei.

Rursus, quia tota distinctio specifica potentiæ est per actum, vel potius per ordinem ad actum, idem erit quærere materiam à materia specie differentem, ac quærere unam materiam has tantum specie, aut numero formas potentem recipere de sua natura; aliam verò alias. Hinc qui materiam cęlestem à sublunari distinguunt, eam volunt ità cælestibus formis addictam, ut à sua natura habeat non posse subiici naturalibus; & similiter sublunarem cælestibus.

D. Th. 1. q. 66. ar. 2. multis contendit materiam cęli à materia sublunarium essentialiter differre, quod illa ità sit sub una forma, ut non sit in potentia ad alias. At Scotus in 2. d. 14. q. 1. contendens cęlum esse corpus simplex eò progreditur, ut neget possibilem materiam diversæ rationis. Idem asserit Aureol. Quæ mihi sententia multò videtur probabilior, quamvis pro D. Th. stent Recc. nostri turmatim; eamq; hic propugnabo, reiectis aliò argumentis, quæ à cęli incorruptibilitate, & impossibilitate corporis simplicis desumuntur.

Dico 1. Repugnat materia diversæ rationis, quæ uni tantum formæ secundùm numerum, aut speciem sit addicta.

Prob. 1. authoritate Phil. in quo quidem ut advertit Aureolus cit. nullum verbum de materia alterius rationis, & uni formæ addicta: imò ubicumque loquitur de materia, semper illam appellat puram potentiam, eique tribuit generalem quendam respectum ad omnem formam. nàm & 1. phys. ait materiam esse primum subjectum uniuscuiusque, & 7. metaph. materiam neque quid esse, neque quantum, neque quale, sed omnia in potentia. neque dicas cum D. Th. apud Alamannium, quod Philosophus in lib. physic. nondum probaverat cęlum esse quintam essentiam; & ideò nihil ibi determinat de his, quæ propria sunt illius essentiæ. nam similiter nihil dum decreverat de corpore corruptibili, nec propterea non decernit de materia illi conveniente. Deindè huiusmodi materiæ addictæ nusquam alibi meminit: debuisset autem in metaphysicis saltem meminisse, postquam in physicis eam probaverat. sed in met. oppositum potius habet: nam 2. met. ait, quod in fundamento naturæ, h. e. in prima materia nihil est distinctum.

Prob. 2. ratione, quam deduco ex conceptu ipso materiæ, qui est, ut sit pars subjectiva, & materialis compositi physici substantialis. atqui materia determinata secundum se ad unam formam, non esset pars subiectiva compositi, sed potius natura quædam totalis, & completa. ergo non esset materia. min. prob. nihil enim deesset ad rationem adæquatæ naturæ, quæ duo dicit, passivum, & activum principium. passivum certè materia haberet eo ipso, quod materia poneretur; activum autem; quia esset id, in quo tamquam in primo exigitivo potentiæ omnes operativæ consequentes radicarentur.

Conf.

Conf. materia sic addicta, & determinata compararetur ad suam formam, ut de facto comparatur ad quantitatem, & ut qualibet essentia ad suam passionem. ergo forma illi superveniens non forma est, sed passio, & accidens. prob. antec. duo dicit essentia metaphysicè considerata; primum, ut contineat prædicata omnia etiam ultimè constitutiva, ac primò distinctiva rei ab omni eo, quod non est ipsa. secundum, ut probet à priori omnia reliqua rei prædicata. Utrumque conveniret materiæ Solis v. g. in casu hypothesis; nam & contineret omnia Solis prædicata essentialia, & reliqua Soli convenientia à priori probaret.

Probo primum. per illud essentia constituitur completè in esse tali, per quod primò determinatur ad esse tale, & primò distinguitur ab omni non tali. atqui prædicatum ultimum materiæ solis determinaret esse solis, & primò solem distingueret ab omni non sole; nàm & esset solis proprium, & prius prædicatis omnibus formæ; adeoque esset primum proprium, & consequenter prædicatum differentiale solis. Et quidem in reliquis essentiis, quæ nobis à posteriori per effectus, & proprietates innotescunt, differentiale prædicatum non aliud assignamus, quam primum exigitivum omnium effectuum, ac proprietatum.

Probo secundum. forma enim ipsa probaretur à priori per tale prædicatum, tamquam per intrinsecum principium præsuppositum. neque enim aliundè quantitas probatur à priori per materiam, & calor per ignem, nisi quia determinatè exigitur à materia, & igne. hæc ergo forma secundum speciem determinatè exigita ab hac materia secundum speciem, probabitur per eam à priori. De facto materia non probat à priori formam, quamvis sit prior forma; quia illam sibi non determinat, sed suam in hoc determinationem expectat ab extraneo

agente, antecedens autem ut inferat consequens, non potest esse indifferens ad illud, & illius oppositum.

Dico secundò, Repugnat materia diversæ rationis, quæ pluribus secundum speciem formis sit addicta, & non indifferens ad omnes.

Prob. ex hoc principio, quod est Philos. & Comment. Omnis distinctio, formalis præsertim, & specifica, est ab aliqua actualitate; undè in iis, quæ puram passivitatem in suo conceptu important, qualis est sine dubio materia prima, nulla esse potest distinctarum specierum latitudo. Quod sic ostendo. In potentia passiva duplex ratio distingui potest, sustentativa nim. & pure receptiva. Neutra est limitabilis ad hanc potius, quam ad illam. non sustentativa; quotiescumque enim eadem omninò vis, quæ requiritur, & satis est ad faciendum unum, satis est ad faciendum alterum, non potest ea vis limitari ad unum præ altero. atqui eadem vis, quæ est satis ad sustentandam unam formam, est satis ad sustentandam omnem. ergo non potest limitari ad unam præ alia forma. ma. est mihi certa; ex qua enim alia ratione agens non potest limitari intra suam speciem ad certa individua, v. g. ignis ad certos ignes, nisi quia eadem virtus productiva ignis A satis est ad producendum ignem B; similiter qui potest elevare pondus ut centum, non potest limitari ad plumbeum potius, quam aureum; tantundem enim virtutis ad utrumque requiritur. prob. jam min. 1. quia vis sustentativa materiæ non exercetur per positivum aliquem influxum, quo det formæ perfectionem; causalitas enim subiecti non exercetur dando, sed recipiendo. 2. quia etiam dato, quod sustentatio sit influxus, non tamen plus confert materia ad formam perfectiorem, quam ad imperfectiorem; aliter cum possit sustentare formas perfectiores, & perfectiores in infinitum,

esset

esset influxus ipsius perfectior, & perfectior in infinitum; adeoq; virtus sustentativa aut esset infinita, aut certè maxima, & ordinis superioris.

Sed neque potest limitari vis receptiva. Potentia enim, & capacitas, quæ fundatur præcisè in imperfectione, & carentia, qualis est de suo conceptu potentia purè receptiva, non est limitabilis ad hoc, ut sit capax unius, & non alterius perfectionis, nisi ex hoc, quod unam perfectionem non habet, & alteram habet; si enim utraque æqualiter caret, utriusque capacitatem æqualiter fundat. atqui materia quæcunque ut pote pura potentia passiva, nullius formæ perfectionem secundum se habet; aliter non esset materia, & pars, sed natura completa sub genere substantiæ. ergo non est limitabilis à sua natura ad unam potiùs, quam aliam formam recipiendam, sed erit ex se æquè indifferens ad omnes.

Conf. quia non ex alia ratione impossibilis est quantitas, quæ unius tantùm figuræ sit susceptiva: locus, qui ab uno tantùm corpore sit replebilis: corpus, quod una tantùm veste sit induibile &c. Et quidem qui admittit materiam certarum dumtaxat formarum capacem, non video, qua cohærentia negare possit quantitatem his modis & non aliis figurabilem, v.g. ceram, quæ huius sigilli, & non alterius figuram suscipere queat: vas unius determinati liquoris, locum determinati corporis capacem: quæ tamen manifestè sunt falsa, & inopinabilia, cum sint contrà communem omnium hominum sensum.

Stat igitur veritas illius principii, quod omnis specifica distinctio sit per actum, hoc est, quod licet potentia purè passiva, quæ aliquis actus metaphysicè est, distinguat specie materiam à forma, & actu physico, non tamen est nata distinguere totum physicum secundùm speciem, adeoque nec est nata recipere sub se latitudinem specierum. Et quidem universim

F 4 dum.

dum videmus in potentiis passivis specificam diversitatem, in his puram passivitatem non invenimus. Sic in homine est potentia receptiva intellectus, quæ non est in lapide, adeoque potentia receptiva hominis à receptiva lapidis specie distinguitur. sed potentia passiva intellectionis cum sit potentia vitalis non est purè passiva, sed indivisim activa: quod genus potentiæ fundatur in actu, & perfectione, ex qua est distinctio specifica istiusmodi potentiarum.

QUÆSTIO TERTIA

De Privatione.

MAteriam privatio excipit; hoc enim petit ordo mutationis, & transitus, ut prius consideretur subiectum, quod mutatur, & transit; tum terminus, à quo movetur, quemque motu suo deserit; postremò terminus, àd quem movetur, quemque suo motu acquirit. Et quia præcipua consideratio est Generationis, quæ habet pro termino derelicto Privationem, huic damus alterum locum in tractatione principiorum. Accedit, quod cum privatio in recto considerata nihil revera sit, involvat tamen in suo essentiali conceptu aliquid in obliquo, capacitatem nimirum ipsam subiecti, ut habeat, quod non habet; consequens est, ut notitia ipsius proximè pendeat à cognitione subiecti. Duo autem de privatione quærenda, alterum, quod ad ejus entitatem, aut quasi entitatem pertinet; alterum, quod ad eius principiationem.

CAPUT I.

Quid sit privatio, & an sit aliquid in re.

PRivatio secundum quid nominis est carentia formæ in subiecto nato apto habere formam. sic carentia lucis in aere, caloris in manu, & sim. privatio est; aer enim & manus, etiam dum luce, caloreque carent, retinent ad eas formas aptitudinem. At si carentia sit in subiecto inepto, ut carentia lucis in opaco, non privatio, sed negatio nuncupatur. Ex quo fit, ut privatio nomen sit connotativum, ut cœna: quæ quidem secundum rectum à negatione non distinguitur, sed distinguitur secundum obliquum significatum, aptitudinem nim. & capacitatem à privatione importatam, non à negatione. & hinc ulterius sequitur, ut aptitudo constituat privationem in esse privationis, ut tempus vespertinum cœnam in esse cœnæ.

Quid rei privatio accepta secundum rectum, quod est commune privationi, & negationi, revera importet, dissensio est non modica inter authores. horum ego placita prius referam; tum eligam, quod verius, & sentiendum.

§. I.

Authorum sententiæ variæ referuntur.

DAri negationem intellectualem, hoc est negativam propositionem, qua prædicatum à subiecto intentionaliter removetur, certius est. quam ut possit in litem adduci. Duplex ea est; alia contingentis, alia necessariæ veritatis aut falsitatis. Aer non est lucidus, propositio hæc vera est nocturno, falsa diurno tempore; utroque contingenter. Hominem non esse lapidem, necessariò est verum: ho-

hominem non esse animal, necessariò est falsum. Jam verò inquiritur prætereà, utrum his objectivæ negationes, privationesque respondeant ab entibus omnibus positivis contradistinctæ, atque immediatè, ac formaliter ad negativas propositiones se habentes. Quæ consequenter quæstio de triplici negotiationum genere procedit, contingentium, necessariarum, impossibilium. sed quia tractatio de his postremis coincidit cum iis, quæ de impossibilibus objectis dicenda in metaphysicis sunt, in eum locum reiicienda est. Restat ergo ut de negationibus contingentibus, ac necessariis agamus.

Prima sententia est Aureoli in 1. d.36. parte 2. ar.2. prop.2. Nominalium, & Thomistarum, quos sequitur Fonseca 4. met.c.2. in com.litt.E. Izquierdus in Pharo scientiarum disp.9. qu.3. aliique non ita multi. Hi putant negationem entis à parte rei nihil omninò importare distinctum à termino negato, ne diminutum quidem, & abusivum, sed formam ipsam exclusam, quæ ut per seipsa est, dum est, juxta meliorem, nostramque sententiam, ita & per seipsam non est, dum non est. quare negatio si quid est, purum est, purumque ens rationis, vel obiectivum, ut volunt Thomistæ, vel formale, ut contendit Aureolus, quatenus res ut substans actui neganti negatio dicitur. Unde, *Decipitur*, inquit, *quicumque circumscribendo omnem actum animæ, dicit, quod adhuc tenebræ sunt in aere; quia circumscribit omnem actum animæ à tenebra, quæ est formalissimè actus animæ.*

Secunda sententia est plurium Recentiorum arbitrantium negationem entis esse quidem obiectivè extrà animam, non tamen ab omni ente positivo distinctam, & habente speciale esse abusivum: sed haberi formaliter per illud positivum, quod alterius existentiam impedit, & excludit. Sic propositio ista, aqua non est cali-

calida, per negationem caloris verificatur, quæ sane cum frigore ipso identificatur exclusivo caloris. similiter ista, aer non est lucidus, verificatur per solis in alio hemisphærio existētiam cum diurna luce hic existente incompossibilem. Ubi verò omne positivum incompossibile creatum deest, ut est in denominatione mundi ab æterno non existentis, recurrunt ad divinum decretum de mundi non existentia, à qua mundus denominatur formaliter non existens.

Tertiam sententiam tuetur Suarez disput. 14. met. sec. 4. & 5. Conimbr. 1. phys. cap. ult. q. 7. ar. 1. Ruvius, Hurtadus, Arriag. Oviedus, & nostra Recc. passim; qui recensent, negationem contingentem habere aliquod esse negativum, & ut dicunt, abusivum ab omni positivo tum remoto, tum removente contradistinctum, quod sit formalis remotio, & carentia positivi omninò independens ab opere intellectus. multi hanc doctrinam extendunt ad negationes etiam necessarias, ut Comptonus disput. 18. Log. sect. 2. quod tamen alii apud ipsum negant.

Quartam sententiam vidi apud nuperrimos Recc. (quos quidem non posse re differre à superioribus, licet discrepent voce, ostendam infrà) qui negationibus aliquod esse tribuunt, quod nolunt *esse* appellare. quare dicunt negationes aliquid esse non in esse rei, sed solum in esse veri. Hæ sunt omnes, quas sciam, circa negationum quidditatem opiniones. nec mirum, usque adeo laborari in non ente, cujus cognoscendi difficultas ex minima est cognoscibilitate.

§. II.

Verior sententia eligitur, & probatur.

DIco 1. Quod suscipit denominationem negativam, ens ipsum positivum est, quod removetur, vel à quo removetur. De hoc dubium esse non potest; nam in ista denominatione aeris tenebrosi, aer dicitur privatus luce: lux dicitur carens existentia: aer autem, & lux positivæ sunt entitates.

Dico 2. per denominationem negativam, seu privativam non importatur sola entitas subjecti per se spectata. Ratio est; quia hæc est indifferens, ut habeat, & non habeat formam. ergo non potest per se non habere formam; aliter per se haberet determinationem: quæ repugnat indifferentiæ per se. Adde, quod hinc fieret, ut formam recipere non posset. neque enim conjungibilis est forma cum sui privatione. atqui subiectum per suam ipsam entitatem esset privatio formæ. ergo hæc non esset coniungibilis cum entitate subiecti.

Dico 3. per negativam denominationem non importatur mera entitas termini negati; adeoque dum dico lucem non existentem, non significo lucem tantùm.

Prob. sic enim lux per se ipsam esset ut sui existentia, ita & sui non existentia. atqui hoc est evidenter chimæricum; sicuti enim quia lux per se ipsam est lux, & esse lucis, ubicumque, & in quocumque statu ponitur lux, ponitur ipsa, & esse ipsius: ità si lux per se ipsam est non lux, & non esse lucis, ubicumque, & in quocumque statu ponitur lux, ponitur in eodem non lux, & non esse lucis. quare ut posita luce in esse purè obiectivo, ponitur in eodem esse lucis; posita luce in esse reali actuali,

esse etiam lucis in eodem ponitur : ita consequens esset, ut posita luce in esse actuali poneretur in eodem non esse lucis; & luce ab esse actuali sublata tolleretur ab eodem non esse lucis. Hinc autem manifestè sequitur lucem esse chimæram; ea enim chimæra est, quæ posita non ponitur, & quæ non posita ponitur. atqui posita luce, poneretur simul non esse lucis, adeoque lux posita non poneretur: & sublata luce, tolleretur indivisim non esse lucis, adeoque lux sublata non tolleretur. ergò lux chimæra esset. Si ergò lux chimæra non est, sed possibilis, restat ut non possit per se ipsam formaliter non esse.

Dico 4. Per denominationem negativam non significatur entitas termini negati extrinsecè denominata à cognitione negante, ut velle videtur Aureolus, & nonnulli Thomistæ.

Prob. ista propositio, lux non est in aere, non est de secundis, sed de primis intellectis nihilo minus, ac ista, lux est in aere. quod constat; tum quia Philosophus loquendo de veritate propositionis dixit, ex eo, quod res est, vel non est, propositionem veram esse, vel falsam: quare propositio negans rem esse, vera est ex eo, quod res ipsa ex parte obiecti non sit. non ergo habet cognitionem ullam pro verificativo: tum quia ut res est, præciso quolibet actu animæ; ita & non est, præciso eodem actu. neque enim quod res sit, vel non sit, pendet ab intellectu cognoscente, sed à causa dante esse, vel non dante. Ex his ità arguo. Propositio negativa, quæ est de primis intellectis, debet à parte rei habere suum verificativum ab actibus animæ distinctum; aliter cum actus animæ non se teneat ex parte obiecti, sed sit ipsa propositio, ipsa propositio verificaret se ipsam: quod est impossibile; esset enim necessariæ veritatis. atqui denominatio negativa est verificativum ejusmodi propositionis negativæ:

ergo

ergo nullum actum animæ involuit ut formam, à qua res extrinsecè denominatur.

Dico 5. Quod verificat propositionem negativam contingentem distinctum à forma negata, non est positivum aliquod incompossibile cum forma negata.

Prob. aliud ex terminis est non esse mundum aliud esse aliquid impediens existentiam mundi; hoc enim secundum est in priori,& se habet causaliter ad illud primum, quare ista est formalis consequentia, datur impeditivum existentiæ mundi; ergo mundus non existit. ergo enuncians non esse mundum, non dicit verum præcisè,& formaliter,quia existit aliquid impediens mundum. quemadmodum qui enunciat hominem esse risibilem, non dicit verum præcisè, quia homo est rationalis; quamvis rationale necessariò trahat risibile: nec qui dicit lunam eclypsari, verum dicit præcisè, quia terra interponitur; quamvis terræ interpositio invehat eclypsim.

Rursus neque ita enuncians dicit verum materialiter propter impedimentum existentiæ mundi. Sic enim opus esset, ut nulla propositio negativa contingens vera esset, quin existeret aliquid positivum contingens? si enim incompossibile sit necessarium, necessariò & indispensabiliter excludet; adeoque negatio erit necessaria, non contingens. Hoc autem ex terminis ipsis absurdum est; liberum enim est Deo, ut nullum contingens existat: quod constat ex perfectione divinæ libertatis, & imperfectione creatæ contingentiæ. atqui si nullum contingens existat, verum id ipsum erit, & quidem contingenter, nec per aliquod incompossibile contingens. Neque utilis est recursus ad liberam nolitionem Dei adæquatè cum Deo identificatam; talis enim actus manifestam repugnantiam involuit, ut Theologi ostendunt; quia ponit aliquid in Deo, quod ita de facto

est; Deus, ut potuerit non esse Deus; adeòque identificat contingens cum necessario. Imo hæc ipsa nolitio libera cum Deo identificata ut sit causalis negatio obiecti sui, non tamen ullo pacto formalis; aliter, remoto Deo, per locum intrinsecum sequeretur, mundum esse, ut sequitur universim rei existentia ex suæ negationis remotione, Addo, id unum sequi, mundum esse, non verò simul, mundum non esse, per locum intrinsecum; Deus enim per se, suumque actum est remotio rei contingentis formalis juxta hos authores, sed non item per se, suumque actum est formalis rei contingentis existentia. Hæc autem sequela ex terminis videtur absurda; quis enim de facili concedat, ex causæ præcisæ remotione sequi per locum intrinsecum positionem effectus?

Idem argumentum valet à fortiori in aliis formis incompossibilibus. Si enim aquam non esse calidam per hoc haberetur, quod est frigida, ne divinitus quidem posset aqua simul calida esse, & frigida, quia nec divinitus potest calida esse, & non calida. Nec juvat respondere, quod quidam dicunt, expulsivum formale caloris ab aqua non esse frigus utcumque, sed frigus naturaliter existens. Inquiro enim quid addat naturalis illa existentia supra existentiam simpliciter frigoris? non quid positivum; mirum enim esset, ut ens abusivum è natura elimines, nova entia positiva velle superaddere; ergò negationem ipsam addit caloris; cum qua si stet frigus, dicitur naturaliter esse:

Postremo potest voluntas per puram, ut ajunt omissionem suspendere omnem actum liberum ita, ut stante sufficienti propositione obiecti indifferentis, nec illud amet, nec odio habeat, ut in libris de anima probabitur: at certè in hoc casu nullum est positivum impediens actum; si enim esset impedimentum, non constaret libertas omissionis: neque enim voluna,

luntas liberè omittit actum, à cuius positione impeditur. ergo non omnis negatio consistit in positivo impediente.

Dico 6. Qui negationes dicunt esse aliquid nō in esse rei, sed in esse veri, novum vocabulum non novam sententiam invehunt.

Prob. aut enim loquuntur de vero formali, atque ita coincidunt cum sententia Aureoli jam reiecti; veritas enim formalis est ipsa propositio vera; adeoque sensus esset, rem denominari non existentem à propositione negante, in qua una tota notio negationis absolveretur. Aut loquuntur de vero obiectivo; atque ita verum convertitur cum re, & ente; undè cum nostra, communique Recc. sententia consentiunt. non video autem quare negetur de negationibus esse rei, & affirmetur esse veri. quod si religioni ducunt abuti nomine rei, & entis ad significandum non rem, & non ens; quid est, quod audent abuti nomine veri, quod entis, & rei propria passio est, ad significandum non verum? Deindè jam negationibus esse tribuunt ante opus animæ cum entis nullius positivi entitate coincidens. quod autem velint illud esse non rei, sed veri appellare, mea quidem sententia est sero sapere; cum idem scrupulus inijci debuisset à vocabulo essendi ante quam à vocabulo rei.

Dico 7. Denominatio negativa contingens importat aliquid abusivum ex parte obiecti contradistinctum ab omni ente positivo. Veritas hujus conclusionis sufficienter constat ex dictis: est enim ex parte obiecti verificativum propositionis contingentis negativæ, & constitutivum negativæ denominationis pariter contingentis: quod quidem neque est mera entitas subiecti, aut termini negati, neque entitas hujus denominata aut à cognitione negante, aut à positivo impediente. superest ergo, ut sit talis entitas denominata ab ipsa negatione,

quæ

quę sit ipsum rei non esse ab esse quolibet positivo modo suo distinctum. Et hoc non esse ità distinctum appellamus esse abusivum; quæ enim major nominum abusio, quam entis vocabulum adhibere ad significandum non ens?

Dico 8. negationes necessariæ non sunt, nisi ipsa positiva se se mutuo à suis entitatibus excludentia. Sic hominem non esse equum, præter propositionem negantem nihil ex parte obiecti importat præter esse hominis, & esse equi.

Prob. quia talis propositio negativa verificatur per rerum distinctionem, quę quidem nihil est, aut esse potest præter distincta. quod manifestum est primo; quia per idem res distinguitur, per quod constituitur; atque adeo esse ipsum rei in se constitutum distinguit rem ab omni eo, quod non est ipsa; ac proindè per quod res est, quod est, per idem non est, quod non est. Secundò, quia aliter proceditur in infinitum; si enim hominem non esse equum habetur per negationem distinctam ab homine, & equo; jam similiter unam negationem non esse aliam deberet invehere tertiam negationem, quæ ab iisdem per aliam negationem distingueretur, & hæc per aliam sine termino.

Confirm. quia sic darentur infinita entia abusiva necessaria, & à Deo plane independentia: quod si repugnat entibus positivis perfectioribus, à fortiori negativis nullam pene includentibus perfectionem. Neque est par ratio de necessariis, ac de contingentibus negationibus in his enim neque haberi potest essentiale exclusivum, ut habetur in illis: neque potest negatio identificari cum termino, qui esset eo ipso, & non esset; cum in casu negatio equi identificata cum homine efficeret hominem non equum, non vero hominem non hominem,

§. III.

§. III.

Diluuntur obiecta.

OBiic. 1. si negatio esset distincta ab omni ente positivo, terminus infinitus supponeret pro tali negatione, ut *non homo* pro negatione hominis. hoc autem falsum est; quia sic terminus infinitus supponeret pro re certa, & determinata, adeoque infinitus non esset, nec posset cum veritate affirmari de omni eo, quod non est homo; ut enim possumus verè enunciare, lapidem esse non hominem, non item, lapidem esse negationem hominis, quæ scilicèt ab omni positivo statuitur distincta.

Argumentum rectè probat, negationes necessarias à positivis distinctas non esse; terminus enim *non homo* infinitus est, cùm necessariò, non cum contingenter negat; quia tunc non supponit pro aliqua speciali negatione, sed pro omni positivo distincto ab homine.

Ob. 2. termini propositionum contradictoriarum debent esse omninò iidem; neque enim est contradictio, nisi cadat suprà idem; ergo duæ istæ propositiones, aer est lucidus, aer non est lucidus, eosdem habent terminos. atqui prima nullam habet negationem, ergo neque secunda: vel si hæc habeat negationem à positivis distinctam, habet terminum non habitum in prima: quod est contrà naturam contradictionis. Confirm. juxtà nostrum dicendi modum istæ essent contradictoriæ, lux est in aere, negatio lucis est in aere; habent enim omnes proprietates contradictoriarum; quia nec possunt esse simul veræ, nec simul falsæ: & tamen habent diversos plane terminos, & ambæ sunt affirmativæ. noster ergo dicendi modus invertit leges contradictoriarum.

Resp. terminos earum propositionum esse pla-

planè eosdem, quia lucidum, quod in una affirmatur de aere, in altera negatur; quamvis, quia duæ illæ propositiones possunt esse successivè veræ, adeoque termini sunt per se indifferentes, ut verificent, vel falsificent propositionem, debet si minus ex parte dicti, saltem ex parte rei, & objecti aliquid esse, & importari in obliquo, quod determinet istam indifferentiam, & reddat negativam veram: quod appellamus negationem.

Ad conf. dico illas esse contradictorias; *sicuti enim*, inquit Philosophus cap. de oppositis, *affirmatio ad negationem opponitur, ut quod sedet, ei, quod non sedet, sic & res, quæ sub utroque est, opponitur, scilicet sedere aliquem ad non sedere*. quæ ergo propositio non sedere, seù negationem sessionis enunciat, contradicit enunцianti sessionem. Ratio est, quia revera propositio assumens negationem ut terminum positivum impropria valde est, & abusiva; negatio enim non enunciatur per affirmationem, sed per negationem. quod si enuncietur affirmando, æquivalenter negando enunciatur; quare illa propositio, negatio lucis est in aere, videtur, sed non est affirmativa, cum æquivaleat negativæ dicenti, lucem non esse in aere.

Ob. 3. si negatio esset aliquid antecedenter ad opus animæ, esset aliquid positivum. hæc autem est contradictio in terminis. ergò. sequela prob. esse positivum nihil aliud est, quam esse aliquid existens ante operationem intellectus. hujusmodi esset negatio. ergo esset quid positivum. Neque obstat, quod ponatur entis positivi remotio; cùm enim (inquit Izquierdus) duo extrema se invicem removent, non est, cur ex capite remotionis unum præ altero dicatur positivum, aut remotivum, sed lux, & negatio lucis habent ambo esse à p. r., & se mutuo formaliter excludunt. ergo non est, cur

lux

lux dicatur ens positivum, & non item negatio lucis.

Confirm. negationibus ità constitutis competunt proprietates omnes entis positivi; habent enim primò suam qualemcumque essentiam, suamque existentiam. habent unitatem, & multiplicitatem. habent bonitatem; negatio enim mali bona. habent veritatem, quę potest per judicium etiam affirmativum ab intellectu judicari. Atqui istæ sunt entis positivi proprietates.

Hoc argumentum, cui ultrà meritum fidunt quidam Recentiores, apparentiam difficultatis habet ex penuria vocabulorum. ipsum enim non ens explicamus per ens, & dicimus ipsam negationem lucis esse à p. r. & ens esse, & aliquid, cum tamen reverà sit non ens, & non aliquid. hinc semper his vocibus apponimus additum distrahens, dum dicimus negationem esse ens abusivum. Hinc ad argumentum dist. ma. si negatio esset aliquid simpliciter dictum, conc. si aliquid abusivè, nego ma. ad probationem dico positivum differre à negativo utens à non ente: quæ notiones primæ sunt, nec ulterius explicabiles. Et licet negationibus aliquale esse tribuamus, illud tamen dicimus nihil esse præter ipsum non esse, tollere, ac removere: in quo satis distinguitur ab esse positivi.

Instantia Izquierdi alia instantia retunditur; nam judicium negativum est mera intentionalis remotio prædicati à subiecto, neque potest aliter explicari: & tamen tam judicium negativum tollit formaliter veritatem positivi, quam positivum negativi. Directe dicimus, remotionem esse proprium conceptum entis negativi, sed non positivi; quod quidem ut concipiatur non debet expresse intelligi, ut removens sui remotionem, licet eam per se formaliter removeat. at negativum non habet alium conceptum, præter quam removendi.

Ad

Ad conf. constat, quid sit dicendum, ut negationibus damus abusivam entitatem, hoc est entitatem, cuius totum esse est alterius non esse: ita & damus abusivam unitatem, bonitatem, & veritatem, quatenus istæ radicari possunt in ipsa exclusioue habitus, & formæ; nam & bonum est excludere malum, quod sæpe est positivum: & verum est, illud excludi: & una est unius exclusio; quælibet enim res ut habet unum esse, ita & unum non esse.

Ob. 4. Esse ens simpliciter est habere prædicata sibi intrinseca, vereque affirmabilia. atqui negationes habent ejusmodi prædicata: ergo sunt entia simpliciter, adeoque positiva.

Conf. 1. negatio, aut aliquam perfectionem habet, aut nullam. si nullam, essentialiter superfluit, nec habet meritum ullum existendi. si aliquam; ergo est ens positivũ; habere enim perfectionem est participare perfectionem divinam, adeoque est esse quid positivum, quod est formaliter divinæ bonitatis participatio.

Conf. 2. Repugnat negationem realem, & existentem esse essentialiter nihil; aliter esset chimæra. ergo est essentialiter aliquid: ergo ens. ergo positivum. Et quidem non videtur, quare unio sit positivum ens, quamvis imperfectum valde, ac diminutum; & non sit ens positivum formalis negatio alterius mundi, quę perficit intellectum, eumq; movet ad affirmandum alterum mundum non existere.

Hæc quidem omnia, quę satis exaggeratè proponit Recc. quidam, ex dictis modò constat, quam sint inania. Ad argumentum igitur resp. negando majorem, quæ solum vera est, dum prædicata saltem prima sunt positiva, non negativa, neque vero ità respondendo principium petimus; assumimus enim distinctionem inter prædicatum positivum, & remotivum, quæ per se est cuique nota.

Ad 1. conf. dicimus negationi suam esse aliqualem perfectionem; cum enim sit exclusio entis imperfecti, imperfectio est, ut est exclusio entis, perfectio, ut est exclusio imperfecti: atqui ità est aliquatenus participatio divinę bonitatis non in quantum hæc est, quod est; sed in quantum non est imperfectiones creatæ. Dum vero urgetur, hoc esse ens positivum, participationem divinæ perfectionis qualemcumque; reditur eodem, ut assumantur ad arbitrium notiones.

Ad 2. conf. dicimus negationem esse essentialiter nihil non quidem necessarium, sed contingens; quatenus dum est, nihil est, sed tamen est abusivè: dum non est, nihil est, sed nec positivè, nec abusivè. Instantia de unione non est ad rem; conceptus enim uniendi non est conceptus auferendi. Intellectus autem perficitur à cognitione potente se etiam extendere ad non ens. quare non sequitur, obiectum a per sui cognitionem perficit intellectum. ergo obiectum a est ens. est enim fallacia consequentis, cum procedatur à positione consequentis ad positionem antecedentis.

CAPUT II.

Per quid, & quando principiet mutationem privatio:

Lis hæc tricis vocabulorum refertissima, ut evolvatur, duo quærere seorsim debet. primum, quodnam sit illud, per quod formaliter habet privatio, ut ingrediatur conceptum mutationis, & rem in fieri principiet. alterum, quando nam principiet. cum enim in omni mutatione sint duo instantia, alterum, in quo materia privatur forma, alterum, in quo habet forma, in utro eorum privatio mutationem principiet, quæri meritò potest.

In

In qua re triplicem sententiam reperio. Prima est eorum, qui asserunt privationem principiare, dum ipsa ultimo est in materia, & immediatè generationem, mutationemque præcedit. Tribuitur Okamo, aliisque. Secunda est communior eorum, qui volunt privationem principiare, dum primo in materia non est. Quæ duæ sententiæ illud videntur habere difficile, quod prima ponit principium sine principiato: secunda ponit principiatum sine principio. tertia sententia, seù potius error est eorum, qui dicunt privationem principiare in instanti generationis, & introductionis novæ formæ, cum qua scilicèt componitur; ita ut simul verè habeatur non esse formæ in recessu, & esse formæ in accessu. Mirum est, quod cuipiam ista opinio in mentem venerit; magis mirum, quod Bachoni viro cæteroqui doctissimo in 3. dist. 3. q. 2. ar. 3.

Dico 1. Privatio principiat mutationem per suum esse, quod immediatè antè mutationem habet modo suo in materia.

Prob. quod privatio principiet mutationem, nihil aliud importat, quam quod ingrediatur, & constituat conceptum mutationis. ergo per illud formaliter principiat, quod talem conceptum ingreditur, & constituit. atqui esse privationis immediatè ante habitum in materia est dè mutationis conceptu. ergò. subsumpta constat explicando conceptum mutationis, quæ importat subiectum aliter se habens nunc, ac prius; ac proindè quod si nunc habet formam, eam prius non habuerit.

Dico 2. Privatio non principiat mutationem in instanti generationis, in quo formæ coexistat. Probatio est evidens; neq; enim possunt simul stare forma, eiusque privatio: quod est tam certum, quam certa est veritas primi principii; forma enim, eiusque privatio est esse, & non esse ejusdem formæ. tam igitur est manifestum,

non

non posse formam suæ privationi coexistere; quam est manifestum non posse formam simul esse, & non esse:

Dico 3. Privatio principiat fieri rei naturalis, dum ipsa primò non est in materia.

Ante probationem noto, denominationem mutati, qua res denominatur fieri, & materia transmutari, esse denominationem longicam; constat enim ex partibus oppositis: quæ non possunt stare simul physicè, & secundum esse, sed solum possunt logicè, & secundum denominare.

Noto iterum, mutationem esse illam, qua subjectum aliter nunc se habet, ac se habebat anteà. sed hæc potest tripliciter accipi, de præsenti, de præterito, de futuro. potest enim intelligi, & explicari, quod materia mutabitur, quod mutatur, quod mutata sit. hinc accipiendo tria instantia, in quorum primo materia sit privata, in secundo sit sub forma introducta, in tertio sit sub forma conservata; ex his in primo verum est, quod materia non mutatur, sed mutabitur; in tertio verum est, quod materia non mutatur, sed mutata est: & solum in secundo est verum, quod mutatur; quia tunc verificatur, quod aliter se habet; cum in 1. verificetur, quod aliter se habebit; in 3. quod aliter se habuit. Stet igitur conceptum mutationis præsentis in eo dumtaxat instanti haberi, in quo primo forma est, & non est privatio.

Prob. jam conclusio. tunc privatio mutationem principiat, cum ipsam actu constituit mutationem, adeoque in eo instanti, in quo salvatur conceptus mutationis præsentis. atqui iste non salvatur, nisi cum privatio primò non est, ergo tunc privatio mutationem principiat. ma. prob. constitui actu non potest totum, nisi totum sit actu, adeoque nisi actu sint omnia ejus constitutiva pro modo à denominatione exigito;

gito; si enim totum actu non sit juxta suæ denominationis modum, pars non dicetur ipsum actu, sed potentia constituere. Et quia sumus in denominationibus logicis, in his ipsis sit exemplum. tunc dicitur tempus præteritum constituere domum antiquam, cum actu eam denominat: & sic tempus licet nunc non existens, nunc dicitur constituere, & denominare domum antiquam. similiter duratio rei hesterna denominat illam, & constituit nunc præteritam: & sic de aliis.

Conf. & explicatur ulterius. in primo instanti generationis habetur totus adæquatè conceptus mutationis; quia habetur totum hoc in eo instanti, quod materia sit sub forma, sub qua ante non fuit. in quo conceptu importatur quidem instans præteritum, & ultimum privationis; quia tamen non importatur nisi ut præteritum, jam in instanti generationis habetur, si non physicè, saltem denominativè, quidquid ingreditur conceptum mutationis præsentis. mutatio igitur non constituitur per privationem existentem in actu; qua non dicitur mutari, quod actu privatur forma, sed quod actu est sub forma, qua fuit antè privatum. ergò privatio ingreditur conceptum mutationis, ut non existens actu; adeoque principiat, quando actu primò non est.

Obiic. 1. primum non esse privationis est formaliter primum esse formæ. sed privatio principiat, dum primò non est. ergo principiat per esse formæ; atque adeò distinctum principium à forma non est.

Conseq. est nulla, quæ scil. ut recta esset, debebat ità formari minor, *sed privatio principiat per suum primum non esse*. Principiat ergo mutationem ultimum esse privationis in materia, sed cum non est. sic tempus denominat rem antiquam per suum esse, cui res conduravit, quamvis antiquam eam

non denominet, nisi dum amplius non est.

Ob.2. privatio est physicum principium, non logicum; numeratur enim inter principia physicæ mutationis. ergo principiat, dum est.

Privatio est principium physicum, quia & ipsa est realis, & naturalis, & est physicæ considerationis: sed non principiat, nec constituit physicè, sed logicè; neque, enim est forma intrinsecè afficiens mutatum, ut albedo subiectum, sed eius conceptum ingreditur in quantum præterita, atque ita denominat.

Ob.3. quod non est, non est principium: privatio in instanti generationis non est. ergo tunc non est principium.

Nomen principii stat æquivocè; si enim applicetur principio reali, quod physicè naturam constituit, maior est vera. sed si applicetur principio reali, quod solum Logicè, ac denominativè constituit, maior est universaliter falsa. tunc autem à negativa de secundo tenet cons. ad negativam de tertio adiacente, cùm termini retinent suum statum: secus, cum ampliantur; unde sicuti ista est bona, Petrus non est, ergo non est albus, non item istæ, ergo non est cognitus, ergo non est præteritus, ergo non est mortuus: idem dic in re nostra; quia perindè est privationem principiare, ac non esse, sed fuisse, cum sic denominet.

Ob.4. terminus à quo mutationis necesse est, ut præcedat mutationem. ergo tunc principiat cum præcedit.

Neg. cons. instantia est in denomnatione præteriti. duratio enim rei, ut eam denominet præteritam debet præire tempus præsens. ergo tunc illã denominat, dum præit. sed præit, dum res est. ergo dum res est, præterita est. Privatio igitur non principiat dum præcedit, sed dum præcessit; quia conceptum mutationis, ut dictum est, non ingreditur privatio præsens, sed præterita.

Ob.

Ob. 5. Actualis principiatio privationis explicatur per hoc, quod privatio sit actu id, post quod sequitur immediatè mutatio. sed hoc habet privatio, dum ultimò est in materia. ergo. ma. prob. paritate. aurora dicitur principium diei, quando est; quia tunc est id, post quod immediate erit reliquum diei.

Nego maiorem. antè mutationem principium est actu, sed non actu est principium, quia tunc non actu principiat, & quidem principium, si credimus Philosopho, non est actu tale, quando est id, unde aliquid fiet, sed quando est id, undè aliquid fit. Ad probationem maioris dico, nomen principii aliter competere partibus continui, aliter partibus mutationis. primis competit secundum esse quod habent, & tunc cum esse habent: in quo rationem obtinent initii verius, quam principii. non sic secundis omnibus. de quo non alia ratio ulterior quærenda præter placitum loquentium. & ideo ab initio monui in hac quæstione plurimum esse de voce.

QUÆSTIO QUARTA.

De Forma.

CAPUT I.

Quid sit forma; & an sit tota quidditas compositi.

NOmen formæ simpliciter, & sine addito stat pro substantiali parte scilicet actuali naturalis corporis, quod constituit, & reponit in ultima sui perfectione, & physica specie. solet etiam hæc dici forma partis ad differentiam naturæ totalis, & completæ, qualis est

humanitas, quæ nuncupatur forma totius; Hanc Peripatetici ita communiter ex Philosopho definiunt: Est actus primus corporis physici. In ratione actus à materia distinguitur, sed confunditur cum accidente, à quo secernitur in ratione primitatis; præcedit enim accidens forma tum perfectione, tum intentione, & secundum causalitatem finalem: licèt non raro præcedatur secundum efficientem. Dum verò additur, quod sit actus physici corporis, intelligi potest, quod sit actus, vel materiæ, quam determinat, vel totius, quod constat; cum enim forma dicat ordinem, tum ad totum, tum ad subiectum, in ordine ad utrumque definiri potest, ut iterum dicetur, ubi Aristotelica animæ definitio explicabitur.

Aliter Philosophus, & suo more subobscurius formam definit 2. phys. t.28. *Rationem ipsius quod quid erat esse*, h. e. ipsam rei cuiusque propriam quidditatem; non quòd forma sit tota rei quidditas, sed quod sit quidditatis pars principalior, ac perfectior. quare videtur loqui figuratè per antonomasiam. Quod idem dicendum ad alias authoritates, quæ ex 8. metaph. & ex 9. eth. desumuntur, & animam rationalem totam hominis quidditatem appellant. Addit Buridanus 7. met. q.12. in his loquuntum sæpè Aristotelem non ex proprio sensu, sed ex mente Platonis, contrà quem agebat, quique cum animam corporis formam non informantem, sed assistentem assereret, hominem proindè per solam animam absolvebat.

Sed his non obstantibus Commentator, & Lincoln. apud eundem Buridanum dictis Philosophi authoritatibus moti formam universim totam corporis quidditatem voluerunt. Sed male; primo enim hinc fieret, ut sola anima esset homo. quare quæcumque dicuntur de anima, dicerentur de homine, & è converso. aut igi-

igitur homo immortalis, aut anima mortalis esset.

Secundò, quia constat ex terminis, nullum compositum non esse suas omnes partes; cum enim partes sint simplices, si una pars esset compositum, hoc non esset compositum, sed simplex. quod si diceretur, esset contra suppositum quæstionis, in qua quidditatem inquirimus compositi naturalis.

Tertiò. Substantia, natura, & quidditas rei sunt synonima. sed forma nec est tota rei substantia, nec est tota rei natura. ergo non est tota quidditas, min. prob. quoad primam partem; sic enim materia non esset substantia: quod evidenter est falsum, cum illi competat propria ratio, ac definitio substantiæ. prob. quoad alteram partem; natura enim dicit utrumq; principium, activum, & passivum: forma verò est dumtaxat principium activum.

Unum est, quod in hac re, satis cæteroqui manifesta, difficultatem habet. hinc enim videtur fieri, ut, si materia quidditatem rei naturalis ingreditur, mutata materia, res etiam naturalis mutaretur; neque enim fieri potest, ut res maneat invariata, dum variatur ipsius quidditas. At hinc ulterius sequitur, ut homo senex non sit idem cum se puero, nec idem homo moriatur, qui nascitur, nec idem sit deinde resurrecturus, qui nunc moritur. etenim per nutritionem, & augmentationem vitalem continenter mutatur in vivente materia, & pro parte deperdita nova succedit. Rursus materia unius hominis sæpè transit in materiam alterius, vel quia cadaver unius abit in elementa, & hinc in mixta, & ex his in alium hominem; vel quia, ut contingit apud barbaros, humana carne nonnulli vescuntur. vel ergo plures in una materia resurgent; vel si dabitur iis alia materia, non resurgent iidem.

Hoc tamen argumento æquè convincitur for-

mam esse extra quidditatem totius. in plantis siquidem, & in brutis, quibus est materialis anima, & juxtà communiorem sententiam divisibilis in partes, per nutritionem cum parte materiæ deperditur pars etiam animæ, quæ deperditam materiæ partem informabat. cum ergo forma supponatur ab adversariis tota quidditas, amittitur consequenter pars quidditatis: atque ita non erit idem canis, nec eadem arbor nunc, quæ fuit anno præterito: quod nihilò minus est contrà communem sensum.

Directe dicimus, multipliciter rem naturalem perseverare eandem. primò moraliter, & æquivalenter. sic dicimus eundem manere fluvium, quamvis aqua sit in continuo fluxu, & una alteram trudat. secundò physicè, idq; tripliciter; aut enim est permanentia materialis simul, & formalis; qua ratione dicimus permanere idem aurum, eandem gemmam, cuius eadem materia, eademque forma intacta perseverat, aut est permanentia dumtaxat materialis, ut posset dici perseverare lignū, dum transit in ignem, quia eadem est utriusque materia. sed hic loquendi modus vulgò non usurpatur. aut est permanentia dumtaxat formalis: quo pacto, dum vivit, manet semper idem homo. sed homo non manet idem tantum formaliter, sed etiam materialiter secundum partes corporis præcipuas, quæ primigeniæ appellantur, & nunquam amittuntur. Bruta perseverant eadem formaliter, & materialiter secundum partes animæ, materiæque præcipuas, perfecteque compactas, quæ per calorem non attenuantur, nec evolant. idem dic de plantis. Hæc omnia dicuntur communiter eadem perseverare; quia licet eorum materia varietur, mutatio tamen ista fit successivè insensibiliter. Quod totum cum pertineat ad modum loquendi, non est cur in eo diutius immoremur.

CA-

CAPUT II.

An, & quæ formæ de materiæ potentia educantur.

LIs præsens posset esse primò, cum Atomistis contendentibus, si forma sit ens illud à materia distinctum, quale ponunt Peripatetici, omnem formam creari: ad quod satis esse putant, si producatur ex nihilo sui. Ita inter cæteros Magnanus Cap. 1. Phil. Naturæ propos. 5. ubi ait, modos varios à Nostris excogitatos explicandi rationem propriam eductionis, ut à creatione distinctæ, dubiam eo ipso reddere eorum fidem. imò verò eos & multum habere obscuritatis, & parum satisfacere curiosis ingeniis, fateri peritissimos quosque ipsorum, hac in parte rogatos dicere ingenuè sententiam suam.

Sed primò hic author multos exponit explicandi eductionem modos, sed nullum, nisi fallor, plene intellectum, ut alibi conficiam, ubi conceptum eductionis, & materialis causalitatis in tract. de causis dabo. Secundò, si varietas dicendi suspectam Magnano reddit Peripateticam doctrinam, multo magis mihi Atomisticam, in qua scil. ex libertate philosophandi, quam sibi sine duce unusquisque arrogat, longe maior authorum dissensio reperitur. Tertiò, qui fuerint peritissimi illi Peripatetici, quibus sua doctrina displicuit, nec Magnanus narrat, nec ipse curo; neque enim peritissimos nominabo Peripateticos, qui non satis intelligant, quod est in Aristotelica scola tritissimum, ac satis facile iis, quos novandi studium urtica sua non tetigit.

Quartò, difficultas si qua est explicandi naturam eductionis, nihil minus efficere debet, quam ut nos ab ea asserenda deterreat. sæpe

enim de re aliqua certi sumus quoad *an est*, dubii quoad *quid est*. Et ita est in præsenti; inquiro enim ab his, utrum actus animæ rationalis ab ea distinguant, nec nè. secundum non facile dicent cum Magnano, primum si dicant, concedere ulterius debent, eos, ab anima effici, hoc petente scilicet conceptu vitæ, ut vivens ipsum efficienter se moveat. Inquiro nunc præterea, utrum eductivè, an creativè intellectio ab anima procedat, primum formidabis admittere, qui eductionem è medio tollis: sed cogeris tamen admittere, ne in alterum incidas, ut creaturæ tribuas vim creandi.

Supposito igitur eductionem esse, rudis ipsius notio communiter ea traditur, ut sit productio formæ dependenter à subiecto. Atque hic modus productionis animæ rationali sine dubio non convenit; cum enim hæc habeat modum operandi per intellectionem à materia penitus emersum, & independentem, consequens est, ut esse etiam habeat à materia emersum, & independens. Convenit tamen formis omnibus materialibus, quæ nec operari, nec esse possunt extrà materiam. Limitant hanc universalem Thomistæ putantes cælorum, atque elementorum formas in prima rerum productione fuisse à Deo non eductas, sed creatas, seu verius concreatas. Consentit quoad formas cælestes Suarius; sed elementares tamen contendit eductas.

Displicet utraque limitatio. quare nullam formam materialem non educi de materiæ potentia sic ostendo. Nomine eductionis venit illa actio, quæ ponit formam dependenter à subiecto, ut à causa materiali; idcircò enim anima rationalis non educitur, sed creatur, quia est forma independens, & subsistens: Atqui omnes formæ materiales fiunt dependenter à subiecto. ergo omnes educuntur. major est notio eductionis, qua sufficienter à crea-

creatione fecernitur: & quodcumque addatur, arbitrariè additur. prob. min. Illæ formæ, quæ non possunt naturaliter esse sine materia ex vi suæ naturalis actionis, non possunt accipere esse subsistens, & independens à materia; talis enim actio non esset juxtà naturam, & exigentiam termini. sed nulla forma materialis potest naturaliter esse sine materia, nec potest habere esse subsistens, ut est certum, & conceditur à Thomistis. ergò nulla forma materialis potest naturaliter fieri per actionem, qua ponatur in esse independenter à materia.

Dices 1. conceptum eductionis non in hoc stare, quod forma fiat dependenter à materia, sed quod fiat per actionem transmutativam materiæ à forma ad formam: quæ transmutatio nulla fuit in prima rerum productione. Id autem ex eo constat, quod eductio formæ est indivisim generatio totius: generatio autem per mutationem ab Aristotele definitur.

Sed jam quæstio deducta est ad voces. nego equidem eductionem de suo conceptu esse transmutativam materiæ: quæ enim actio ponit formam dependenter à subiecto, non est creatio, cuius est rem ponere ex omni nihilo tum sui, tum subiecti. atqui præcisa transmutatione materiæ, habetur actio effectiva formæ cum dependentia à subiecto in priori non temporis, sed naturæ præsupposito. ergo præcisa transmutatione, habetur eductio. Quod ipsum ex eo ulterius apparet, quia eadem est actio rei effectiva, & conservativa. jam vero conservatio formæ mutationem non involvit, & cum sit eadem primæ eiusdem productioni, consequens est, ut sit etiam eductiva, & non creativa. accidit ergo eductivæ actioni mutatio. Neque obstat authoritas Aristotelis generationem per mutationem definientis; putavit enim is per errorem, essentialem esse mutationem generatio.

rationi, cum primam rerum productionem non agnoverit.

Dices 2. formas materiales numquam creari (quod unum probatur in argumento) sed tamen concreari cum materia; & per hoc satis distingui à formis immaterialibus, quæ creantur, non concreantur.

Sed quid est formam concreari? vel enim est produci eadem actione creativa, qua fit materia, vel alia quidem actione, necessariò tamen connexa cum creatione materiæ. non potest dici secundum; redit enim superior inquisitio; quia vel secunda partialis actio ponit formam dependenter, vel independenter à subiecto: si dependenter, malè dicitur creatio: si independenter, non est juxtà naturam formæ materialis. Nec potest dici primum; rursus enim inquiro, utrum illa actio terminetur ad formam simul, & materiam, ut si Deus materiam simul, & animam rationalem indivisibili causalitate crearet; an vero, ut per illam servetur ordo, & forma sit dependenter à materia? Primum ex sæpè dictis contrariatur naturę formæ materialis. Alterum dici non posse sic probo. Actio productiva formæ supponit in priori totam causam adæquatam formæ, adeoque supponit materiam, quæ complet agens in ordine ad productionem formæ, ut admittitur. ergo supponit materiam in priori productam; quì enim potest materia supponi existens, & non producta? ergo supponit actionem productivam materiæ; quì enim potest materia supponi pruducta sine productione? si ergo eadem esset actio, qua materia produceretur, ipsa se supponeret, essetque se ipsa secundum naturam prior. Rursus si in priori ad formam haberetur actio pruductiva formæ, in priori ad formam haberetur forma; quia impossibile est non haberi terminum in eo ipso signo, in quo eius productio intelligitur.

Pro-

Probatum hactenus generaliter est omnem formam materialem educi. Stat tamen contrà Suarius, ut formas cælestes excipiat; quia enim, inquit disp. 105. met. sec. 3. cælum est incorruptibile, petit produci per actionem, ratione cuius materia stare non possit sub privatione formæ. consequens ergò est, ut cæli materia, & forma eadem actione indivisibili producantur: quæ cum sit creativa non solum materia, sed & forma cæli creetur, oportet.

Sed primò incorruptibilitas cæli (si tamen cælum incorruptibile est) non est opus, ut oriatur ex actione, aut materia addicta formæ suæ, cum possit oriri à forma non habente contrarium. secundò ad hoc satis esset, si actio productiva materiæ trahat necessariò actionem productivam formæ, ut actio productiva Solis trahit actionem productivam lucis. Tertio ex ipsa cæli incorruptibilitate arguitur formam cælestem non esse subsistentem, sed petentem necessariò esse in materia, quod si subsistens, naturaliter etiam stare sine materia posset, adeoque posset cælum naturaliter corrumpi. atqui omnis forma non subsistens petit educi.

CAPUT III.

Utrum in una materia plures formæ, & una forma in pluribus materiis esse possit.

Multiplex esse potest præsentis controversiæ sensus, quem breviter sequentibus dictis exponam simul, & solvam.

Dico 1. Duæ formæ possunt etiam naturaliter unam unitate dumtaxat continuationis materiam informare secundum alias, & alias illius partes. Ratio conclusionis est ab experientia docente eandem virgam ex parte viridem, ex parte siccam, duplicem continenter formam, viventem alteram, alteram non viventem in eadem materia continuata sustinere.

neque officit, quod quæ specie differunt, continua esse non possunt, ut sæpè Aristoteles docet; hoc enim si detur ut verum, nihil evincitur; quia ut formæ non continuentur, quæ differunt, materiæ partes, quæ sunt idem in specie, continuantur.

Dico 2. Plures formæ non possunt recipi naturaliter in eadem parte materiæ. Prob. vel enim sunt eiusdem rationis; atque ita superfluunt, si idem utrique temperamentum tribuitur; aut si suum singulis, supra naturalem mensuram erunt in corpore qualitates. Vel diversæ; & sic exigerent qualitates, ac temperamenta contraria, quæ in eodem passo secundum naturam esse non possunt. Hinc fit, ut nusquam huiusmodi coniunctionis vestigium in natura deprehendamus. quod enim obiicitur de ferro candente, nihil est, cum sit indubitatum ignis, & ferri substantias invicem permixtas ibi reperiri, insinuante se flamma penitus in ferri poros.

Dico 3. plures formæ disparatæ possunt divinitus recipi in eadem materia. Prob. potest Deus, ut vulgo admittitur, superare contrariarum qualitatum pugnam, frigusque, & calorem in summo invicem copulare. poterit ergo pariter formarum substantialium oppositionem vincere, easque una conjungere. quæ conseq. ex eo recta videtur, quod tota lucta, & contentio formarum solis qualitatibus immediatè, & formaliter exercetur.

Huic conclusioni refragantur Thomistæ ex multis. 1. quia formæ individuantur, & distinguuntur per materiam; adeoque fieri non potest, ut plures sint, formæ, si materia est una. secundo, quia sic materia esset multifariam essentiata, & in specie multiplici. 3. quia sic redditur insolubilis quæstio, qua inquiritur, unumne, an multiplex compositum resultaret.

Ad

Ad 1. assumptum est falsum, & si transmittatur, id unum concludit, formas solo numero distinctas eidem subiecto inesse non posse: non sic, si formæ distinguantur specie. Ad 2. materia non essentiatur per formam in illius essentiæ ratione, quæ invariabilis, & immultiplicabilis est, nisi varietur, & multiplicetur entitas: sed essentiatur quodammodò physicè, dum reponitur in specie completa, quæ quidem, & variabilis est, & multiplicabilis, ut successivè per naturam, item simultaneè per miraculum. Ad 4. quæstio illa facile solvitur, dicendo compositum esse multiplex; complexum enim dicens in recto plures partes, ut sit multiplex, satis est, si una pars multiplicetur, ut constat ex dictis in Log. ubi de Denominativis.

Dico 4. naturaliter una forma in pluribus materiis adæquatis esse non potest. Prob. aut enim duæ materiæ deberent esse in eodem loco penetratæ, ut possent eandem formam recipere: aut deberet forma esse in duplici loco replicata, ut posset duas materias informare. utrumque autem naturæ potestati est impossibile.

Dixi *in pluribus materiis adæquatis*; nam posse eandem formam indivisibilem ob suæ perfectionis eminentiam plures materiæ partes informare, est certum in anima rationali, quæ spiritualis cum sit, tota est in toto, & tota in qualibet corporis parte.

Dico 5. Potest divinitus eadem forma in pluribus materiis collocari. Prob. nam & potest idem effectus pendere à duplici causa totali, adeoque una esset forma à duplici causa materiali, & potest idem corpus collocari divinitus in duplici loco. ergo & forma una in duplici subiecto. Porrò præsens conclusio impugnari solidè non potest, nisi supposito, quod materia sit principium individuationis formarum: quod in metaph. reiicietur.

CA-

CAPUT IV.

Utrum in uno composito sint plures formæ substantiales.

DIctum est de pluralitate formarum in una materia: nunc dicendum de pluralitate formarum in uno composito. Sensus quęsiti est, utrum ad componendum unum compositum præsertim animatum plures formæ re distinctę, & invicem subordinatæ concurrant. fuit enim Avicembronis, & Ianduni sententia tot esse formas physicas in composito, quot sunt gradus metaphysici, Avicenna formam corporeitatis materiæ coævam statuit. Scotus vero, aliique nec pauci, nec contemnendi in solis, omnibusq; viventibus ejusmodi formam agnoscunt; quam opinionem Henricus ad unum hominem restringit. Cæterum authores formæ corporis, quæ animæ subordinetur, in duplici sunt classe: alii enim unam eam volunt, ejusdemque rationis in omnibus viventis partibus. alii multiplicem statuunt, & heterogeneam juxta heterogeneitatem, quam in iisdem partibus experimur.

§. I.

Una forma in quovis composito asseritur?

DIco 1. In composito naturali non sunt tot formę realiter distinctæ, quot sunt gradus in eo metaphysici.

Prob. 1. si distinctio rationum, quas in toto invenimus, probaret realem formarum distinctionem, entia quoque simplicia, ut Angeli & Deus, ex quibus plures non minus conceptus abstrahere possumus, similem in se entitatum

mul-

multiplicitatem admitterent. At certe in neutris ex hoc capite distinctio istæc concedenda; si enim vix, & ne vix quidem probatur ex eo distinctio aut formalis Scotistica, aut virtualis intrinseca, quantò minus realis.

Prob. 2. quęcumque forma dat specificum gradum substantiæ completæ, dat eidem indivisim gradus omnes superiores. supervacaneè igitur, & impossibiliter aliæ formæ ad hoc dantur. antec. prob. inductione; nam forma lapidis & est substantialis, adeoque dat toti perfectionem substantiæ, & est materialis, adeoque dat toti perfectionem corporis; & est ipsa lapideitas, adeoque dat toti perfectionem lapidis. Similiter discurre de anima vegetativa plantæ, sensitiva bruti, rationali hominis, in qua specialis scrupulus propter ejus spiritualitatem mox evelletur.

Dico 2. nulla est forma corporeitatis materię coæva.

Prob. 1. neque enim aliunde fingi potest necessitas formæ eiusmodi in materia, nisi ut materia per ipsam evadat aptum substantialis transmutationis subiectum. Ad hoc autem nulla forma est opus, & quia materia per se, suamque essentiam id habet; & quia ut per se immediatè recipit illam formam, ita & per se immediate nata est recipere reliquas. Neque vero ista forma extendit, dividitque materiam, & eam distinguit in partes; ad hoc enim satis esse quantitatem opinantur Thomistæ: nos verò cum sententia communiore ipsam per se id habere materiam in metaphysicis ostendemus.

Prob. 2. generali ratione, quæ omnem formarum multiplicitatem à materia excludit, fundaturque in eo principio vulgari, ex duobus entibus in actu non fit unum per se. quia igitur prima forma materiæ adveniens constituit cum ea ens, actu, quæcumque dein forma supervenit, per se unum constituere cum ea non potest.

Res.

Respondent non omninò improbabiliter adversarii, verum id esse de forma dante esse specificum, & atomum, non de forma dante esse genericum, quæque proinde comparatur ad formam consequentem, ut potentia ad actum sub eodem genere substantiæ. Exemplum habes primò in materia ipsa, quæ licet metaphysicè omninò in suo esse constituta, ulterius est physicè perfectibilis, & potest substantiam constituere, cui esse materiæ atomum sola tribuat generica prædicata. Exemplum habes secundò in metaphysicis gradibus; differentia enim corporis est actus relate ad substantiam, & simul cum substantia est potentia relate ad differentiam animati, cum qua vivens constituit: idem contingere potest in formis physicis subordinatis.

His non obstantibus, adhuc puto eam rationem probabiliter posse defendi. Sic enim arguo. materia cum forma corporis constituit compositum in specie atoma non solum metaphysica, sed physica. quodcumque ergo illi supervenit, unum per se physicum componere cum ea non potest. conseq. constat; compositum enim sic constitutum est natura completa in omni linea; quæ uniri cum alio non potest in linea, & ratione naturæ; aliter homo uniri posset cum bruto ad faciendum unum per se physicum. antecedens prob. & 1. quod constituat unum in specie atoma metaphysica, est manifestum; tum quia nulla est forma accidentalis, quæ tribuat esse genericum sine specifico; neque enim datur qualitas, quæ tantum tribuat esse quale. tùm quia non potest intelligi forma realis, quæ non sit constituta in specie atoma. quæ cũ communicet cõposito totũ esse, quod habet, consequens est, ut illud in specie atoma reponat. Quod verò constituat unum in specie atoma physica (per quod dispar est ratio de materia) probatur; quia natura physica com-

completa dicit utrumque principium operandi, passivum, quod est materia, activum, quod est forma.

Dico 3. In nullo vivente præter animam datur forma alia substantialis corporeitatis.

Prob. tum ex modo dictis; tum etiam. quia nihil affertur ab adversariis ad eiusmodi formam astruendam, quod non sit pariter solvendum ab ipsis. ergo nihil est opus formam ejusmodi multiplicare. antecedens prob. ex duplici enim capite potissimum forma istæc asseritur, ut tribuat homini esse formaliter corpus, quod per animam spiritualem præstari non potest; & ut habeatur principium exigitivum diversum accidentium diversorum, tantæque dispositionum varietatis. atqui utrumque retorquetur in authores suos. Primum quidem; quia ratio corporis tribuitur homini, cum dicitur homo est corpus. ut ergo illi talis ratio formaliter tribuatur, debet ea tribui per formam, vel per materiam. si secundum; frustra est forma corporis. si primum, nihilo minus frustra est ea forma, quæ non est forma, sed materia hominis, & est pars ipsius non formalis, sed materialis. Alterum verò; quia formæ partiales heterogeneæ variarum dispositionum exigitivæ si sunt in vivente, ratione sui non sunt, sed ratione animæ, quam ut finem respiciunt, & à qua, ut à radice ultimata exiguntur. Jam vero si una, eademque indivisibilis forma tantam heterogeneitatem substantialem exigit; quid ni possit accidentalem? Et posse quidem natura ipsa, perfectioque animæ satis declarat; cum enim nata sit diversissimas in corpore operationes exercere, habet consequenter exigere diversissima organa, quibus utatur ad suas operationes ponendas.

§. II.

§. II.

Solvuntur opposita argumenta:

OBiic. 1. homo est formaliter corpus. non per animam, quæ est spiritualis: non per materiam, sic enim esset non formaliter, sed materialiter corpus. ergo per formam corporeitatis.

Nomen corporis in homine, cæterisque viventibus stat æquivocè: quandoque enim significat partem viventis materialem, ut cum dicimus componi hominem ex anima, & corpore: & de hoc dicetur in l. de anima. quandoque significat totum vivens, ut cum dicimus hominem esse corpus. In hac secunda acceptione loquitur argumentum, cui resp. hominem esse corpus per materiam. & cum urgetur, debere esse corpus per formam, aliter non erit formaliter tale; vel est sermo de forma partis: & falsum assumitur; sic enim Deus, & Angeli, qui carent eiusmodi forma, nullam rationem formaliter haberent. vel est sermo de forma totius; & sic admitto hominem esse formaliter corpus per suam naturam. quod si ulterius inquiras, ratione cuius partis habeat tandem homo, eiusque natura ut sit corpus; resp. ratione materiæ; hoc enim est formaliter esse corpus, habere materiam, seù constitutum esse ex materia. quandoquidem esse formaliter tale non semper importat esse tale per formam physicam, sed per aliquid, quod ad eam denominationem tribuendam modum habeat formæ. Rursus dicitur sæpè esse tale formaliter, quod est tale secundum propriam rationem importatam per nomen: quemadmodum est tale non formaliter, sed eminenter, quod est tale secundum perfectionem solam importatam per nomen, sed non secundum imperfectionem.

Ex his conficitur, quo pacto ratio corporis univocè descendat ad hominem, ac reliqua corpora. Et quidem si ratio corporis ita sumatur, ut de quolibet corpore dici syncategorematicè debeat, hoc est de ipso ratione singularum partium, juxta omnium sententiam corpus homo non est, quia homo corpus non est ratione animæ. Sumitur ergo communiter corpus pro exigitivo quantitatis, & dicitur de composito physico categorematicè, & indivisibiliter sumpto; secundum quam rationem univocè competit homini, & reliquis, cum & homo materialis sit, habeatque compartem, cui quantitas debetur.

Obiic. 2. In homine vivo caro, ossa, medullæ, &c. differunt substantialiter. at non per animam, neque per materiam, ut constat. ergo per formas partiales corporeitatis. maior prob. 1. non enim minus differunt istæ partes, dum vivunt, ac dum sunt mortuæ. at mortuæ differunt substantialiter. ergò & vivæ. 2. unicum motivum ad distinguendas formas substantiales est accidentium notabilis varietas, ac temperamentorum heterogeneitas. atqui inter eas partes maxima eiusmodi heterogeneitas deprehenditur. ergo dicendæ sunt differre substantialiter.

Nego maiorem ad 1. prob. nego iterum ma. quam negare videtur Philosophus, dum 2. de Gen. anim. c. 10. docet, carnem vivam, & mortuam dici æquivoce carnem. Dum ergo viventis partes animantur, sunt ipsum vivens, quod est maximè unum propter formæ unitatem in organa dominantis. at dum transeunt in cadaver, per accidens uniuntur, & unaquæque suam sibi formam assumit, resque suas sibi habet. atque ita plus differunt mortuæ, quam viventes. Ad 2. heterogeneitas accidentium arguit diversitatem formarum, ubi disparata est, nec ordinatur ad simpliciter unum; at ubi omnes admittimus unam formam, cui tota illa dispos-

posi-

positionum varietas servit, quæque ob suam præstantiam, ac multiplex operandi genus, alia & alia quærit instrumenta: nihil est, cur alias formas substantiales illi subordinemus, cum possit ipsa per se ut agere, ita & exigere proportionata ad agendum organa accidentaliter tantum diversa.

Obiic. 3. In viventis interitu manet idem numerò corpus, quod fuit anteà. sed non manet sola materia cum accidentibus. ergo cum aliqua forma, vel de novo accepta, vel præexistente: non accepta de novo; quam enim, aut unde acceptam? ergo præexistente; quæ forma corporis est.

Nomen corporis in vivente sumitur sępè pro sola materia talibus dispositionibus affecta, eaque prædita apparentia, quam retinere potest etiam post viventis interitum, ut explicabitur in l. de anima. & in hoc sensu vera est maior: vera item est minor, & consequentia. sed subsumpta falsa est, & neganda; advenit enim de novo formæ, quæ cadaverica nuncupatur.

Sed adversus hanc formam adversarii, veluti signo dato, concurrunt, & impetum non una ex parte faciunt, auxiliaresque copias ex ipsa Theologia advocant. 1. dicunt non esse ullam causam talis formæ productivam, cum sæpè vivens à contrariis agentibus, à nimio quandoque frigore, à nimio quandoque calore interimatur: inopinabile autem est, eandem formam à contrariis agentibus produci. 2. eam formam in embryone præcessisse, nec fuisse, qui destrueret: neque enim alia ibi est causa, quamvis formatrix; à qua cum forma illa producta sit, destrui non potest. 3. idem Corpus Christi Domini fuit in sepulchro, quod in Virginis olim utero fuerat: at si eadem forma non remansisset, non solū non fuisset idem numero, sed nec idem specie.

Ad 1. causa productiva formæ cadaveris potest esse illa ipsa, quæ ultimam dispositionem

incompoſſibilem cum anima introducit. neque obſtat, quod cauſæ hujuſmodi poſſunt eſſe contrariæ; ut enim rectè Cajet. 1. par. qu. 76. art. 4. *Falſum eſt*, inquit, *quod effectus unius rationis non poſſit ab hac agentium diverſitate produci; quoniam aliquid produci ſtat dupliciter, ut medium, aut terminum principaliter intentum: & rurſus ut medium proprium, vel commune. & quia forma cadaveris producitur, ut commune medium ad omnia elementa, ideo poteſt à quolibet eorum produci*. Exemplum habes in gravitate, & levitate, quæ quamvis ſint vires contrariæ, & corpora per ſe loquendo collocent in locis extremis oppoſitis, ponunt tamen tranſeunter eadem corpora in locis intermediis, eaſdemque proinde medias ubicationes producunt.

Hæc mihi reſponſio, ut ſit ingeniosè excogitata, non tamen videtur exhaurire difficultatem. ſępe enim in morte viventis nullum adeſt elementum prædominans, cui veteris formæ deſtructio, aut expulſio, & novæ productio tribuatur; cum mors ſcilicet cultro, aut laqueo inducitur: quæ ſane ut ſint agentia deſtructiva per continui diviſionem, non ſunt tamen ullius formæ productiva. Propterea expeditior eſt via, ſi dicatur forma cadaveris heterogenea in aliis, aliiſque cadaveris partibus produci ab ipſomet cuiuſq; partis temperamento ſuperſtite. & in hoc ſane nulla eſt difficultas, quæ non ſit evacuanda, ubi de activitate accidentis in ſubſtantiam tractabo.

Ad 2. forma embryonis ab ipſa vi formatrice deſtruitur, à qua producitur. neque id eſt novum; ſanguis enim, qui in communiore ſententia non eſt animatus, adeoque aliam habet ab anima formam, ab eadem vi nutritiva & generatur, & dum ad viventis formam promovetur, deſtruitur. Univerſim enim dum agens non poteſt ad formam ultimam niſi per intermedias pervenire, neceſſe eſt, ut dum

ulti-

ultimam attingit, abigat medias cum ea incompossibiles.

Ad 3. dicimus mansisse idem Corpus Christi in triduo mortis in eodem sensu, quo dicimus idem manere corpus cujuscumque hominis post eius mortem: in quo attendendæ non sunt subtilitates scholasticæ, sed communis usus. sensus autem communis est, quod maneat idem identitate materiali cum iisdem sensibilibus accidentibus, eadem figura. Fuit & in Christi Corpore alia præterea identitas, nimirum suppositalis, quia Verbum divinum, quod fuit suppositum corporis vivi, idem fuit suppositum corporis mortui.

Obiic. 4. corpus viventis movetur naturaliter deorsum, nec potest hunc motum habere ab anima; motus enim animæ proprius est progressivus, cui adversatur motus deorsum: nec est credibile, ab eadem forma duos motus contrarios provenire, quia sibi ipsa adversaretur. Restat ergo ut alia forma sit motus eiusmodi principium.

Sed primum inquiro, utrum forma, cui vis talem motum tribuere, pertineat ad vivens, & ad animam ordinetur, nec nè? si negas admittis ergo revera formam corporis materiæ coævam, communemque omni corpori, non propriam viventis. Si ais; anima ergo illam formam exigit, & consequenter exigit, quidquid illam consequitur, gravitatem scilicet, motumque deorsum; atque adeo velis, nolis admittere cogeris animam ultimatum, ac radicale principium talis motus; nec potes proinde effugere, quod ab eadem forma sint contrarii motus. Dico igitur talem motum esse potius à materia, quam ab anima; quia gravitas sequitur mensuram densitatis: densitas autem primò est in materia, quæ cum sit accepta ab elementis, retinet eorum virtutes juxta mixtionis proportionem; & ex consequēti motus deorsum ab ele-

men-

mento potius prędomināte est, quam ab anima:

Obiic. 5. si non esset in homine alia forma præter animam, anima rationalis, & materia tantum essent homo essentialiter. hoc autem esse inconveniens ex eo constat, quia sic auris, & quælibet alia pars hominis esset homo non minus, ac quęlibet pars aquæ est aqua.

Verum nunquid homo dici posset anima, & materia cum sola forma corporeitatis omnibus omninò accidentibus spoliata? respondere debes, dici hominem essentialiter; quatenus habet vivendi potentiam, non tamen expeditam ex defectu dispositionum necessariarum. idem nos dicimus de anima, & materia, quod sint essentialiter homo, sed non homo, ut est in communi acceptione vulgi. & dum urges, futurum, ut anima, & auris sint essentialiter homo, nego sequelam; vel enim accipis certam hominis partem, ut taliter organizatam; atque ita cum involvat constitutive accidentia organica, ad hominis substantiam constituendam non pertinet, vel accipis eam partem secundum materiam solam, quam continet; atque ita neque est homo, sed pars integralis hominis; quia homo appellat animam, totamque materiam ipsi coniunctam, & ita organizabilem, ut possint in ea omnes humanæ operationes exerceri.

LIBER SECUNDUS PHYSICORUM

De natura, ejusque causis.

PRincipiis corporum naturalium traditis, superest, ut ad corpus ipsum naturale accedamus; quod certe intelligi non potest, nisi percepta notione naturæ, à qua naturale denominatur. tum ad causas ipsius intrinsecas, extrinsecasque pergemus, à quibus scilicet ejus cognitio dependet.

QUÆSTIO PRIMA

De Natura.

CAPUT I.

Quid sit natura.

DE nomine naturæ, ejus ethymologia, & significationibus variis consule authores passim. Unum adverto, aliter à metaphysico, aliter à physico naturam accipi, generalius naturam metaphysicus sumit pro cujusque essentia, & quidditate; quare apud ipsum non modo equinitas, & humanitas, sed Angeleitas, & Divinitas naturæ nomine significantur. Naturam physicus ad solum corpus sensibile coarctat, eamque cum Aristotele 2. phys. t. 3. definit, *Principium, & causam, ut id moveatur & quiescat, in quo est primo, & per se, & non*

non secundùm accidens. Probat hanc definitionem ex eo Philosophus, quod natura est, per quam naturalia à non naturalibus differunt. Sed non differunt, nisi quia habent in se naturalis principium motus, &c. ergo natura est principium motùs, &c.

Dicitur ergo natura principium, quod habet rationem generis, & importatur ex ipsa vi vocis; quia enim nasci dicuntur, quæ generantur conjuncta generanti, ut videre est in plantis, & animalibus, hinc generationis principium natura dicitur. Additur nomen causæ, ut denotetur aliorum aliter motuum principium esse naturam; alios enim activè, alios passivè principiat.

Dicitur deinde, *ut id moveatur, & quiescat*: cuicumque enim naturalis est motus, naturalis à fortiori est quies: quia motus via est ad quietem, & unumquodque idcirco movetur, ut quiescat. hinc grave naturaliter movetur ad centrum, quia naturaliter est in centro: & appetitus naturaliter desiderat, quia naturaliter delectatur. Ex quo habes 1. nomine quietis non venire meram privationem motus (sic enim naturalis ea non esset eo ipso, quod naturalis est motus) sed venire positivam permanentiam in termino per motum acquisito, quæ in animantibus est delectatio, in reliquis physica unio, aut localis saltem præsentia in termino suo. Habes 2. particulam & non facere sensum, ut quidam volunt, disjunctivum, sed copulativum; cuicumque enim naturali substantiæ competit posse moveri ad perfectionem, quam non habet, & posse quiescere in perfectione, quam acquirit. Habes 3. motum cæli à natura non esse, eo ipso, quod nullam habet pro termino quietem. Sed hoc dictum suo loco fusius confirmabo.

Per ultimas definitionis particulas designatur, quod substantia mobilis ipsa debet esse natura; hoc enim primò inest rei, sua cujusque

essentia, & substantia, quæ prius scilicet rem naturalem in suo esse constituit, tum illam ad motum ordinat, & quietem non per accidens, sed per se inducendam. quod explicans Philosophus adducit exemplum medici; qui quidem sibi ipse causa est quandoque sanitatis: & sic ars medica videtur esse principium sanitatis eius in quo est; non tamen est natura; quia ista duo per accidens coniunguntur, & accidit plane eundem esse medicum, & sanari.

Dices 1. naturale est viventibus, & non viventibus generare sibi simile, ut igni ignem, & homini hominem. dum vero sic generant, non se movent, sed alia à se, natura ergo non est principium motus ejus, in quo est.

Resp. Uterque motus respicitur à natura, sed diversimodis; prius enim habet perficere se; tum vero ubi perfecta in se fuerit, suam aliis perfectionem communicat. natura ergo definitur per id, quod est in ipsa primũ &, præcipuũ, omisso eo, quod est secundum, & accessorium.

Dices 2. non videtur repugnare de potentia saltem absoluta corpus aliquod omnino immobile. Atqui tale corpus esset naturale, nec haberet tamen motus principium. ergo natura non est principium motus.

Resp. 1. negando minorem; tale enim corpus naturale non esset, quippe cui naturæ definitio non competeret. Quod si quis in opposito perstare vellet, inanem contentionem de vocibus intenderet.

Resp. 2. corpus immobile omninò, vel stat pro corpore immobili naturaliter, & per potentiam naturalis agentis, & huic sane competeret ratio naturæ; quia & per se in loco, vel perfectione sua quiesceret, & si ab ea amoveretur, per aliquam potentiam per se ad eam reparandam conaretur. Vel stat pro corpore essentialiter immobili: & hoc reputo impossibile: quod primum generaliter sic probo:

Om-

Omne limitatum in ea linea, & ratione, in qua est limitatum, est mobile. atqui omne corpus in sua linea, & ratione est limitatum. ergo omne corpus est mobile. maior prob. mobilitas est promovibilitas rei ad ulteriorem vel locum, vel perfectionem. atqui omne limitatum est ita promovibile. quod 1. ostenditur à posteriori; nemo enim dubitat, quin, si alia de novo spatia producerentur, possent in iis moveri corpora de facto existentia: & hoc quia finita sunt; unde fit, ut possint relinquere locum quem habent, & acquirere, quem non habent. Deinde ex hoc capite probant Theologi à priori mobilitatem Angeli. Postremo ablata omni limitatione, inducitur eo ipso immobilitas, ut constat in Deo. limitatio igitur est inductiva mobilitatis causa, & quidem præcisa; aliter ea sublata, non illico immobilitas sequeretur.

Secundò, idem prob. à priori. Omne finitum est capax additionis. ergo omne finitum est capax motus. antec. non est dubitabile; aliter enim dubitari posset, utrum detur numerus, cui non possit addi numerus, & quantitas mensurata, cui non possit addi quantitas. conseq. constat; quia omnis motus est ad perfectionem, quæ additur mobili, & cum qua mobile constituit unum perfectius, neque vero id de sola extrinseca additione est verum; sed multo potius de intrinseca, quæ proprie originem suam habet à finitate: cum infinito etiam additio aliqua extrinseca fieri possit,

Id ipsum specialiter ostenditur in motu locali. omnia enim spatia sunt eiusdem rationis, nec plus virtutis, ac perfectionis requiritur, ut sit mobile in uno, quam in alio loco. impossibile est igitur, ut à sua natura mobile ad unum locum ità limitetur, ut non possit in alio esse. prima pars antecedentis est manifesta; quia licet in locis extrinsecis sit reperire discrimen, non tamen formale secundum propriam ratio-

nem loci; multo minus est reperire discrimen in ubicationibus, & locis intrinsecis. Secunda pars etiam patet; nam ad motum ex suo conceptu necessaria non est potentia activa, sed satis est passiva, quæ perfectionem in suo exercitio non involvit. Et quamvis requireretur activa, cum omnia spatia secundum spatii formalem rationem specificam latitudinem non suscipiant, non plus activitatis per se requiritur, ut corpus in loco A potius, quam in B ubicetur. Prob. jam conseq. neque enim aliunde vulgò dicimus repugnare causam univocam uni effectui addictam; nisi quia cum effectus sint homogenei, non plus ad unum, quàm ad alterum producendum est opus. Pariformiter quia locus A, & locus B sunt omninò rationis eiusdem, nec requiritur ad implendum unum, & alterum, nisi habere molem utrique æqualem, consequens est, ut uni præ altero corpus essentialiter addictum esse non possit.

Dices, corpus infinitum est naturale, nec tamen mobile, ergo possibile est naturale immobile.

Primum nego antecedens; suo enim loco ostendemus infinitum corpus si minus motu recto, moveri saltem posse motu circulari. Deinde si infinitum corpus syncategorematicè, & distributive sumatur, mobile est sine dubio: si vero categorematicè, & collective, est mobile motu alterationis, quod est satis ad naturalitatem. quamvis autem immobile secundùm locum supponatur, hoc habet ex infinitate secundum extensionem; quod quidem non infirmat principium assumptum in probationem, quod finitum in ea ratione, qua finitum, & mobile.

CA-

CAPUT II.

Quibusnam conveniat propria ratio naturæ.

DIco 1. materiæ competit propria ratio naturæ. Prob. quia Philosophus definit naturam per principium, & causam motus, abstrahendo à principio activo, & passivo, causa efficiente, & materiali, atqui materiæ in ordine ad motum cōvenit propria ratio principii, & causæ. ergo & naturæ. Atque hanc esse Aristotelis mentem nōn solum eruitur ex data notione naturæ, verum etiam, quia expresse in suis terminis ab eo asseritur 2. phys. t. 10. *Uno quidem modo natura sic dicitur, prima unicuiquè subiecta materia habentium in seipsis motus principium, & mutationis: alio autem modo forma, & species.* & 5. met. t. c. 5. *natura vero hac, prima materia, & hac dupliciter, aut qua ad ipsum prima, aut simpliciter prima.* Et quamvis hic addat, *quod forma, & substantia generationis est finis, metaphorice vere omninò omnis substantia natura propter hanc dicitur*; loquitur tamen de substantia completa, seu supposito, quod proprie natura non est, sed habens naturam; neque enim homo humanitas, sed habens humanitatem: dum vero humanitas pro hominibus accipitur, non est locutio propria, sed translata.

DIco 2. Formæ omnī convenit verissima ratio naturæ. Conclusio procedit de forma tum partis, ut est anima in vivente, tūm totius, ut est equinitas in equo, & humanitas in homine; estque certa, & incontroversa secundum utramque partem, cum militet eadem ratio, & authoritas ad prioris conclusionis confirmationem allata.

Et quidem utraque est principium motus in

eo, in quo est, forma partis in toto, cui inest physice, forma totius in supposito, cui inest logicè. Dubium est, an ratio naturæ descendat ad formam ratione principii activi. an vero passivi. Sed vel est quæstio de forma partis, & huic suppono principii passivi rationem non competere: vel de forma totius. & huic necesse est ut ratione utriusque notio naturæ conveniat, si illi convenit ratione tum materiæ, tum formæ. Rursus cum in definitione naturæ ad solam passivam principiatio non limitetur, nihil est, cur eam velimus ad arbitrium limitare,

Dico 3. Anima etiam rationalis propriè natura est, & vero etiam ut rationalis. Prob. anima rationalis etiam quà talis forma est totius hominis. Sed forma quà talis principium est operationum in composito. ergo anima rationalis est natura, etiam qua rationalis. Neque obstat, quòd anima rationalis secundum istam reduplicationem principium est dumtaxat intelligendi, & volendi, quæ sunt operationes immateriales, & inorganicæ, adeoque motus physici non sunt. Hoc enim non tollit, quo minus istæ sint operationes totius hominis, qui ab anima intelligente, & volente intelligens, ac volens denominatur. quare ut actus isti non sint materiales, & organici, sunt tamen actus alicuius compositi materialis, & organici, & cum aliqua dependentia saltem mediata à materia, & organo eliciuntur: quod sufficere videtur, ut anima rationalis constituatur in propria ratione naturæ definitę per ordinem ad motum substantiæ corporeæ.

CA-

CAPUT III.

Quid sit naturale, supernaturale, violentum, ac neutrum.

QUandoquidem naturale idem est, ut ipsa nominis notio statim indicat, ac secundùm naturam, seù juxta inclinationem, & exigentiam naturæ; ita denominationes aliæ naturali oppositæ dicuntur per proportionalem habitudinem ad naturam. Hinc primo supernaturale ex vi vocis illud dicitur, quod superat omnem exigentiam, inclinationem, atque adeo activitatem naturæ. quare dicitur tale & per ordinem ad subiecta naturalia, à quibus non potest exigi, & per ordinem ad causas naturales, à quibus non potest fieri. Sed dum activitatem naturæ excludit, non excludit eam, quæ obedientialis vulgo appellatur quæ scilicet non est revera activitas naturæ, sed Dei, natura ad nutum utentis, ut instrumento. Ex hoc recte definitur supernaturale à Nazianz. Quod est impossibile per naturam; Deo autem volenti possibile.

Violentum illud dicitur, quod est contrà naturam rei, eiusque inclinationem à natura derivatam: sive, ut definitur. 3. Eth. c. 1. Quod procedit à principio extraneo, nullam vim conferente passo, quæ ultima verba ita sunt intelligenda, ut passū non modo nō conferat ullam vim positivam secundum exigentiam, & inclinationem, sed etiam positive repugnet per inclinationem contrariam, ut explicat D. Th. sic gravi violentum est sursum ferri non solùm, quia non inclinatur à sua natura ad talem motum, sed etiam quia inclinatur à sua natura ad motum oppositum deorsum.

Ex his infertur 1. violentiam inferri posse principio tum passivo tum activo. Prob. natura

 est

§. II.

Soluuntur opposita argumenta:

OBiic. 1. homo est formaliter corpus. non per animam, quæ est spiritualis: non per materiam, sic enim esset non formaliter, sed materialiter corpus. ergo per formam corporeitatis.

Nomen corporis in homine, cæterisque viventibus stat æquivocè: quandoque enim significat partem viventis materialem, ut cum dicimus componi hominem ex anima, & corpore: & de hoc dicetur in l. de anima. quandoque significat totum vivens, ut cum dicimus hominem esse corpus. In hac secunda acceptione loquitur argumentum, cui resp. hominem esse corpus per materiam. & cum urgetur, debere esse corpus per formam, aliter non erit formaliter tale; vel est sermo de forma partis: & falsum assumitur; sic enim Deus, & Angeli, qui carent eiusmodi forma, nullam rationem formaliter haberent. vel est sermo de forma totius; & sic admitto hominem esse formaliter corpus per suam naturam. quod si ulterius inquiras, ratione cuius partis habeat tandem homo, eiusque natura ut sit corpus; resp. ratione materiæ; hoc enim est formaliter esse corpus, habere materiam, seù constitutum esse ex materia. quandoquidem esse formaliter tale non semper importat esse tale per formam physicam, sed per aliquid, quod ad eam denominationem tribuendam modum habeat formæ. Rursus dicitur sæpè esse tale formaliter, quod est tale secundum propriam rationem importatam per nomen: quemadmodum est tale non formaliter, sed eminenter, quod est tale secundum perfectionem solam importatam per nomen, sed non secundum imperfectionem.

Ex his conficitur, quo pacto ratio corporis univocè descendat ad hominem, ac reliqua corpora. Et quidem si ratio corporis ita sumatur, ut de quolibet corpore dici syncategorematicè debeat, hoc est de ipso ratione singularum partium, juxta omnium sententiam corpus homo non est, quia homo corpus non est ratione animæ. Sumitur ergo communiter corpus pro exigitivo quantitatis, & dicitur de composito physico categorematicè, & indivisibiliter sumpto; secundum quam rationem univocè competit homini, & reliquis, cum & homo materialis sit, habeatque compartem, cui quantitas debetur.

Obiic. 2. In homine vivo caro, ossa, medullæ, &c. differunt substantialiter. at non per animam, neque per materiam, ut constat. ergo per formas partiales corporeitatis. maior prob. 1. non enim minus differunt istæ partes, dum vivunt, ac dum sunt mortuæ. at mortuæ differunt substantialiter. ergò & vivæ. 2. unicum motivum ad distinguendas formas substantiales est accidentium notabilis varietas, ac temperamentorum heterogeneitas. atqui inter eas partes maxima eiusmodi heterogeneitas deprehenditur. ergo dicendæ sunt differre substantialiter.

Nego maiorem ad 1. prob. nego iterum maquam negare videtur Philosophus, dum 2. de Gen. anim. c. 10. docet, carnem vivam, & mortuam dici æquivoce carnem. Dum ergo viventis partes animantur, sunt ipsum vivens, quod est maximè unum propter formæ unitatem in organa dominantis. at dum transeunt in cadaver, per accidens uniuntur, & unaquæque suam sibi formam assumit, resque suas sibi habet. atque ita plus differunt mortuæ, quam viventes. Ad 2. heterogeneitas accidentium arguit diversitatem formarum, ubi disparata est, nec ordinatur ad simpliciter unum; at ubi omnes admittimus unam formam, cui tota illa dis-

posi-

positionum varietas servit, quæque ob suam præstantiam, ac multiplex operandi genus, alia & alia quærit instrumenta: nihil est, cur alias formas substantiales illi subordinemus, cum possit ipsa per se ut agere,ita & exigere proportionata ad agendum organa accidentaliter tantum diversa.

Obiic. 3. In viventis interitu manet idem numerò corpus, quod fuit anteà. sed non manet sola materia cum accidentibus. ergo cum aliqua forma, vel de novo accepta,vel præexistente. non accepta de novo; quam enim, aut unde acceptam? ergo præexistente; quæ forma corporis est.

Nomen corporis in vivente sumitur sæpè pro sola materia talibus dispositionibus affecta, eaque prædita apparentia, quam retinere potest etiam post viventis interitum, ut explicabitur in l. de anima. & in hoc sensu vera est maior: vera item est minor, & consequentia. sed subsumpta falsa est, & neganda; advenit enim de novo formæ, quæ cadaverica nuncupatur.

Sed adversus hanc formam adversarii, veluti signo dato, concurrunt, & impetum non una ex parte faciunt, auxiliaresque copias ex ipsa Theologia advocant. 1. dicunt non esse ullam causam talis formæ productivam, cum sæpè vivens à contrariis agentibus, à nimio quandoque frigore, à nimio quandoque calore interimatur: inopinabile autem est, eandem formam à contrariis agentibus produci. 2. eam formam in embryone præcessisse, nec fuisse, qui destrueret: neque enim alia ibi est causa, quamvis formatrix; à qua cum forma illa producta sit, destrui non potest. 3. idem Corpus Christi Domini fuit in sepulchro, quod in Virginis olim utero fuerat: at si eadem forma non remansisset, non solū non fuisset idem numero, sed nec idem specie.

Ad 1. causa productiva formæ cadaveris potest esse illa ipsa, quæ ultimam dispositionem in-

incompossibilem cum anima introducit. neque obstat, quod causæ hujusmodi possunt esse contrariæ; ut enim rectè Cajet. 1. par. qu. 76. art. 4. *Falsum est*, inquit, *quod effectus unius rationis non possit ab hac agentium diversitate produci; quoniam aliquid produci stat dupliciter, ut medium, aut terminum principaliter intentum: & rursus ut medium proprium, vel commune. & quia forma cadaveris producitur, ut commune medium ad omnia elementa, ideo potest à quolibet eorum produci*. Exemplum habes in gravitate, & levitate, quæ quamvis sint vires contrariæ, & corpora per se loquendo collocent in locis extremis oppositis, ponunt tamen transeunter eadem corpora in locis intermediis, easdemque proinde medias ubicationes producunt.

Hæc mihi responsio, ut sit ingeniosè excogitata, non tamen videtur exhaurire difficultatem. sępe enim in morte viventis nullum adest elementum prædominans, cui veteris formæ destructio, aut expulsio, & novæ productio tribuatur; cum mors scilicet cultro, aut laqueo inducitur: quæ sane ut sint agentia destructiva per continui divisionem, non sunt tamen ullius formæ productiva. Propterea expeditior est via, si dicatur forma cadaveris heterogenea in aliis, aliisque cadaveris partibus produci ab ipsomet cuiusq; partis temperamento superstite. & in hoc sane nulla est difficultas, quæ non sit evacuanda, ubi de activitate accidentis in substantiam tractabo.

Ad 2. forma embryonis ab ipsa vi formatrice destruitur, à qua producitur. neque id est novum; sanguis enim, qui in communiore sententia non est animatus, adeoque aliam habet ab anima formam, ab eadem vi nutritiva & generatur, & dum ad viventis formam promovetur, destruitur. Universim enim dum agens non potest ad formam ultimam nisi per intermedias pervenire, necesse est, ut dum

ulti-

ultimam attingit, abigat medias cum ea incompossibiles.

Ad 3. dicimus mansisse idem Corpus Christi in triduo mortis in eodem sensu, quo dicimus idem manere corpus cujuscumque hominis post eius mortem: in quo attendendæ non sunt subtilitates scholasticæ, sed communis usus. sensus autem communis est, quod maneat idem identitate materiali cum iisdem sensibilibus accidentibus, eadem figura. Fuit & in Christi Corpore alia præterea identitas, nimirum suppositalis, quia Verbum divinum, quod fuit suppositum corporis vivi, idem fuit suppositum corporis mortui.

Obiic. 4. corpus viventis movetur naturaliter deorsum, nec potest hunc motum habere ab anima; motus enim animæ proprius est progressivus, cui adversatur motus deorsum: nec est credibile, ab eadem forma duos motus contrarios provenire, quia sibi ipsa adversaretur. Restat ergo ut alia forma sit motus eiusmodi principium.

Sed primum inquiro, utrum forma, cui vis talem motum tribuere, pertineat ad vivens, & ad animam ordinetur, nec nè? si negas admittis ergo revera formam corporis materiæ coævam, communemque omni corpori, non propriam viventis. Si ais; anima ergo illam formam exigit, & consequenter exigit, quidquid illam consequitur, gravitatem scilicet, motumque deorsum; atque adeo velis, nolis admittere cogeris animam ultimatum, ac radicale principium talis motus; nec potes proinde effugere, quod ab eadem forma sint contrarii motus. Dico igitur talem motum esse potius à materia, quam ab anima; quia gravitas sequitur mensuram densitatis: densitas autem primò est in materia, quæ cum sit accepta ab elementis, retinet eorum virtutes juxta mixtionis proportionem; & ex consequẽti motus deorsum ab ele-

men-

mento potius prędominãte eſt, quam ab anima:

Obiic. 5. ſi non eſſet in homine alia forma præter animam, anima rationalis, & materia tantum eſſent homo eſſentialiter. hoc autem eſſe inconveniens ex eo conſtat, quia ſic auris, & quælibet alia pars hominis eſſet homo non minus, ac quęlibet pars aquæ eſt aqua.

Verum nunquid homo dici poſſet anima, & materia cum ſola forma corporeitatis omnibus omninò accidentibus ſpoliata? reſpondere debes, dici hominem eſſentialiter; quatenus habet vivendi potentiam, non tamen expeditam ex defectu diſpoſitionum neceſſariarum. idem nos dicimus de anima, & materia, quod ſint eſſentialiter homo, ſed non homo, ut eſt in communi acceptione vulgi. & dum urges, futurum, ut anima, & auris ſint eſſentialiter homo, nego ſequelam; vel enim accipis certam hominis partem, ut taliter organizatam; atque ita cum involvat conſtitutive accidentia organica, ad hominis ſubſtantiam conſtituendam non pertinet, vel accipis eam partem ſecundum materiam ſolam, quam continet; atque ita neque eſt homo, ſed pars integralis hominis; quia homo appellat animam, totamque materiam ipſi coniunctam, & ita organizabilem, ut poſſint in ea omnes humanæ operationes exerceri.

LIBER SECUNDUS PHYSICORUM

De natura, ejusque causis.

PRincipiis corporum naturalium traditis, superest, ut ad corpus ipsum naturale accedamus; quod certe intelligi non potest, nisi percepta notione naturæ, à qua naturale denominatur. tum ad causas ipsius intrinsecas, extrinsecasque pergemus, à quibus scilicet ejus cognitio dependet.

QUÆSTIO PRIMA

De Natura.

CAPUT I.

Quid sit natura.

DE nomine naturæ, ejus ethymologia, & significationibus variis consule authores passim. Unum adverto, aliter à metaphysico, aliter à physico naturam accipi, generalius naturam metaphysicus sumit pro cujusque essentia, & quidditate; quare apud ipsum non modo equinitas, & humanitas, sed Angeleitas, & Divinitas naturæ nomine significantur. Naturam physicus ad solum corpus sensibile coarctat, eamque cum Aristotele 2. phys. t. 3. definit, *Principium, & causam, ut id moveatur & quiescat, in quo est primo, & per se, & non*

non secundùm accidens. Probat hanc definitionem ex eo Philosophus, quod natura est, per quam naturalia à non naturalibus differunt. Sed non differunt, nisi quia habent in se naturalia principium motus, &c. ergo natura est principium motûs, &c.

Dicitur ergo natura principium, quod habet rationem generis, & importatur ex ipsa vi vocis; quia enim nasci dicuntur, quæ generantur coniuncta generanti, ut videre est in plantis, & animalibus, hinc generationis principium natura dicitur. Additur nomen causæ, ut denotetur aliorum aliter motuum principium esse naturam; alios enim activè, alios passivè principiat.

Dicitur deinde, *ut id moveatur, & quiescat*: cuicumque enim naturalis est motus, naturalis à fortiori est quies: quia motus via est ad quietem, & unumquodque idcirco movetur, ut quiescat. hinc grave naturaliter movetur ad centrum, quia naturaliter est in centro: & appetitus naturaliter desiderat, quia naturaliter delectatur. Ex quo habes 1. nomine quietis non venire meram privationem motus (sic enim naturalis ea non esset eo ipso, quod naturalis est motus) sed venire positivam permanentiam in termino per motum acquisito, quæ in animantibus est delectatio, in reliquis physica unio, aut localis saltem præsentia in termino suo. Habes 2. particulam *&* non facere sensum, ut quidam volunt, disiunctivum, sed copulativum; cuicumque enim naturali substantiæ competit posse moveri ad perfectionem, quam non habet, & posse quiescere in perfectione, quam acquisiit. Habes 3. motum cæli à natura non esse, eo ipso, quod nullam habet pro termino quietem. Sed hoc dictum suo loco fusius confirmabo.

Per ultimas definitionis particulas designatur, quod substantia mobilis ipsa debet esse natura; hoc enim primò inest rei, sua cuiusque

essentia, & substantia, quæ prius scilicet rem naturalem in suo esse constituit, tum illam ad motum ordinat, & quietem non per accidens, sed per se inducendam. quod explicans Philosophus adducit exemplum medici; qui quidem sibi ipse causa est quandoque sanitatis: & sic ars medica videtur esse principium sanitatis eius in quo est; non tamen est natura; quia ista duo per accidens coniunguntur, & accidit plane eundem esse medicum, & sanari.

Dices 1. naturale est viventibus, & non viventibus generare sibi simile, ut igni ignem, & homini hominem. dum vero sic generant, non se movent, sed alia à se. natura ergo non est principium motus ejus, in quo est.

Resp. Uterque motus respicitur à natura, sed diversimodis; prius enim habet perficere se; tum vero ubi perfecta in se fuerit, suam aliis perfectionem communicat. natura ergo definitur per id, quod est in ipsa primũ &, præcipuũ; omisso eo, quod est secundum, & accessorium.

Dices 2. non videtur repugnare de potentia saltem absoluta corpus aliquod omnino immobile. Atqui tale corpus esset naturale, nec haberet tamen motus principium. ergo natura non est principium motus.

Resp. 1. negando minorem; tale enim corpus naturale non esset, quippe cui naturæ definitio non competeret. Quod si quis in opposito perstare vellet, inanem contentionem de vocibus intenderet.

Resp. 2. corpus immobile omninò, vel stat pro corpore immobili naturaliter, & per potentiam naturalis agentis, & huic sane competeret ratio naturæ; quia & per se in loco, vel perfectione sua quiesceret, & si ab ea amoveretur, per aliquam potentiam per se ad eam reparandam conaretur. Vel stat pro corpore essentialiter immobili: & hoc reputo impossibile: quod primum generaliter sic probo:

Om-

Omne limitatum in ea linea, & ratione, in qua est limitatum, est mobile. atqui omne corpus in sua linea, & ratione est limitatum. ergo omne corpus est mobile. maior prob. mobilitas est promovibilitas rei ad ulteriorem vel locum, vel perfectionem. atqui omne limitatum est ita promovibile. quod 1. ostenditur à posteriori; nemo enim dubitat, quin, si alia de novo spatia producerentur, possent in iis moveri corpora de facto existentia: & hoc quia finita sunt; unde fit, ut possint relinquere locum quem habent, & acquirere, quem non habent. Deinde ex hoc capite probant Theologi à priori mobilitatem Angeli. Postremo ablata omni limitatione, inducitur eo ipso immobilitas, ut constat in Deo. limitatio igitur est inductiva mobilitatis causa, & quidem præcisa; aliter ea sublata, non illico immobilitas sequeretur.

Secundò, idem prob. à priori. Omne finitum est capax additionis. ergo omne finitum est capax motus. antec. non est dubitabile; aliter enim dubitari posset, utrum detur numerus, cui non possit addi numerus, & quantitas mensurata, cui non possit addi quantitas. conseq. constat; quia omnis motus est ad perfectionem, quæ additur mobili, & cum qua mobile constituit unum perfectius, neque vero id de sola extrinseca additione est verum; sed multo potius de intrinseca, quæ proprie originem suam habet à finitate: cum infinito etiam additio aliqua extrinseca fieri possit.

Id ipsum specialiter ostenditur in motu locali. omnia enim spatia sunt eiusdem rationis, nec plus virtutis, ac perfectionis requiritur, ut sit mobile in uno, quam in alio loco. impossibile est igitur, ut à sua natura mobile ad unum locum ità limitetur, ut non possit in alio esse. prima pars antecedentis est manifesta; quia licet in locis extrinsecis sit reperire discrimen, non tamen formale secundum propriam ratio-

nem loci; multo minus est reperire discrimen in ubicationibus, & locis intrinsecis. Secunda pars etiam patet; nam ad motum ex suo conceptu necessaria non est potentia activa, sed satis est passiva, quæ perfectionem in suo exercitio non involvit. Et quamvis requireretur activa, cum omnia spatia secundum spatii formalem rationem specificam latitudinem non suscipiant, non plus activitatis per se requiritur, ut corpus in loco A potius, quam in B ubicetur. Prob. jam conseq. neque enim aliunde vulgò dicimus repugnare causam univocam uni effectui addictam; nisi quia cum effectus sint homogenei, non plus ad unum, quàm ad alterum producendum est opus. Pariformiter quia locus A, & locus B sunt omninò rationis eiusdem, nec requiritur ad implendum unum, & alterum, nisi habere molem utrique æqualem, consequens est, ut uni præ altero corpus essentialiter addictum esse non possit.

Dices, corpus infinitum est naturale, nec tamen mobile, ergo possibile est naturale immobile.

Primum nego antecedens; suo enim loco ostendemus infinitum corpus si minus motu recto, moveri saltem posse motu circulari. Deinde si infinitum corpus syncategorematicè, & distributive sumatur, mobile est sine dubio: si vero categorematicè, & collective, est mobile motu alterationis, quod est satis ad naturalitatem. quamvis autem immobile secundùm locum supponatur, hoc habet ex infinitate secundum extensionem; quod quidem non infirmat principium assumptum in probationem, quod finitum in ea ratione, qua finitum, & mobile.

CAPUT II.

Quibusnam conveniat propria ratio naturæ.

DIco 1. materiæ competit propria ratio naturæ. Prob. quia Philosophus definit naturam per principium, & causam motus, abstrahendo à principio activo, & passivo, causa efficiente, & materiali. atqui materiæ in ordine ad motum cõveit propria ratio principii, & causæ. ergo & naturæ. Atque hanc esse Aristotelis mentem nõn solum eruitur ex data notione naturæ, verum etiam, quia expresse in suis terminis ab eo asseritur 2. phys. t. 10. *Uno quidem modo natura sic dicitur, prima unicuique subiecta materia habentium in se ipsis motus principium, & mutationis: alio autem modo forma, & species*. & 5. met. t. c. 5. *natura vero hæc, prima materia, & hæc dupliciter, aut qua ad ipsum prima, aut simpliciter prima*. Et quamvis hic addat, *quod forma, & substantia generationis est finis, metaphorice vere omnino omnis substantia natura propter hanc dicitur*; loquitur tamen de substantia completa, seu supposito, quod proprie natura non est, sed habens naturam; neque enim homo humanitas, sed habens humanitatem: dum vero humanitas pro hominibus accipitur, non est locutio propria, sed translata.

Dico 2. Formæ omnĩ convenit verissima ratio naturæ. Conclusio procedit de forma tum partis, ut est anima in vivente, tum totius, ut est equinitas in equo, & humanitas in homine; estque certa, & incontroversa secundum utramque partem, cum militet eadem ratio, & authoritas ad prioris conclusionis confirmationem allata.

Et quidem utraque est principium motus in

eo, in quo est, forma partis in toto, cui inest physice, forma totius in supposito, cui inest logicè. Dubium est, an ratio naturæ descendat ad formam ratione principii activi, an vero passivi. Sed vel est quæstio de forma partis, & huic suppono principii passivi rationem non competere: vel de forma totius, & huic necesse est ut ratione utriusque notio naturæ conveniat, si illi convenit ratione tum materiæ, tum formæ. Rursus cum in definitione naturæ ad solam passivam principiatio non limitetur, nihil est, cur eam velimus ad arbitrium limitare.

Dico 3. Anima etiam rationalis propriè natura est, & vero etiam ut rationalis. Prob. anima rationalis etiam quà talis forma est totius hominis. Sed forma quà talis principium est operationum in composito. ergo anima rationalis est natura, etiam qua rationalis. Neque obstat, quòd anima rationalis secundum istam reduplicationem principium est dumtaxat intelligendi, & volendi, quæ sunt operationes immateriales, & inorganicæ, adeòque motus physici non sunt. Hoc enim non tollit, quo minus istæ sint operationes totius hominis, qui ab anima intelligente, & volente intelligens, ac volens denominatur. quare ut actus isti non sint materiales, & organici, sunt tamen actus alicuius compositi materialis, & organici, & cum aliqua dependentia saltem mediata à materia, & organo eliciuntur: quod sufficere videtur, ut anima rationalis constituatur in propria ratione naturæ definitę per ordinem ad motum substantiæ corporeæ.

CAPUT III.

Quid sit naturale, supernaturale, violentum, ac neutrum.

QUandoquidem naturale idem est, ut ipsa nominis notio statim indicat, ac secundùm naturam, seù juxta inclinationem, & exigentiam naturæ; ita denominationes aliæ naturali oppositæ dicuntur per proportionalem habitudinem ad naturam. Hinc primo supernaturale ex vi vocis illud dicitur, quod superat omnem exigentiam, inclinationem, atque adeo activitatem naturæ. quare dicitur tale & per ordinem ad subiecta naturalia, à quibus non potest exigi, & per ordinem ad causas naturales, à quibus non potest fieri. Sed dum activitatem naturæ excludit, non excludit eam, quæ obedientialis vulgo appellatur quæ scilicet non est revera activitas naturæ, sed Dei, natura ad nutum utentis, ut instrumento. Ex hoc recte definitur supernaturale à Nazianz. Quod est impossibile per naturam; Deo autem volenti possibile.

Violentum illud dicitur, quod est contrà naturam rei, eiusque inclinationem à natura derivatam: sive, ut definitur. 3. Eth. c. 1. Quod procedit à principio extraneo, nullam vim conferente passo, quæ ultima verba ita sunt intelligenda, ut passũ non modo nõ conferat ullam vim positivam secundum exigentiam, & inclinationem, sed etiam positive repugnet per inclinationem contrariam, ut explicat D. Th. sic gravi violentum est sursum ferri non solùm, quia non inclinatur à sua natura ad talem motum, sed etiam quia inclinatur à sua natura ad motum oppositum deorsum.

Ex his infertur 1. violentiam inferri posse principio tum passivo tum activo. Prob. natura

est principium tum passivum, tum activum: violentum est contra naturam. ergo est contra utrumque principium. Quare quia inclinatio gravis ad descensum est juxtà exigentiam tum potentiæ receptivæ, tum etiam effectivæ talis motus, utrique consequenter infertur violentia, dum grave movetur sursum. Pariformiter si materia spoliaretur quantitate, violentaretur potentia ipsius passiva, quia privaretur propria, ac debita perfectione. si ignis impediretur à combustione passi dispositi, & applicati, violentaretur potentia ipsius activa exigens suam perfectionem communicare passo.

Neque vero probandum, quod Oviedus controv.6. phys. puncto 4. contendit. suspensionem divini concursus violentam causæ applicatæ non esse; quia, inquit, violentia non fit, nisi causæ applicatæ in actu primo ad operandum. atqui si Deus deneget concursum, causa secunda non est applicata in actu primo ad operandum. ergo nulla illi violentia infertur. Declarari id potest exemplo potentiæ visivæ, quæ dum speciem obiecti A non habet, non patitur violentiam illud non videndo, quia deest illi scilicet comprincipium, à quo complèatur in ratione potentis videre. quod si adsit, & adhuc non videat, violenter non videt. Uno verbo. vis infertur causæ completæ, si prohibeatur effectus, sed non infertur vis causæ incompletæ, si ei denegetur *concausa*. At sine dubio omnipotentia parata est comprincipium cuiusvis causæ creatæ.

Non, inquam, id probandum. nam primò omnis causa secunda completa in genere causæ secundæ, & applicata passo proportionato exigit de sua natura producere effectum, ita ut si non producat, juxtà omnium hominum sensum miraculum habeatur: quod certe nullum est, si nulla causæ secundæ exigentia,

violetur. Secundò omnis effectus naturalis naturaliter sequitur suam causam completam. nomine ergo causæ completæ non venit causa secunda cum omnipotentia applicata; hanc enim non naturaliter, sed essentialiter sequitur effectus, antecedens prob. aliter nulla actio esset naturaliter consequens principium suum; si enim principium nullo modo exigit omnipotentia paratam, consequens est, ut ante hanc actio non sit illi naturalis, & sit post hanc illi essentialis. Concursus igitur causæ primæ est naturaliter debitus causæ secundæ, eo ipso, quod reliqua non desunt; adeoque si is denegetur, vis huic infertur. Tertiò, dispar est ratio de concausa particulari, & de causa universali; proprium enim huius est, ut per ipsam non stet, quo minus actio ponatur: sequitur autem in hoc naturam rerum petentem, ut finatur agere juxtà modum efficacitatis suæ. Quod quidem ità est cuique persuasum, ut nemo sit, qui dubitet sequuturum effectum, si causa secunda adæquata in suo genere sit ritè apto susceptivo applicata. quod sane de causa secunda partiali relatè ad secundam concausam verum non est.

Infertur 2. omnem naturalem actionem excludi à principio, cui violentia infertur: non tamen omnem obedientialem. Prima pars est manifesta; ubi enim est potentia naturalis agendi, ibi est inclinatio ad actionem; omnis enim potentia perficitur per suum naturalem actum; & ad omnem perfectionem naturalem naturalis est etiam inclinatio. ubi autem inclinatio; nulla esse potest violentia; secunda pars declaratur; quia licet in notione violenti habeatur, quod debeat esse à principio extraneo; non tamen excluditur omninò intrinsecum, nisi illud quod habet rationem appetitus, & inclinationis, ut exponit S. Thom. & ita intelligendum quod additur, *nullam*

vim conferente passo, h.e. nullam inclinationem. Hinc fit, ut si aqua per potentiam obedientialem produceret in se calorem, verissimam violentiam pateretur.

Infertur tertio non excludi à violentia caussalitatem materialem. quare poterit passum, cui vis infertur; non solum recipere, sed etiam sustentare actiones, & qualitates sibi violentas, Ratio est; quia stat violentia cum passivitate mera, ut est certum. atqui sustentatio est caussalitas sistens intra lineam passivitatis, & nihil penitus habens de activitate, & influxu, cum sit actus secundus materiæ, causæque passivæ quà talis. ergo à violentiæ ratione nullatenus excluditur sustentatio.

Denique neutrum dicitur illud, quod neque est secundum naturam, & inclinationem subiecti, neque contra. Sic motus, quo ignis constitutus sub cælo lunari ab eodem rapitur circulariter, neuter appellatur; is enim est, ad quem non inclinat, & cui non pugnat natura ignis, qui quidem servat, dum sic movetur, eandem semper à centro distantiam. Sic & formæ artificiales à quibusdam neutræ appellantur, cum ad eas indifferenter plane se habeat natura subiecti.

Sunt, qui contendant, motus eiusmodi neutros non posse dari; omnis enim motus aut est meliorativus, aut deteriorativus subiecti, aut neutrum. meliorativus omnis motus est juxta subiecti inclinationem, adeoque naturalis; deteriorativus omnis est contrà inclinationem subiecti, adeoque violentus. Si neutrum habeat, inutilis est, & otiosus, atque ex hoc ipso naturæ repugnans.

Equidem ita constituo, esse aliquem motum neque juxta, neque contra inclinationem naturæ: quod probant argumenta jam inducta de motu circulari ignis in sphæra, & de formis artificialibus, si sunt entia specialia

Ne.

Neque obstat, quod opponebatur; nego enim omnem motum meliorativum esse secundum inclinationem naturæ. quandoquidem natura non inclinat, nisi in ea, quæ potest ipsa per se acquirere: formæ vero artificiales, ut sint aliquæ perfectiones naturæ, non sunt tamen ab ipsa comparabiles. motus deinde ignis circularis est talis perfectio, qua si caret ignis, est naturaliter quietus; nullam proinde in se habet exigentiam talis motus. Demum an talis motus naturalis sit dicendus, an neuter, lis est de voce, in qua alii aliter loquuntur.

CAPUT IV.

Comparatur natura cum Arte.

IMitatio naturæ est ars. non abs re proinde erit artem post naturam contemplari; easque ita componere, ut mutuam sibi lucem afferant.

Distinctivum rerum naturalium præcipuum exterior figura, & apparentia est: cum enim omnia hominis unius gratia sint facta, qui quidem sensibus, visu præsertim in naturæ cognitionem venit, congruentissimum fuit, ut sensibiles formæ variarentur, à quibus humana mens intimam, ignotamque substantiarum varietatem doceretur. Propterea ars dum circa figuras ejusmodi assimilandas versatur, imitatur, quod est ad sensum in natura præcipuum; & ex hoc naturæ pedissequa, & æmulatrix appellatur. Hinc fit, ut artificialia composita modum substantialium servent; neque enim ut accidentalia concreta connotativa sunt nomina, & subiectum in recto, accidens in obliquo important, item artefacta: sed materiam simul, ac formam artis dicunt in recto; & ut homo corpus, & anima, item

statua æs, & figura, ut habetur 7. met. 3. t. 34.

Imitatur deinde naturam ars in modo operandi; nam & artifex agit ad ponendam formam similem ideæ, quam habet in mente, ut naturale agens agit ad ponendam formam similem illi, quam habet in se. & utrumque ab imperfectioribus ad perfectiora procedit. & utrumque aliquid præsupponit, naturale agens opus Dei, quod est materia prima, artifex opus naturæ, quod est materia secunda.

Non tamen assequitur naturam ars, sed ab ea deficit in multis ponit enim primo non ens, sed entis imitationem, & imaginem. Secundo non tam agit, quam dirigit: non tam ponit, quam disponit. Tertio formas induci non vivaces, & actuosas, quales sunt naturales, sed ignavas, & mortuas, quæque aptæ non sunt sibi similes generare. Quarto operibus suis motus principium intrinsecum non inspirat, sed illud à natura præsuppositum mutuatur, seseque materiæ, quam versat, necessitati accommodat. Jam vero ut appareat hæc ita esse, & tota artis humanæ vis, & efficacia declaretur.

Dico 1. ars creata non potest immediate efficere opus ullum naturæ, sed tantum directivè, & mediatè. Prob. quoniam ars universim supponit naturam, eiusque potentias naturales effectivas in sua activitate completas, quibus utitur; ut constat generali inductione. Unde fit primo artem creatam non esse adæquate effectivam operis; cum enim supponat potentiam effectricem in natura, quam complet, non potest ipsa complete opus efficere. Fit secundo, ad nullum opus artem concurrere efficienter, sed solum directivè, & exemplariter; cum enim supponat potentias naturales adæquate effectrices, neque indigas complementi in ratione potentis simpliciter effectum suum, sed solum in ratione potentis sic, & sic-

artificiose; consequens est, ut non efficientiam, sed directionem, non auxilium, sed consilium naturæ ars superaddat.

Conf. quia ut habetur 6. Eth. ars est habitus cum recta ratione factivus. consistit autem eius actus in notitia quadam practica dictante sic & sic marmor cęlo subiiciendum, ita colores in tabula disponendos, &c. Ex quo duplex est argumentum ad conclusionem confirmandam. 1. Ratio in tantum agit extra, in quantum movet, ac dirigit voluntatem ad agendum, ergo ipsa immediate non influit in opus. 2. notitia residens in cerebro est dissita localiter ab opere efficiendo, ideoque ne agat in distans, dicendum est in illud non influere.

Dico 2. Unicum opus naturæ, in quod potest ars creata mediatè, & directive, est motus localis corporum. Videmus enim omnes operationes artis in eo demum uno consummari, ut corpora secundum situm, positionemq; localem aliter, & aliter moveant, ac disponant. Ex his quæ certa sunt apud omnes,

Deducitur 1. artem creatam eatenus posse transmutare corpora naturali transmutatione; quatenus applicat activa passivis, proportionatis scilicet subiectis agentia sua, quorum vi sequitur generatio effectus intenti ab arte. Hinc poterunt Chymistæ verum aurum conficere, si arcanam illam vim, quæ intra montium venas materiæ subiectæ auri formam inducit, inveniant aliquando, eamque passo rite præparato admoveant. Sed utrum istam aliquando invenerint, ipsi videant; iique quibus fidem spes extorquet.

Deducitur secundo per artem non posse patrari vera miracula, quamquam multa efficii possint vulgo mirabilia. Prima pars ex dictis prob. quia miraculum est quod omnem superat activitatem naturæ. atqui ars nihil potest efficere, nisi media activitate naturæ. ergo non

potest

potest patrare miraculum. Secunda pars constat ex eo, quod ab Angelo, aut homine sapiente, cui notæ sunt rerum naturalium occultæ virtutes, possunt eæ ità applicari subiectis proportionatis, ut effectus indè admirabiles existant. admirabile enim est, quod occultam habet causam.

Deducitur 3. formam artificialem nihil esse præter situm, & localem ubicationem corporum secundum artis præcepta dispositam, & ordinatam. Prob. à priori ex dictis. quidquid potest ars, potest medio motu locali, quo certe non inducitur per se, nisi situs, & ubicatio. Rursus non competit arti vis effectiva specialis, sed utitur vi effectiva naturæ, quam applicat passo per motum. atqui natura nihil potest efficere, nisi naturale. ergo forma artificialis à situ, & ubicatione corporum distincta non est secundum rem, sed solum secundum diversam rationem, & respectum, dicitur enim naturalis prout efficitur à natura: dicitur artificialis, prout dirigitur ab arte. Conf. ubi intelligo colores ita dispositos in tabula, atramentum ità disseminatum in pagina, intelligo picturam, & characteres, atque ita de aliis. forma igitur artificialis his superaddita superfluit.

Neque instes, hinc futurum, ut qui loco movet artefactum, formam de novo artificialem inducat. Ut enim id verum physice sit, moraliter est falsum. ita enim movet, ut eodem situ, & ordine partes artefacti sibi cohæreant. At vero artifex est, non qui ubicationem, situmque hujusmodi utcumque immutat: sed qui primo inducit cum ea necessitate sibi mutuo cohærendi, ut quomodocunque moveantur, eundem ordinem, proportionemque affabre semel inductam semper retineant.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA

De causis in communi.

SCire est rem per suas causas cognoscere. ad physicam ergo; cujus est scire ens naturale, pertinet de causis ipsius agere. satis tamen esset, si unum illud scrutaretur, à quo sit, ut à causa, naturale corpus;sed usus jam apud nostros invaluit,ut integra de causis tractatio, quæ sanè metaphysica est, in hunc locum reiiceretur.

CAPUT I.

Quid sit, & quotuplex sit causa.

NOtio aliqua causæ est unicuique per se nota, & supponitur ante omnem quæstionem; omnis siquidem interrogatio, seu quæstio est de causa, cum oriatur ab admiratione, àqua impellimur ad inquirendam causam occultam effectus manifesti. ante omnem igitur quæstionem rudis quædam causæ notio insita omnibus est, sed quia notiones etiam primæ possunt ulterius notificari quodammodo extensivè, & per ordinem ad nostrum intellectum; bona videtur ea explicatio causæ, quæ desumitur ex 2. phys. t. 68. Causa est, quam quærimus per quæstionem, quam naturaliter movemus, dum dicimus, propter quid res est.

Ad cuius explicationis intelligentiam noto, ens creatum omne sibi esse plane insufficiens ad essendum, atque adeo indigere alio à se distincto, à quo esse recipiat. Hinc illa naturalis cujusque curiositas, ut viso effectu aliquo contingente, inquirat ulterius, à quo sit, nec potest in ipso sistere, in eoque sciendi aviditatem terminare. Contrarium omninò in Deo contingit, cui cum insit omnimoda essendi

sufficientia, se uno potest omnem intellectus humani curiositatem circa ipsum extinguere.

Hinc patet intelligentia definitionis causæ. suppofita enim rudi illa notitia omnibus insita, eam ulterius explicamus per effectum cujusque intellectui ingeneratum, hoc est per curiositatem, qua dum videmus rem in se insufficientem, propellimur nativo impetu ad ejus sufficientiam extra ipsum inquirendam: & causam eam dicimus, quam quærimus, &c. ut extinguamus scilicet curiositatem à rei insufficientia natam. Complectitur autem hæc notio omnes, & solas causas. Omnes quidem, quamquam non cum eadem proprietate: extrinsecæ siquidem ut efficiens, & finalis propriissime sunt eæ, quæ sufficientiam effectui à se distincto tribuunt: quod idem convenit materiali relate ad formam, quam sustentat. sed intrinsecæ causæ cum dent toti à se indistincto sufficientiam per sui positionem, non sunt cum tanto rigore causæ; quamquam sint causæ propter distinctionem inadæquatam à toto, quod causant: & in hoc ipso plus habet proprietatis materia, quæ causat formam, & propterea totum, quam forma, quæ nihil revera causat, nisi dando se.

Solæ præterea causæ notioni positæ subsunt; excluduntur enim ab hac & principium productivum in divinis, & meræ conditiones causandi. Primum quidem; quia Verbum divinum licet à Patre procedat; cum tamen ab eo Deitatem eandem accipiat, atque adeo eadem essendi plenissima sufficientia sit utrique communis; Inquisitio de Filio non est à contingentia ipsius, & insufficientia; adeoque quod de ipso quæritur, non est causa. Secundæ verò, quia conditiones non supplent effectus insufficientiam, sed solum determinant causas, ut dent effectui suum esse, ejusque indigentiam

sup.

suppleanr. Cum enim creata causa quamvis contineat sufficientem virtutem ad effectus productionem, non tamen determinata sit ad hunc potius, quam illum effectum, ad agendum hoc potius, quam, illo loco hoc potius, quam illo tempore, entitates quasdam, aut modos, quæ conditiones dicuntur, natura instituit, & sunt mera virtutum naturalium ad agendum determinativa.

Quatuor porrò traduntur à Philosopho causarum genera, Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis. Materialis est, ex qua aliquid fit, cum insit; ut æs materia est statuæ; ex eo enim fit statua, & ipsum inest statuæ. Formalis est ratio eius, quod quid erat esse, hoc est definitionis. & essentiæ rationi; forma enim est, quæ rebus naturalibus speciem determinatam tribuit; estque id per quod natura rei ultimo constituitur, ac definitur. Efficiens est, à qua primo incipit motus, & quies, ut consultor est causa operis, & pater filii. Finalis demum est, cuius gratia cætera fiunt. sed de his suo singillatim loco fusius.

Prob. nunc bonitas divisionis. tot sunt causæ, quot sunt quæstiones, quas naturaliter de re movemus, si causa est, qua hujusmodi quæstionibus satisfacimus. At quatuor sunt eiusmodi quæstiones. Propter quid res est talis, & respondemus per formam. A quo res est, & respondemus per efficientem. Ex quo res est, & & respondemus per materiam. Cuius gratia res est, & respondemus per finem: neque vero plures excogitabiles sunt quæstiones, quæ ad istas non reducantur.

CAPUT II.

An, & quomodo existentia causa præsupponitur ad effectum.

DIco 1. Nulla causa, præter finalem, potest causare, nisi dum est. Citantur in oppositum à nostris Recc. Thomistæ, ut videre est apud Amicum in phys. tract. 12. q. 3. dub. 2. sed Masius 2. phys. c. 3. sect. 3. q. 8. disertis verbis negat posse intelligi, quod Deus aliquid moveat ad operandum, quod neque in se, neque in suo effectu est. Concedit quidem ipse cum Thomistis reliquis posse causam agere principaliter, dum ipsa non est, sed est virtus ipsius, quæ una immediatè operatur, quamvis actio non virtuti, sed ipsi causæ non existenti tribuitur. Sic pater per semen à se elaboratum generat filium, licet ipse ante instans generationis extinctus sit. Sed hoc non pertinet ad quæstionem præsentem, in qua solum disputatur de causa operante immediate per suam essentiam. Aliud præterea asseritur à Thomistis, quod ansam fortasse præbuit, ut in ista opinione censerentur; putant enim dispositiones prævias in instanti generationis non esse sequutas scilicet ruinam, destructionemque totius, cui ut subjecto innituntur; & tamen disponere adhuc materiam, eamque determinare ad novam formam. quod certe est longe aliud ab eo, quod hic quæritur.

2. Cæterum conclusio quoad omnes sui partes est evidens. Profecto finis ad causandum realem in se existentiam non poscit, sed intentionalem in cognitione; movet enim ut sit, non quia est. Causæ verò intrinsecæ cum causent per sui positionem, manifestum est non posse toti se communicare, illudque actu physicè constituere, nisi sint. quis enim non ut fa-

tuum reiiceret, qui assereret statuam actu perfectam, ex ære, aut figura merè possibili constari.

Idipsum pari evidentia constat de efficiente, principio enim indubitabile cuique sanæ mentis est, nec disputare sapienter, nec mordere ferociter quempiam posse, si sapientia, aut dentibus careat, quamvis eam vel possit habere, vel etiam habuerit. nemo enim nisi planè stultus quidquam sibi timeat à sophista, vel cane, aut nondum nato, aut mortuo. Præter hæc impossibile est ex terminis, ut agat, quod non habet agendi virtutem, ac potentiam, quę propositio si explicetur, identica est; quia facit sensum, non posse agere, quod non potest agere. quod autem non est, ut essentia, Item potentia, & virtute caret; ergo agere non potest. His adde, quod actio, sine qua nec agens causat, nec effectus causatur, essentialiter petit causam, & effectum existentes, quibus scilicet ex necessitate naturæ suæ addicitur. quare ut intelligi non potest effectum fieri, & non esse; ita à fortiori nec potest intelligi causam agere, & non esse. Postremo ut se habet existentia intentionalis ad finem, ita existentia realis ad efficientem causam. at finis per nullam potentiam movere potest, nisi existat intentionaliter in cognitione. ergo efficiens per nullam potentiam agere potest, nisi existat realiter in se.

Quod verò additur ab aliquibus, sat esse, si causa immediate ante præcesserit, non est satis consultò dictum; quod enim fuerit antea, non facit, ut pro instanti, in quo operatur, habeat aliquod physicum esse: sed ita plane ad illud instans se habet, ut si multo ante, aut nunquam extitisset; nisi aliquid relinquat, quod vices ipsius gerat, & nomine ipsius causet: in quo sensu nunc non nego posse causam agere, dum non est.

Dices: causa, ut causet, non debet esse in loco, ubi causat, sed satis est, si sit in proximo, & contiguo. ergo nec est opus, ut sit in eodem tempore, sed satis est, si fuerit in tempore immediate præcedenti.

Poterat etiam addi, satis esse, si futura sit in tempore immediate sequenti; utrumque enim æque sequitur. Præterea ut non potest agens in substantiam à se distinctam agere naturaliter in eodem loco; fieret similiter, si quid paritas valeret, ut non posset in eandem agere in eodem tempore. Par igitur ratio non est de loco, & tempore; quòd enim hic non existit, absolute, & sine restrictione existit; & potest proinde alteri communicare esse, quod habet. at quod nunc non existit, absolutè non existit, & solum existit ampliative; adeoquè tribuere esse non potest, quod in se revera nullatenus habet.

Dico 2. Existentia non est conditio agendi; sed ratio formaliter productiva.

Prob. nomen existentiæ dupliciter potest accipi. primo ut præscindit ab exercitio existendi; in quo sensu existentiam etiam possibilem dicimus. atque ita reciprocatur cum essentia, ut nullam ab ea distinctionem ne rationis quidem habeat. quare ut essentia, ita existentia rei indubitanter est ratio formalis productiva. Secundo, accipitur pro ipso exercitio existendi, seu pro ipso esse, & existere actu; atque etiam in hoc sensu veram esse conclusionem censeo. necesse est enim habere rationem virtutis, & rationis productivæ, quæ se habet ut præcontinendi, & communicandi ratio. atqui esse causæ est ratio, cur causa contineat effectum, atque illi esse communicet. quemadmodum enim prædicata specifica ignis sunt rationes ejusdem, quia ista tribuuntur effectui producto, & propterea præhabentur in causa; ita quia esse tribuitur eidem,

con-

consequens est ut esse debeat in causa præintelligi ad hoc ut sit formaliter potens in productionem effectus.

Quid vero dicendum, si essentia sit ab existentia res distincta? Thomistæ huius distinctionis authores conveniunt in hoc, quod ratio formalis agendi existentia non sit. discrepant, quod alii illam conditionem appellant, alii modum intrinsecum causæ. Sed & lis est mera de voce, & suppositio inutilis: ad alia proinde propero.

CAPUT III.

Quid sit natura prioritas, & quatenus ea sit proprietas tum causa, tum conditionis.

ARistoteles in Prædicamentis quatuor modos prioritatis enumerat à veteribus agnitos; est enim unum altero prius vel tempore, vel ordine, vel dignitate, vel secundum subsistendi consequentiam, ut unum est prius duobus; si enim duo sunt, unum est; non è contrario. Præter hos quintum ipse modum ex propria sententia addit, *Cum*, inquit, *eorum, quæ convertuntur secundum essendi consequentiam, quomodolibet causa est, convenienter prius natura dicitur*. Quibus verbis naturæ prioritatem recognoscit Philosophus in causa, sed quid ea sit, non explicat; ut propterea Recentiores Philosophi in hac explicatione non parum laborent.

Res tamen est, nisi fallor, satis manifesta, si attendatur natura effectus, & causæ. Effectus certe contingens, cui nulla prosus inest essendi sufficientia, ab alio contradistincto eam expectat, ut sit. Ex quo consequens est, ut supponat aliud cum proxima, & adæquata potentia ad ipsum inducendum, eique addatur

tur. propterea natura prius illud dicitur, quod proximam potentiam adæquatam constituit, qua aliud resultat natura, & essentia distinctum. Quod verò inde resultat, natura posterius appellatur. ipsa autem resultantia, consecutio, & additio posterioris ad prius est naturæ prioritas. Causa igitur adæquata est subiectum, quod prius natura denominatur. forma vero denominans est actualis causalitas, & influxus in effectum, qui causam priorem, & effectum posteriorem simul denominat, ut eadem visio & oculum reddit videntem, & parietem visum. Ex his

Sequitur 1. Patrem divinum priorem natura Filio non esse; Filius enim à Patre procedit in naturæ identitatem, adeoque non est natura à natura, sed Persona à Persona: in quo habetur prioritas non naturæ, sed originis.

Sequitur 2. eiusmodi naturæ prioritatem convenire tum causæ efficienti, tum materiali. De efficiente non est dubium; ea enim est præcipua potentia, à qua effectus resultat, & ad esse traducitur. De materiali prob. ut enim habeatur effectus per actionem naturalem transmutativam, necessariò ex parte potentiæ proximæ supponi debet subiectum transmutabile antecedens actionem, & formam de potentia ipsius eductam. causa igitur materialis prioritatem naturæ participat.

Sequitur 3. causam finalem priorem natura esse non ut actu in se existentem, nec secundùm esse reale, sed ut existentem in sui notitia, & secundùm esse intellectuale. Quandoquidem finis secundùm hoc esse, quod habet in mente efficientis potentiam proximam, & adæquatam constituit, ex qua consurgit effectus media voluntatis motione cum tota serie actuum, & mediorum usque ad realem existentiam finis intenti.

Sequitur 4. formam ad totum nullam prorsus

sus habere naturę prioritatem; nihil enim revera causat; non materiam, quæ supponitur; non unionem; hæc enim non est, nisi ipsius eductio, ut infra probabitur. Constituit ergo totum forma, sed non constituit potentiam productivam totius. quare prior natura non est.

Sequitur 5. quod actio, seu causalitas non est prior natura effectu. Ratio est, quia actio non se tenet ex parte virtutis proximè, & adæquatè potentis addere sibi effectum, sed est ipsa formalis additio. quare non est prior, sed prioritas.

Sequitur 6. prioritatem naturæ de suo conceptu involvere simultatem temporis inter prius, & posterius. Cum enim talis prioritas sit ipsa actualis causalitas, & dependentia effectus à causa, nec possit dari causalitas sine causa actu causante, & effectu actu causato; consequens est ut simul sint tempore, quæ habitudinem dicunt prioritatis, & posterioritatis secundum naturam.

Sequitur 7. naturæ prioritatem competere non solum causæ, sed etiam conditioni. Duplex genus conditionis est distinguendum; alia est conditio causæ, alia actionis. prima est largè dicta, quæ requiritur ad existentiam causæ, sed nullo peculiari munere juvat causam, ut prodeat in actionem. talis est duratio, ubicatio, quantitas, & sim. Altera est strictè dicta conditio, quæ specialiter dirigitur ad actionem, quatenus causam passo applicat, aut removet prohibens. Jam verò utramque esse in priori natura ad effectum ex dictis constat; utraque enim constituit proximam adęquatam sufficientiam, à qua effectus resultat; siquidem si fingatur alterutra deficere, agens non intelligitur proximè potens, & expeditum ad positionem effectus.

Verum censeo conditiones meras formaliter prio-

priores non constitui per actionem essentialiter ipsis additam. Hoc primum probo de conditionibus causæ, in quibus nulla esse videtur peculiaris habitudo immediata ad actionem; aliter oporteret, ut toto tempore, quo duratio, & ubicatio successivè variatur, variaretur etiam actio: quod esset satis arbitrariè dictum. Sed neque conditiones secundi generis immediate respiciunt actionem, aut ab ea respiciunt. istæ enim totum suum munus explent circa causam, quam ubi passo applicuerint, nihil ulterius exercent circa effectum. non ergo ullatenus connectuntur cum actione, quæ est causæ exercitium circa positionem effectus.

Dices actio pendet à conditione, quia sequitur totum principium proximum adæquatum, quod per conditionem constituitur. sed non pendet per aliquid à se distinctum; aliter daretur actio actionis ergo seipsa, adeoque essentialiter.

Resp. actionem pendere à conditione solum mediatè, & remote, adeoque per aliquod distinctum. neque hinc fit, ut detur actio actionis; hoc enim solum sequeretur, si actio penderet à conditione immediatè per aliquid aliud.

Instabis. actio pendet à causa immediate, secundum quod ea est proximè potest operari. sed causa in hoc esse conditionem constituentem reduplicat. ergo à conditione immediate pendet actio. maior prob. si enim actio penderet à sola entitate causæ secundum se præcisè accepta, posset actio adhuc perseverare, deficientibus conditionibus, modo entitas causæ non deficiat.

Nego ma. cuius probatio est inanis; ut enim actio posset perseverare, remotis conditionibus, deberet nullo pacto ab iis pendere. at vere pendet, quamvis remotè, & mediatè.

Jam verò hoc difficile est, explicare, per

quid

quid formaliter actio, & effectus sint in posteriori ad conditiones posterioritate remota, & mediata. Equidem, omissis iis, quæ Oviedus controv. 18. phys. puncto 3. n. 6. philosophatur per recursum ad divinum decretum determinatum à prævisione conditionis, existimo, quod cum agens in priori ad effectum sit constitutum proxime potens producere, in qua constitutione sunt necessariò requisita omnia. & conditiones agendi, per illud ipsum, per quod conditio ingreditur eiusmodi constitutionem immediatè, mediatè fit prior actione, & effectu. Et quidem illa constitutio antecedit omninò actionem, & posset tota haberi sine actione miraculose impedita; proinde actio eam constitutionem non ingreditur: sed ea habetur, vel per unionem quantitatis, durationis, &c. vel per aliud quodcumque. Requiritur autem ad completam denominationem prioris in conditione, ut actio sit præterea immediatè ab agente jam constituto in secunda, & proxima potentia. quare denominatio prioris in conditione formaliter tandem ultimate ab actione est, sed non ab actione essentialiter conditioni addicta.

CAPUT IV.

An sit possibilis mutua naturæ prioritas in eodem, aut diverso genere causæ.

Inter causam finalem, & efficientem intercedere mutuam prioritatem, nemo est, qui nesciat. Testatur id expresse declaratque Philosophus 2. phys. t. 30. his verbis: *Sunt autem quædam & ad invicem causæ, ut labor causa est bonæ valetudinis, & hæc laboris: sed non eodem modo: sed hæc quidem sicut finis, ille ut principium motus.* Ratio est; quia non causant se invicem secundum idem esse. finis

enim causat secundum esse intentionale, & causatur secundum esse reale. Dubitabile igitur est, an secundum idem reale esse possint causæ se mutuò natura præcedere, ita ut invicem comparatæ utraque sit causa, utraque effectus. quæ proinde inquisitio locum præcipuè habet in causis efficientibus.

Dico igitur, implicare contradictionem manifestam, ut duo se invicem causent, sintque se mutuo priora secundum idem esse reale.

Demonstratur. 1. Nihil contingens potest esse ratio ultimata, in quam resolvatur sua essendi sufficientia, ne partialis quidem. Atqui si causæ essent invicem causæ, id sequeretur. ergo non possunt causæ esse invicem causæ. minor sola declaratione indiget; sit enim A causa B. & invicem effectus, si quæras, unde A per se ad essendum insufficiens accipiat sufficientiam? respondetur à B. rursus si de ipso B contingenti, & insufficienti eadem inquisitio instauretur; respondetur, accipere essendi sufficientiam ab A; adeoque A ultimate suam essendi sufficientiam à se recognoscit. prob. nunc maior. nihil potest ullatenus habere à se, quod nullatenus habet in se, at contingens nullam in se habet essendi sufficientiam. quod est evidens ex naturali curiositate, ubi novus aliquis effectus conspicitur, inquirendi causam ab effectu ipso planè distinctam: cui curiositati non potest responderi per effectum sine risu inquirentis. ergo contingens non potest esse ratio ultimata, in quam ultimo resolvatur sua ipsius essendi sufficientia.

Demonstr. 2. Potentia proxima adæquatè productiva effectus non potest constitui per effectum. sed constitueretur, data mutua prioritate. ergo non potest dari mutua prioritas. major prob. actio sequitur talem potentiam illique additur. si ergo effectus esset pars illius potentiæ, actio sequeretur effectum,

ctum, adeoque effectus esset, antequam fieret. min. prob. quia evidens est, ut causa intelligatur potens producere, debere intelligi esse; non potest autem esse, nisi fiat: nec potest intelligi, quod fiat, nisi à causa, quæ cum in casu sit effectus ipse; consequens est, ut effectus intelligatur, ut constituens causam suam in potentia causandi.

Demonstr. 3. per deductionem ad impossibile ratione desumpta ex Philosopho 1. post. t. c. 24. Admissa mutua prioritate, aut tolleretur omninò scientia, aut nihil scire esset omnia scire. Utrumque est evidenter falsum. ergo non est possibilis mutua prioritas. minor est certa ex conatu naturæ ad inquirendas rerum causas; qui quidem frustra esse non potest. esset autem frustrà, si aut inveniri rerum causæ non possent, aut non inventæ invenirentur. maior ostenditur. investigatio naturæ per appetitum sciendi ab effectu progreditur ad causam. data autem mutua prioritate, regrederetur ad effectum iam antea notum. hoc autem revera est non invenire causam, quia effectus non est sui causa; & si esset, frustra ab eo progrederetur naturæ impetus ad inquirendam causam. ergo impossibilis jam esset inventio causæ, & scientia effectus, quæ in illa inventione consistit. Rursus nihil scit, qui nullius effectus causam novit; scire enim est rem per causam cognoscere. atqui data mutua prioritate, qui novit effectum, novit causam effectus; quia effectus est, in quem ultimo resolvitur vis ejus causativa. ergo qui novit effectum, & ejus causam ignorat, scit effectum, eiusque causam: adeoque hoc ipsum nescire est scire.

Confirm. hæc omnia à posteriori. est juxta naturæ lumen, in quolibet ordine sistendum esse in aliquo primo, quod non sit ab alio, & à quò sint reliqua; hinc enim Philosophi

gentiles in Dei notitiam pervenere. atqui admissa possibili mutua causalitate, nulla esset talis principii necessitas. ergo mutua causalitas est contra naturæ lumen.

Adversus conclusionem tam firmiter roboratam solent nonnulla experimenta obiici, in quibus videtur mutua causalitas haberi. Sed omnia facilè dissolventur ex duplici principio, quod subiicio. Primum est. Potest unum connecti cum alio, quin pendeat ab illo. Sic Sol naturaliter connectitur cum luce, quin pendeat à luce. Unde consequentia nulla est, si ex eo quod Sol periret, pereunte luce, inferas Solem pendere à luce, hinc enim sola probatur connexio, quæ oriri potest ex eo, quod lux quamvis non sit causa Solis, est tamen naturale complementum perfectionis ipsius solis, adeoque pertinens ad ipsius integritatem, ac connaturalitatem essendi. Unde habes nullam esse mutuam causalitatem, sive in impulsu movente lapidem sursum, qui nullus esset eo ipso, quod motus impediretur: sive in habitu charitatis influente in actum amoris, dum urget præceptum, qui sane habitus non esset, si amor non poneretur, &c.

Secundum est. Causa non raro ita est potens ponere duos effectus simultaneos, ut unum sine altero ponere longe sit difficilius, quam ponere utrumque. Patet veritas principii 1. à post. aperire enim oculos, & videre sunt duo effectus, sed facile est aperire oculos, & simul videre: difficile, imo etiam impossibile apertis oculis non videre. Secundo à priori; quia connexio effectuum potest esse tanta, quæ sit aut valde difficulter, aut etiam naturaliter insuperabilis à causa.

Hinc habes non probari mutuam causalitatem ex eo, quod ventus aperit fenestram, & ingreditur, sed solum quod apertio, & ingressus sunt effectus connexi eiusdem venti. Similiter

liter

liter situs, & ubicatio baculorum sibi invicem incumbentium, sunt effectus simultanei provenientes ab utriusque baculi gravitate per modum unius accepta. Quod idem dicendum de rotis eiusdem currus indivisim ab eodem motore impulsis; sunt enim propter continuationem ita connexæ, ut non possit una moveri, alia penitus immota, quin discontinuentur, & currus frangatur: ad quod plus virium requiritur, quam ad movendam utramque rotam.

QUÆSTIO TERTIA,

De causis intrinsecis.

CAPUT I.

De causa materiali, eiusque causalitate tum in totum, tum in formam:

IN hac re usque adeo jactabundus exultat; insultatque Peripateticis Recentior Magnanus, ut asserere non dubitet, naturalem apud nos Philosophiam desiisse in simplicem, & cœcam credulitatem; quod cortici dumtaxat verborum Aristotelis inhæremus, medullam; ipsi scilicet reservatam, contemnimus. Equidem satis huic authori responsum rear, si ostendero nihil ab ipso adversus Peripateticos præter contumelias allatum de suo, quamvis tertio quoq; verbo in rationibus suis evidentiam ructet. Sed Aristoteli in hoc saltem uno credat asserenti, attendentes ad pauca facile enunciare.

Jam vero statum primò quæstionis proponamus. Dari causam materialem superius dixi, ubi causam in quatuor genera divisi cum certa, & com-

& communi ſententia Philoſophorum. Porrò huic cauſæ duplicem habitudinem Peripatetici tribuimus, alteram ad totum, quod componit, alteram ad formam, quam ſuſtentat. Habitudinem ad totum explicamus facile; eſt enim materia id, ex quo præſuppoſito, ut parte potentiali, & perfectibili per actum, & formam, totum poteſt conſtitui. atque hæc eſt materiæ potentia cauſativa in actu primo. cauſalitas vero in actu ſecundo eſt ipſa ſui communicatio, qua recipiendo in ſe formam, dat illi mutuo ſe ipſam, & cum ea totum phyſicum conflat.

De habitudine ad formam eſt tota lis; qua ſcilicet ratione eam cauſet, ut ex hoc tollatur ratio creationis à forma materiali, eaque dicatur educta, non creata. Id antequam explico, colligam prius ex Authore citato præcipua argumenta, quibus demonſtraſſe ſe putat eductionem formæ, & materiæ cauſalitatem explicari à Peripateticis non poſſe.

Primo arguit. Fieri formam eductivè ex materia, non eſt fieri cum præcontinentia in potentia paſſiva materiæ. anima enim rationalis in ea potentia continetur, quatenus poteſt in ea recipi, nec propterea educitur ex materia, nec ab ea materialiter cauſatur.

Secundò, vel cauſalitas materiæ eſt concurſus eiuſdem activus, vel paſſivus. primum dici non poteſt; quia ſic materia non eſſet mera potentia paſſiva. ſecundum facit, ut anima rationalis ſit cauſata materialiter: quia concurſus merè paſſivus non eſt, niſi mere receptio.

Tertiò, neque explicatur eductio formæ per hoc, quod ità fiat dependenter à materia, & in materia, ut naturaliter poſtulet fieri in materia, & non extra materiam. nàm primò hoc totum ſtat cum hoc uno, quod forma fiat in materia, non ex materia. Deinde hoc totum convenit

venit. animæ rationali, quæ naturaliter fieri non potest; nisi in corpore.

Quartò nomen sustentationis importat, ut materia sustentans sit sola per se subsistens; si enim æque forma per se subsisteret, non minus forma egeret sustentaculo materiæ, quam materia formæ. at hoc est formam substantialem ad accidentia compingere, & unius per se rationem violare.

Quintò, si dicas causalitatem materiæ consistere in eo; quod actio productiva formæ recipiatur in materia, nihil novi dicis; nihil enim aliud id esse potest physice loquendo, quam à materia præberi concursum ad productionem formæ. de hoc autem concursu redit argumentum secundo loco propositum.

Sexto. vel materia est causa formæ intrinseca, vel extrinseca. non primum, quia sic formam constitueret. non secundum, quia induceretur novum genus causæ extrinsecæ, nimirum materialis: & rursus causa materialis diceretur æquivocè de intrinseca, & extrinseca: quæ repugnant doctrinæ Aristotelis de causa materiali, eam semper, & ubique explicantis per ordinem dumtaxat ad totum in suo esse per materiam præsuppositam constitutum.

Septimo, si dicatur sustentatio esse productiva formæ, & indivisim affixiva eiusdem ad materiam præsuppositam, contrà est; quia si Deus unica actione creet animam rationalem, eiusq; cum corpore unionem, ista actio erit essentialiter affixiva animæ ad materiam, nec proinde anima non creabitur.

Mitto alia, quæ vel obiicit contrà speciales dicendi modos, vel rem non tangunt, & facile solventur ex dicendis.

Dico 1. Materiæ causalitas in formam non est sola receptio formæ, quæ naturaliter sine materia nec fieri, necesse possit.

Prob. 1. quia ex opposita sententia fit, ut non

solum forma causetur à materia, sed etiam materia à forma; item enim materia unitur formæ cum ejusdem indigentia naturaliter infrustrabili. Neque dicas materiam non causari à forma, quia licet ab ea pendeat, non tamen à priori. Contra enim est; quia id ipsum est tibi explicandum, in quo stet ista prioritas, quæ materiæ ad formam convenit, non è contrario; neque enim est pura receptio, ut concedis: non indigentia ejus, quod recipitur; quià par indigentia est in materia. non temporanea materiæ antecessio; tum quia sic non explicatur dependentia formæ à materia in prima rerum productione; tum quia temporis prioritas omninò est impertinens ad explicandam naturæ & causalitatis prioritatem; neque ex eo, quod anima rationalis tempore præsupposita infunderetur corpori, recte inferres dependentiam corporis ab anima veluti à priori secundùm naturam.

Prob. 2. supponendo formas materiales divinitus posse creari etiam dum subjecto sunt unitæ. Nunc sic. ex adversariorum sententia sequitur, formas materiales aut semper creari, aut numquam creari, etiam dum miraculose creantur. Vel enim formam actu indigere materia est aliquid de suo conceptu distinctum à forma, ejusque receptione. & hoc quid sit, ulterius est explicandum: vel non; & sequitur utrumque absurdum; in casu enim, quo crearetur miraculose anima equina, adhuc illa reciperetur in corpore, & haberet indigentiam corporis sibi identificatam. ergo adhuc in eo casu educeretur, non crearetur: vel si tunc crearetur, nunc etiam de facto creatur; nullum enim est excogitabile discrimen inter formam equinam tunc creatam, & nunc eductam juxta hunc dicendi modum.

Dico 2. Causalitas materialis non est influxus materiæ in formam. Oppositam huic senten-

tiam multis redarguit Magnanus appendice 1. ad Phil. Sacram.

Equidem duplici argumento contentus ero; puto enim, in hac sententia confundi materiam cum efficiente, & non solvi argumentum probans formam creari.

Probo primum. influere esse in aliud est dare illi esse per veram, & physicam productionem. atqui ita, & non aliter explicari potest causalitas efficientis. ergo dum asseritur materia influens in formam, constituitur materia efficiens formam. Quod si dicas, materiam influere non per modum efficientis, sed per modum materialis causæ, petis principium; hoc enim est, & non aliud causare per modum efficientis, causare influendo, & dando esse. quod importat propterea præcontinentiam perfectionum effectus in causa dante.

Dices, influxum causæ materialis in hoc differre ab influxu efficientis; quod efficiens dat esse sine sui mutatione; at materialis ita dat esse ut ex propria ratione causandi petat essentialiter immutari per suum influxum. Sed contra est; hoc enim probat causam materialem esse simul efficientem, & materialem: quemadmodum potentia vitalis ex vi sui influxus immanentis petit immutari, & per hoc est simul agens, & subjectum.

Probo secundum. causalitas materialis facit, ut forma producta ex nihilo sui, non sit creata: atqui si ea causalitas sit influxus, reverà addit causæ producenti comprincipium effectivum: quod non tollit rationem creationis. quemadmodum si materia per potentiam obedientialem elevaretur ad creandam simul cum Deo animam rationalem, concursus materiæ non violaret animæ creationem.

Dico 3. Causalitas causæ materialis est ipsa productio formæ materialis recepta in materia,

eique essentialiter affixa ut subiecto præsuppposito.

Hanc explicationem materialis causalitatis eruo ex doctrina Philosophi 1. met. t. c.27. ubi asserit, non formam fieri, sed totum, non figuram statuæ v. g. sed statuam. Ratio est, quia illud dicitur absolutè fieri, ad quod ponendum ultimate tendit actio productiva. atqui actio generativa ultimate intendit totum, non formam, & formam, non nisi in ordine ad totum. ergo totum dicitur fieri primò, per se, & ut quod; forma non nisi secundariò, & ut quo. Hoc igitur habet actio eductiva formæ de sua natura intentiva totius, formam ponere non tam secundum esse, quam secundum inesse. propterea est actio essentialiter affixa, & essentialiter affixiva formæ ad materiam præsuppositam. sequitur autem in hoc termini sui immediati naturam; cum enim materialis forma non sit subsistens, ut forma spiritualis, sed habeat esse in materia immersum, extra quam nec operari, nec esse naturaliter potest, consequens est ut istam, & non aliam actionem petat.

Ex quo habes 1. eductionem, & sustentationem esse unam, eandemque actionem, quæ quidem ut respicit agens, à quo forma producitur cum essentiali præsuppositione materiæ, cui de sua natura addicitur, eductio nuncupatur; ut vero respicit materiam ipsam ad se essentialiter suppositam, ac termini sui receptivam, appellatur sustentatio.

Habes 2. verum, ac reale discrimen inter actionem, quam creativam, & quam eductivam appellamus. differunt ergo istæ actiones tum ratione termini producti, tum ratione modi producendi. Connaturalis enim terminus actionis creativæ est aliquid, cui primò, & per se debetur esse, & operari, aut saltem est fundamentum totius compositi, ad quod ni-

nihil plane præsupponitur. at terminus actionis eductivæ nihil tale habet, sed totum ipsius fieri est alterius fieri, ad quod necessariò ordinatur, modus autem producendi est notabiliter diversus; creativus enim tendit ad ponendum in esse totum effectum suum, cuius scilicet nihil supponit: qui est modus agendi perfectissimus. at eductivus terminum suum ultimò intentum non ponit, nisi ex materia præsupposita, terminum verò intermedium nim. formam non ponit, nisi in materia præsupposita, & hac juvante, eo proportionaliter modo, quo ad aquam trahendam situla juvat; est enim id, non quo aqua trahitur, sed in quo aqua trahitur, & sine quo aqua non trahitur, atque hic modus agendi valde imperfectus est, ac diminutus.

Habes 3. materiam à pura conditione differre; actio enim productiva non pendet à conditione, neque eam immediatè respicit, ut respicit materiam, quam necessariò in priori naturæ supponit. atque hinc ulterius fit, materiam, quæ ad formam materialem se habet, ut causa passiva, ad formam spiritualem se habere ut meram conditionem, sine qua non; quatenus animæ productio est talis, ut vi ipsius anima existere possit separata, sed primo existere illa productio naturaliter non potest, nisi causa prima determinetur à materia organizata.

Habes 4. sustentationem in suo conceptu involvere receptionem, atque adeo causalitatem materialem tenere se intra genus potentiæ passivæ. Prob. sustentare est respicere actionem formæ productivam ut essentialiter sibi affixam, & affixivam formæ sibi ut subiecto præsupposito. atqui hoc est formalissimè recipere in se formam, eique uniri; aliud enim unio, ac receptio non est, quam actuale exercitium determinans potentiam passivam per se indiffe-

rentem, ut coniungatur actu principio formali, cum quo unum per se constituat.

Habes 5. omnem modum unitum subiecto, quod per talem modum non ponatur in esse, essentialiter educi de potentia ejusdem subiecti; adeoque nullum modum posse ne divinitus quidem creari. Ratio ex dictis est; quia omnis modus ita per se affigitur subiecto suo, ut ne divinitus quidem possit ab eo separari. ergo omnis modus essentialiter habet, ut fiat per actionem essentialiter affixam subiecto præsupposito. hoc autem est educi. ergo omnis modus essentialiter habet educi. Qua verò ratione ab hac universalitate excipienda sit actio creativa, suo loco dicam.

Ad 1. in oppositum respondeo non recte dici, animam rationalem contineri in potentia passiva materiæ, quia hæc præcontinentia non solum importat posse recipi: sed etiam non posse non recipi: quod animæ spirituali, ac subsistenti non competit.

Ad 2. nego concursum passivum esse meram receptionem; est enim productio ipsa formæ essentialiter affixa subiecto, atque indigens subjecto, ut explicatum in superioribus est.

Ad 3. illud probat causalitatem materiæ non esse meram receptionem formæ indigentis: quod ultro concedo. ad id, quod additur de anima rationali, quæ fieri non potest, nisi in materia, dictum est illatione tertia.

Ad 4. dico tangi tritissimam difficultatem de discrimine inter formas substantialem, & accidentalem: de qua in metaphysicis. cæterum velle, ut quidquid aliud sustentat, habeat unum rationem per se subsistentis, est non recte usurpare potestatem harum vocum: ut constabit ex dicendis ibidem.

Ad 5. actionem productivam formæ recipi in materia, non est materiam concurrere active ad formam, sed solum passive, non modo re-

cipiendo formam, sed etiam eius productionem; ad quam eo ipso quod præsupponitur, causa est, non tamen eo ipso activa. neque enim est agens, quodcumque habet à se dependentem actionem, sicuti non est videns, quodcumque habeat à se dependentem visionem.

Ad 6. causa materialis extrinseca non est novum genus causæ, sed illud idem, quod à Philosopho traditur, dum dicitur esse, à quo ut inexistente res fit. Sicuti enim agens producens formam, non tam formam, quam totum ponit in esse; ita materia causans formam, non tam formam, quam totum causat. quare, hoc quod causare formam, & causare totum ne ratione quidem separari possunt; hoc enim est formalissimè componere totum, recipere in se formam, eamque sustentare.

Ad 7. resp. 1. rationalem animam in eo casu eductum iri. Resp. 2. eam actionem fore creativam animæ, & eductivam unionis, de cuius essentia infrustrabili est, ut educatur. quare duplex habitudo posset in ea actione considerari; altera quæ animam respicit, & secundum hanc posset fortasse appellari creatio, cum sit productio termini subsistents: altera, quæ respicit unionem subiecto addictam; & secundum hanc debet appellari eductio. Licet autem ex vi h.m. actionis non possit anima existere separata, idest per accidens ad productionem ipsius in quantum talem, ratione scilicet termini adiuncti, & indivisibiliter producti. At vero productio formæ materialis per se, & ratione termini sui materiam necessariò præsupponit. Hæc responsio videtur bona, sed prima est expeditior.

CAPUT II.

De causa formali, ejusque causalitate.

DIco 1. Causa formalis est vera, & propria causa. Prob. vera, & propria causa est, per quam respondetur interroganti, propter quid res est. at interroganti propter quid, seù verius per quid homo v.g. sit rationalis, respondetur per animam; atque ita de reliquis compositis per suam formam. ergo forma est vera causa. Quamquam dum dico veram causam, non intelligo eam, quæ natura prior est effectu suo; cuius constituit proximam, adæquatamque sufficientiam, à qua effectus essentia, & natura distinctus emanat: in quo sensu plerumque nomen causæ usurpatur. sic enim forma causa non est, cum effectum suum ultimo constituat, ac reponat in specie, unde & quidditas compositi nuncupatur. Sumo igitur causam, ut præscindit à naturæ prioritate, & sonat id unum, propter quod aliud est, sive adæquatè, sive inadæquatè distinctum.

Dico 2. Forma constituitur potens causare in actu primo per ipsam suam entitatem actualem, & actuativam materiæ, eiusque ultimo determinativam ad constitutionem talis physicæ speciei. Constituitur verò causans in actu secundo per unionem, & informationem, qua se communicando potentiæ, ac subiecto, transfundit indivisim se, suumque esse composito, quod constituit. Effectus demum primarius, & positivus ab ea causatus est totum constitutum.

Dices. omnis vera causa realis cuiuspiam totius, debet esse causa alicuius partis, at forma nec est causa materiæ, nec unionis. ergo nec totius. Propter hoc argumentum Doctores nonnulli eò confugiunt, ut dicant formam de-

bere

bere esse causam unionis, Equidem respondeo ex dictis, aut maiorem universaliter esse falsam, aut veram solum, si causa partis intelligatur, non quæ prior natura est parte, sed quæ partem facit non simpliciter, sed talem quo pacto verè forma est causa materiæ, quatenùs eam facit non esse, sed esse hominem, leonem &c. Cæterum illud mihi est mirum, quod apud quosdam omnes causæ, ut sint causæ, reducendæ sunt ad efficientem, quasi sola efficiens esset causa. quare & causam materialem explicant per influxum in formam, formalem per influxum in unionem. Profectò etiam dato, quod forma efficeret unionem, non rectè ita explicaretur causalitas formalis, nisi confundendo formationem cum efficientia, & formam cum agente.

Dico 3. Effectus secundarius, & privativus causæ formalis est exclusio formæ incompossibilis, & desitio compositi præcedentis.

Prob. destructio formæ præexistentis non intenditur à natura, nisi per accidens, & secundariò, in quantum scilicet cum nova introducēda, quæ una est de prima naturæ intentione, incompossibilis est. Et quidem formæ universim non se excludunt, nisi in ordine ad subiectum; entia enim subsistentia, & separata quæcumque simul esse possunt in rerum natura. Ex quo fit, ut & forma producta prior sit forma destructa, & unius introductio in subiectum prior sit alterius exclusione. prior, inquam, tum secundum finalem causalitatem, tum etiam secundum efficientem, aut quasi efficientem, quatenùs positio formæ unius in subiecto determinat exigitivè causam ad alterius sive expulsionem, sive destructionem.

Unde ulterius sequitur, hujusmodi effectum secundarium formæ per abusionem appellari formalem; effectus enim formalis propriè dictus est forma indistinctus: quod non accidit in tali effectu divinitus separabili.

C A-

CAPUT III.

Utrum causarum intrinsecarum causalitas, quæ est unio, sit modus secundum rem ab iis distinctus.

§. I.

Ostenditur distinctio unionis à partibus.

HAnc distinctionem asserunt Recentiores nostris communissimè. in hanc ipsam inclinat D. Thom. 3. p. q. 2 ar. 7. ubi ait, quod unio hypostatica est nova relatio non in Deo, sed in natura creata noviter existens, quæque proindè est quiddam creatum, neque probanda interpretatio Cajetani, S. D. loqui de unione, ut sonat relationem, non ut sonat coniunctionem; alienum enim hoc mihi videtur à mente D. Thom. qui quærens, utrum unio hyp. sit aliquid creatum, omninò extrà rem divertisset ad relationem (si hæc distincta est ab unione) nihil prorsus de unione determinans. Eadem vero est ratio de unione hyp. ac de physica inter materiam, & formam. In opposita sententia sunt Nominales (quamvis Gabriel sequutus Ocham, unionem hyp. distinguat, non physicam; qua consequentia, ipsi videant) & Necterici Atomistæ.

Probo igitur ejusmodi distinctionem communi argumento. Impossibile est esse à parte rei materiam, & formam, quin sit à p. r. materia, & forma. Sed possibile est esse à p. r. materiam, & formam, quin eæ sint coniunctæ, ut videre est in anima, & materia D. Petri. ergo materiam, & formam esse coniunctas non est sola materia, & forma. ergo aliquid aliud præter materiam, & formam, quod appello unionem. ultima hæc conseq. prob. (nam cætera con-

constat) ista propositio, unio est sola materia, & forma, est exclusiva, & æquivalet huic exponenti, unio est materia, & forma, & nihil præter materiam, & formam est unio. si hæc ergo exclusiva est falsa, ut concludit prima consequentia, erit falsa non minus exponens; adeoque erit vera ejus contradictoria, aliquid aliud præter materiam, & formam est unio.

Conf. nullum constitutum distingui potest à suis omnibus constitutivis. Vel ergo denominatio uniti dicit constitutivè solam materiam, & formam, vel aliquid prærerea. Secundum est intentum. ex primo sequitur, ut manente materia, & forma, ac non manente unito, maneant omnia constitutiva, & non maneat constitutum: quod cum supponatur à suis constitutivis indistinctum, consequens est, ut idem maneat, & non maneat.

Longissimus essem, si phrases omnes, quas in responsionem congerunt Nominales, in medium afferrem. dicunt unionem esse materiam, & formam non utcumque, sed taliter, h. e. se mutuo respicientes, se seque invicem substantialiter perficientes. Te vero plane perditum, si in animum inducas, ut petas, quid sit materiam, & formam taliter, aliter, noviter se habere, se perficere, &c. illicò enim negabunt suppositum; illud enim taliter se habere non est res, sed modus rei, adeoque non est aliquid, sed alicuius, aut ad aliquid.

Sed contra est primò; quia non peto, quid sit materiam, & formam taliter se habere, sed an per istos terminos importetur aliquid præter materiam, & formam; si enim affirmas, das, quod contendo. si negas, redeo ad idem, & infero; ergo per hos terminos importatur sola materia, & forma; atque adeo impossibile est haberi materiam, & formam, quin taliter se habeant. Atque

que hæc instantia redit ex integro, quæcumque vocabula, & phrases ingerant Nominales de novo, quas proinde in unum omnes sacculum congerit Arriaga, & petit, num iste sacculus importet aliquid præter materiam, & formam, &c. ut prius.

Contrà est 2. quia interrogatio per quid potest accipi in rigore; atque ita est propria substantiæ, quæ una reponitur interroganti, quid est. sed in paulo latiore significatione transfertur ad omnia prædicamenta; singulis enim est sua essentia; & ratio, qua respondetur interroganti, quid sit. Atque hæc est aperta doctrina Phil. 1. Top. cap. 7. ubi post enumerata decem prædicamenta, in singulis ait haberi, quid est, neque vero loquitur tantùm quid nominis, sed etiam quid rei; ut testatur ibi Commentator assignans eius dicti rationem: *quia*, inquit, *singulis prædicamentis insunt definitiones, & propria, & accidentia*: quæ sine dubio pertinent ad quid rei. Ex quo etiam constat, non posse id intelligi de prædicamentis sumptis tantùm concretivè; concreta enim accidentalia, seu denominativa non habent quid rei, sed quid nominis tantùm, ut in Logicis dictum est. Rursus de quolibet termino primæ intentionis triplex quæstio potest institui, quid est secundum nomen, an est, quid est secundum rem. ex his secunda quærit, an terminus supponat: cui si affirmativè respondetur, non rectè interroganti, quid rei est, negatur suppositum, quod fuerat in secunda quæstione concessum. Iam terminus iste unio habet certè quid nominis; cum id commune sit omni termino significativo. Præterea nemo negat dari unionem; adeoque affirmativè respondetur quæstioni, an est, de ipsa institutæ; nunquid enim hic terminus unio abstractivè sumptus chimæricus est, & ita se habet ut hircocervus, qui juxtà Nominales, realia extrema significat, sed chimæricus tamen

est,

est, quia pro nullo supponit, aut potest supponere? quis hoc dicat? Quid est ergò, cur negetur suppositum interroganti, quid rei est unio?

Contra est 3. unio non solum concretivè, sed etiam abstractivè veniens est realis perfectio. ergò est quid. consequentia est evidens; omnis enim realis perfectio est ens, adeoque aliquid prob. antec. materia, sine unione ad formam est imperfecta, quamvis forma sit in rerum natura. ergò est imperfecta, non quia deest forma secundum esse, sed quia deest secundum inesse: nihil autem est imperfectum, nisi desit illi perfectio. Ergò ipsum inesse, quod est unio, perfectio est. Conf. efficacius. sint in rerum natura per miraculum materia, & forma equi separatæ, certè eo ipso imperfectæ sunt: quia contrà naturalem exigentiam existunt. eædem coniungantur; perfectæ eo ipso evadunt, cum existant juxtà exigentiam naturalem. Si ergò complexum ex materia, & forma separatis comparetur cum complexo ex materia, & forma conjunctis, hoc certe reperietur illo perfectius: ex terminis enim est manifestum, quod complexum ex partibus perfectis excedat secundùm perfectionē complexum ex partibus imperfectis. Ulterius. ergò aliquid perfectionis est in complexo ex partibus conjunctis, quod desit complexo ex partibus separatis; impossibile enim item ex terminis est, ut eadem omninò sit in utroque complexo perfectio, & unum sit altero perfectius. Subsumo. sed quod est in uno, & non in alio complexo, non est nisi unio. ergò unio etiam formaliter, & abstractivè sumpta perfectio est.

Conf. perfectio est quodcumque respicitur ab appetitu. atqui universim appetitus, etiam innatus, non solam formam respicit, sed formæ quoque possessionem, quæ est unio. ergò unio etiam formaliter, & abstractivè sumpta

per-

perfectio est. maior est evidens; nam appetitus universim non est, nisi ad bonum, & perfectionem. min. prob. paritate appetitus eliciti, qui non solum respicit bonum suum obiectivum, sed nihilo minus etiam formale, quo illud possidet. Et quidem manifestum videtur, ut bonum, ita & boni possessionem bonam per se, & appetibilem esse, quamvis præscindatur à vitalitate. sic possessio ipsa dominativa villę, domus, &c. bona est, licet vitalis formaliter non sit.

Confirmo ulterius vim argumenti ex doctrina Gabrielis in 3. d. 1. qu. 1. materia, & forma transeunt à non unitis realiter adesse realiter unitas. hoc autem fieri non potest sine nova entitate illis accedente. ergo. min. prob. ex hoc principio: non potest esse transitus realis à contradictorio ad contradictorium absque eo, quod nova entitas jam præsuppositis addatur, aut dematur. quod principium à Gregorio negatum Gabriel ibi putat verissimum; *aliter, inquit, non maneret modus probandi distinctionen quorumcumque per successivam verificationem contradictoriorum de eodem. quomodo enim probaretur, albedinem distingui à subiecto, aut scientiam, aut virtutem, aut charitatem?* Quod ipsum evidentius apparet in motu progressivo animalis, qui aut ponitur distinctus à mobili; & jam non video, qua cohærentia negentur distincti reliqui motus locales, & reliqui modi: aut ponitur à mobili indistinctus; & non video, qua cohęrentia distinguantur deinde à principio reliqui actus vitales. Nec juvat respondere, motum progressivum vitalem, & ab intrinseco, habere aliquid speciale, cur distinguatur à mobili, vitalitatem scilicet ipsam, quæ perfectio absoluta est, & separabilis. Non enim intelligo, quid conferat ad distinctionem vitalitas, quæ quidem falsissimum est, quod sit in actu perfectio absoluta: non

enim

enim importat aliud, quam quod sit motus à se in se, quæ duo non sunt, nisi actio, & passio ad idem necessariò ordinatæ. Itaque motus progressivus vitalis hæc tria importat, lationem, actionem, & passionem: atqui juxta Nominales hæc tria seorsim distincta non sunt. ergo neque coniunctim; si enim ordo distinctus per se non est, quantumcumque ordinem multiplices, distinctionem non habebis. nec juvat, si urgeas, assignandum esse terminum actionis, & unionis; facilè enim assignabitur motus ipse. quare actio erit non productiva, sed adductiva; quemadmodum per Nominales actio generativa hominis, actio est, & nihil producit, sed solum coniungit. Unio item nec rigorosa esse debet, sed satis erit, si mobile per suam virtutem vitalem seipsum promoveat ad suum motum, quemadmodum grave per virtutem suam naturalem se ipsum impellit deorsum, seù verius impellitur à generante: & per hoc dicitur suum motum in se habere. Sic etiam Deus ipse vivere dicitur per suam perfectionem à se in se absque actione, & unione rigorosis.

Ex hoc multò cohærentius videtur philosophari Magnanus, qui omnem actum vitæ distinctum eliminat, quam Nominales, qui modos distinctos negāt; operationes vitales distinctas admittunt. quamquam Magnanus non minus fortiter aliundè urgeatur; quia indè fieret, ad novas denominationes calidi, lucidi, &c. non esse opus accessu novæ substantię, qualem ipse statuit lucē, calorem, &c. sed satis esset substantia prior aliter se habens, quāvis aliud de novo nihil acquirat.

Confirmo hoc idem prætereà ex alio principio Ochami apud eundem Gabrielem. omnis denominatio nihil importans præter denominata, eorumque existentiam, si convenit alicui respectu unius individui, convenit ei respectu cuiuscumque individui eiusdem rationis. sic in exemplo: si similitudo inter alba

nihil

nihil est præter alba, si album A est simile albo B, est simile omni albo. Si binarius nihil est præter duas unitates, si unitas A facit binarium cum unitate B, facit binarium cum quacumque unitate. Atqui materiam uniri formæ nihil est præter materiam, & formam. ergò materia de facto unitur cuilibet formæ.

Aliæ sunt ad positum argumentum responsiones, quæ facilius reiiciuntur, ut quod ad denominationem uniti requiratur præter materiam, & formam intima localis præsentia ex parte utriusque, dispositiones omnes ex parte materiæ, cum remotione omnis impedimenti, &c. Sed jam habemus præcipuum intentum, solam materiam, & formam ad uniti denominationem non satis esse; sed requiri prætereà aliquid aliud. Jam vero hoc aliud, quod est sine dubio de constitutione totius, probabimus infrà debere esse substantiale: quod neque locali præsentiæ, neque dispositionibus contingit. Quod vero attinet ad impedimenti remotionem, manifestum est non esse impedimentum alicujus constituti, nisi quod tollit aliquod constitutivum; neque enim potest tolli, & impediri constitutum, nisi sublato, & impedito aliquo ex constitutivis, ut constat ex dictis. itaque prius debet videri, per quid denominatio uniti constituitur, ut deindè appareat, quod sit ejus denominationis impedimentum: prius autem debet sciri, quid sit impedimentum, ut sciatur, quid sit negatio impedimenti. ergò prius debet constitui denominatio uniti; ut hinc constet, quæ sit negatio impedimenti.

§. II.

§. I I.

Opposita argumenta soluuntur.

OBiic. 1. Aristotelem 8. met. t. 16. ubi antiquos reprehendit, quod inter potentiam, & actum distinctum nexum ponebant; traditque rationem erroris, *quia*, inquiens, *potentia, & actus rationem quærunt unientem*. & D. Th. ibidem, *nihil est*, ait *faciens unum ex materia; & forma, nisi agens, quod movet potentiam ad actum*,

Sed Philosophus ibi non negat exercitium distinctum, quo potentia, & actus se invicem perficiunt, sed negat hanc esse causam unius per se, pro qua scilicet recurrendum non est; nisi ad rationes ipsas actus, & potentiæ invicem proportionatas. quare ad hoc non est ponendum medium aptans mutuò partes, ut possint componi. Eadem est D. Th. mens. & quidem dum ait, faciens unum esse agens, manifestè loquitur de eo, quod facit unum extrinsecè, non formaliter.

Obiic. 2. Forma est per se proportionata ad uniri materiæ; est enim essentialiter actus materiæ. quare non indiget forma uniente, sed agente dumtaxat applicante. & Conf. quia principium *quo* non eget alio principio *quo*; aliter esset progredi in infinitum. ac forma actuat materiam per modum principii *quo*. ergò non indiget superaddita unione, quæ item se habeat ut *quo*.

Forma per se habet, ut possit coniungi materiæ; & in hoc habet cum ea proportionem, nec indiget medio proportionante. at per se non habet formaliter, ut sit illi unita aliter esset illi unita inseparabiliter, quia per essentiam Hoc ergò facit agens, dum formam materiæ applicat, ponere scilicet inter eas unionem, quæ

quidem non est medium, sed ipsa immediatio formæ ad materiam; & est exercitium illius actualitatis, & proportionis, quæ est in forma ratio actus non secundi, sed primi.

Ad conf. ad informandum forma non est principium *quo*, sed *quod*; aliter assignandum esset id, quod informat. Rursus unio non est principium, sed exercitium informandi.

Obiic. 3. Non est formaliter idem, materiam perfici à forma, ac materiam uniri formæ unione distincta; secundum enim est dubitabile, non primum: Explicetur ergo, quid sit primum: & quodcumque dicetur, illud explicando, satis erit ad conceptum unionis inter materiam, & formam, absque recursu ad modum superadditum.

Resp. illud primum explicari non aliter, quam per secundum; ut superiore §. probatum est. quod autem unum sit dubitabile, non aliud, evincit solum distinctionem aliquam rationis, nec vero perfectam, sed imperfectam, qualis intercedit inter definitionem, & definitum, quod per definitionem explicatur.

Obiic. 4. nihil esse potest in materia prius, & immediatius forma. at si nexus iste distinctus esset, prius, & immediatius materiam efficeret. ergò nexus iste distinctus non est.

Unio non est prior forma ullo genere realis prioritatis; neque enim est ullatenus causa formæ, quamvis, ut mox dicam, sit ipsa actio eductiva formæ. Rursus nec afficit materiam immediatius; est enim illud exercitium, quo forma immediatè, per se, & ut quod materiam actuat: & totum ipsius esse in hoc uno consummatur, ut sit perficiendi, & informandi actus.

CAPUT IV.

Natura substantialis unionis explicatur.

TRia sunt de physica unione in hoc capite determinanda, ut plene ejus natura, & indoles teneatur. 1. an sit modus intransitive substantialis. 2. sitne una, an multiplex. 3. an sit ab eductiva actione distincta.

§. I.

Unio physica est modus intransitivè substantialis.

UNionem esse modum non difficile prob. id enim modus sonat, imperfectam entitatem, quæ tota sit actuale exercitium, & determinatio potentiæ indifferentis ad opposita: ex quo habeat modus essentialem addictionem subiecto, cuius est modus, & sit ab eo proinde per omnem potentiam inseparabilis. Hæc autem omnia unioni competunt, cuius scilicet esse universum in hoc uno absolvitur, ut partes ad uniri, & non uniri indifferentes ità determinet ad uniri, ut stante ipsa, impossibile sit compositum non haberi.

Porrò talem modum non solum extrinsecè, & transitivè esse substantialem, quatenus est nexus partium substantialium, & per meram extrinsecam denominationem à substantialibus extremis, ut dicitur substantialis actio productiva substantiæ: sed etiam esse substantialem intrinsece, entitativè, & intransitive, ut est substantialis materia, & forma, sic probo.

Quodcumque ingreditur constitutivè substantiam, substantiale intransitive esse debet. Unio ingreditur constitutivè compositum sub-

stantiale. ergo. maior patet ex conceptu accidentis; cuius est scilicet sequi primam rem constitutam, nec esse de primo eius conceptu, ut declarabitur in metaphysicis. prob. minor. Illud est rei constitutivum, quo præcisè sublato, cæteris licet manentibus, res aufertur. quod principium quamvis à Nominalibus negatum, mihi tamen est manifestum; cum enim constitutum non sit reipsa ab omnibus suis constitutivis distinctum, si omnia constitutiva maneant, contradictio est in terminis non manere constitutum. si ergo A sublato, & reliquis perseverantibus, constitutum non superest, præcisè per sublationem A aliquod ex constitutivis aufertur; atqueadeo A est constitutivum. Atqui præcisè sublata unione inter physicas partes, compositum naturale superesse non potest, ut constat. ergo unio est de constitutione naturalis compositi.

Obiic. 1. nullus modus potest esse intrinsecè substantia. unio est modus, ergo non est intrinsecè substantia. maior prob. accidentis est proprium inhærere. omnis autem modus inhæret. ergo omnis modus est accidens, adeoque nullus modus est substantia.

Nego maiorem, & minorem probationis. Recipitur quidem in subiecto, & ab eo sustentatur unio; non tamen inhæret; si enim hoc satis esset ad inhærendum, forma etiam substantialis inhæreret. inhærere igitur, ut est proprium accidentis, est advenire naturæ jam completæ, & perfectæ in ratione primi operationum principii: quod quia nec formæ, nec unioni competit, neutra inhæret; neutra est accidens.

Obiic. 2. Quamvis compositum sit res, potest constitui per unionem, quæ est modus. ergo quamvis sit substantia, potest componi per unionem, quæ sit accidens.

Non omne prædicatum, quod convenit toti, de-

debet universim dici de partibus; nam totum est substantia simpliciter, & per se subsistens, est compositum ex potentia, & actu &c. & nullum tamen ex his praedicatis ad partes. male ergo probaremus ex hoc capite unionem substantialem; sicuti male probaremus materiam esse intellectivam, quia homo est intellectivus, & animam esse corpus, quia homo est corpus, & unionem esse rem, quia homo est res. vis facti argumenti in eo est tota, quod nullum accidens potest constituere substantiam: & hoc probat ex ipsa notione substantiae, & accidentis.

§. II.

Unica est in composito unio.

Ratio est; quia unica sufficit. aut enim duplex requiritur ad uniendum, aut ad perficiendum utrumque extremum. non hoc secundum; extrema enim physica se ipsis mutuo perficiuntur, neque indigent unione, ut perfectivo, sed ut mero exercitio mutuae perfectibilitatis. non primum; per illud enim intelligitur unita materia cum forma, & è contrario, per quod intelligitur ablata à partibus omnis indifferentia, quam per se habent, ut faciant, aut non faciant unum. atqui huius indifferentiae ablatio unica unione praestatur; posita enim unione materiae ad formam, non potest forma eo ipso non esse unita materiae; quia nihil potest intelligi unitũ illi, quod sit realiter ab ipso divisum. Conf. omnis unio facit unum. ergo unio materiae ad formam facit, ut materia, & forma sint unum. quare alia unio superaddita actũ agit, & est naturaliter saltem impossibilis

Ob. 1. potest esse connexio non mutua, qualis de facto intercedit inter creaturam, & Deum, scientiam, & scibile, modum, & rem. atqui

unio connexio quædam est. ergo non omnis unio est eo ipso mutua; adeoque ut sit mutua, potest quandoque requiri altera.

Sed quàm est certum dari connexionem non mutuam, tàm est certum repugnare in suis terminis unionem non mutuam; quare hoc unioni repugnat non ex genere connexionis, sed ex propria ratione unionis, quæ scilicet habet duo coniungere in aliquam totius unitatem. Profecto intelligi non potest materiam facere unum actu cum forma, atque esse cum illa in unitate naturæ coniunctam, quin forma intelligatur facere unum cum materia.

Obiic. 2. Unica unio aut reciperetur in sola materia, aut in sola forma, aut in utraque. ex his nullum recte potest dici. non primum; tum quia non maior est ratio, cur item recipi non debeat in forma, quæ non minus est per unionem perfectibilis. tum quia unio est vinculum duorum. ergo non est in uno ad aliud, sed in duobus. tùm demum quia id videtur esse proprium unionis hypostaticæ, quæ quia humanitatē Verbo coniungit incapaci formæ intrinsecè receptæ, consequens est ut in sola humanitate sit, ut in subiecto: Verbum vero respiciat, ut merum terminum. at physica unio utrumque extremum respicit ut perfectibile. ergo in utroque debet recipi.

Nec potest dici secundum. tum propterea, quod non est ratio, cur non debeat recipi in materia, tum propterea, quod forma hominis est intrinsecè spiritualis, nec capax unionis materialis, qualis esse debet unio, quæ efficienter procedit à seminali virtute materiali. Nec potest dici tertium; vel enim in homine unica unio est materialis, & non potest recipi in anima: vel est spiritualis, & non potest recipi in corpore. Deindè nulla entitas modalis potest esse intrinseca duplici modificato. sic duplex quantitas non recipit unam figuram, nec duplex

mo-

mobile unicum motum, nec duplex passum unicam actionem. ergo nec duplex pars unicam unionem.

Hæc est tota ferme supellex adversariorum: pro qua diruenda multa possent dici, cum etiam in eo, in quo verum dicit, non rectè probet. Sed missis inutilibus speculationibus, respondeo ad argumentum accipiendo primum membrum divisionis de receptione unionis in sola materia. ad primam ejus improbationem dico, maiorem rationem extituram ex dicendis de identitate unionis cum actione eductiva, quæ quidem in solo passo recipi potest. in homine autem, in quo actio eductiva formæ nulla est, est actio productiva unionis, cui idem substratum scilicet præsupponitur, quod est substratum generationis, & transmutationis: ex quo uno, & nullatenus ex forma agit naturale agens. Ad secundam, esse vinculum duorum non involvit recipi in duobus: nam unio hypostatica vinculum est Humanitatis, & Verbi, nec nisi in Humanitate recipitur. Ad tertiam: non est opus assignato discrimine, ut hyp. unio à physica intelligatur differre; nam hypostatica unio non conjungit in ratione naturæ, quod facit physica, sed personæ; & illa intercedit inter extrema non se mutuo perficientia, ut intercedit hæc.

Obiic. 3. Partes continui duplici unione continuativa invicem copulantur. ergo etiam materia, & forma.

Nego conseq. & paritatem. duplex unio in partibus integralibus non ponitur ad uniendum, sed ad perficiendum, ut in loco declarabitur.

§. III.

Unio formæ materialis non est ab eiusdem eductione distincta.

IN oppositam huic, quam tuendam propono, sententiam discedunt Recentiores nostri communiter his præcipuè moti argumentis 1. Forma se habet active ad sui communicationem, & unionem cum materia. sed certe non se habet active ad sui productionem. ergo unio ab eductione distinguitur. maior prob. ex communi modo loquendi, quo anima dicitur animare, vegetare, vivificare corpus, & omnis forma dicitur informare: quæ verba utpote activa actionem formæ significant.

2. Omnis causalitas est in posteriori ad suam causam; ab ea enim profluit, & sequitur ipsius esse. at unio est causalitas formæ. ergo est forma posterior. sed eductio non potest esse posterior forma. ergo eductio non est unio.

3. Unio manet, quamdiù manet compositum: eductio cessat eo ipso, quod causa secunda generans, cui ea essentialiter affigitur, non amplius influit, sed conservatur genitum à sola causa prima. ergo non eadem est eductioni unio.

4. Potest Deus se solo conservare eundem numero ignem, quem producit, aut conservat simul cum alio igne: hoc autem non posset, si unio esset eductio, quæ, variata utcumque causa sua, eadem perseverare nullatenus potest; in quo casu variatur, totum cuius est unio constitutiva.

5. Unio physica est intrinsecè substantialis. at eductio, ut quælibet alia actio est intrinsecè accidentalis, cum constituat speciale prædicamentum accidentale.

Conf-

Conf. Productio quamvis sit id, sine quo effectus non est, non tamen est id, quo formaliter effectus est; ut patet in Angeli, aut accidentis productione. Unio autem est id, quo formaliter substantia composita est.

6. Actio productiva cuiuslibet modi est à modo distincta nihilo minus, ac duratio eiusdem, & ubicatio. at modus quilibet cum indifferenter non respiciat hoc, illudve subiectum, sed huic determinato addicatur, est per se illi consequenter unitus. ergo in modis aliud est unio, aliud eductio; atque adeo idem dici potest in formis absolutis.

Persto tamen adhuc in proposito cum Suar. *in metaph. disp.* 13. *sec.* 9. n. 10. & 11. illudque sic probo. Eductio est talis actio, qua posita, forma non est amplius indifferens, ut uniatur, nec ne materiæ; sed huic illico addicitur, & fit intima, ut constat ex dictis suprà de conceptu eductionis. ergo eductio est ipsissima unio formæ cum materia. conseq. prob. 1. quia non alia ratione unionem distinguimus à materia, & forma, nisi ut tollatur ab his indifferentia, & salvetur transitus realis ab uno in aliud contradictorium. cum ergo, stante eductione, indifferentia non sit, & satis per eductionem ipsam transitus habeatur; non est, cur modus unionis statuatur ab eductione distinctus. 2. conceptus unionis est intimare, connectere, & affigere invicem partes, ut suas mutuo perfectiones sibi communicent, totumque componant. Atqui hic ipse est actionis eductivæ conceptus. ergo.

Ex his apparet occupatum jam esse adversariorum effugium, eductionem scilicet esse unionem non formaliter, sed efficienter, seù unitionem potius, quam unionem. Et quidem quod per se formam materiæ affigit non est unitio, sed unio, at eductio formaliter per se ipsam affigit ma-

teriæ formam. igitur unio est, non unitio.

Ad 1. in oppositum nego maiorem; ad cujus probationem dico eos esse loquendi modos improprios; dicimus enim materiam etiam recipere: quod est verbum activum, nec ullam physicam actionem significat. sed anima tamen ut informet sine efficientia, non vivificat sine efficientia; vivificatio enim sonat sæpe actum secundum vitæ, ad quem anima comparatur ut agens.

Ad 2. jam est superius insinuatum causam formalem non esse causam per naturæ prioritatem, sed per meram sui collationem in constitutionem totius; unde est id, propter quod totum est: ad hoc autem nihil est opus dependentia unionis à forma.

Ad 3. nullum omninò est absurdum, ut quemadmodum ad variationem causæ variatur eductio, ita & varietur unio ab eductione indistincta.

Ad 4. potest primò negari assumptum. potest deindè negari minor; etenim unio constituit quidem compositum, non tamen significatur in recto, sed in obliquo. at vero identitas, aut multiplicitas concreti non desumitur ab obliquo, ut in logicis dictum est, sed à solo recto; hinc album, & dulce & numero, & specie idem esse possunt, si idem sit numero, aut specie subiectum in recto importatum, quamvis albedo, & dulcedo numero, & specie distinguantur.

Ad 5. eductio formæ substantialis cum eadem sit unioni substantiali, est etiam intransitivè substantialis. quod autem opponitur de prædicamento accidentali actionis; in quo est eductio, dico illud militare adversus unionem ab eductione distinctam, quæ est in prædicamento relationis. Confirmatio probat eductionem non esse de constitutione compositi in quantum præcisè est actio; est tamen

men de compositi constitutione, ut est eductio, & unio.

Ad 6. nego maiorem; omnis enim eductio est unio eius, cuius est eductio, cum subiecto, ex quo educitur; ut probatum hactenus est. ex quo sic arguo: assumendo minorem argumenti. Unio modi non distinguitur à modo atqui eductio modi est unio modi. ergo eductio modi non distinguitur à modo. Arguere autem, quod similiter dici posset; modum per se ubicari, & durare, est deducere ad impossibile disparatum.

CAPUT V.

Num effectus causarum intrinsecarum sit realiter ab ipsis distinctus adæquate venientibus, & unitis.

§. I.

Status, & resolutio quæstionis.

De causarum intrinsecarum effectu, qui est totum ipsum naturale compositum, illud est in præsenti quærendum, quod est in scholis multùm celebre, an sit scilicet tertia quædam entitas realiter à suis partibus distincta unitis, collectimque sumptis. In qua re multi licet, magnique nominis Philosophi affirmativam partem sint sequuti. inter quos Scotistæ passim, & ex Thomistis Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, & Javellus, persuadere mihi sane unquam non potui sententiæ huius probabilitatem.

Dico igitur, totum physicum substantiale nulla reali distinctione secerni à partibus suis copulatim venientibus, & unitis. Ita D. Thom. apud Suarium met. disp.36. sec.3. num.6. nec Scotus omninò dissentit; quamvis enim op-

positum statuat in 3. sent. primò tamen phys. q.9. ponit, & multis probat istam conclusionem, *Totum est sua partes*. & quia, ut notat Baro 1. phys. Apol. 9. act. 1. scripsit Doctor subtilis Commentarios in physicam post sententias; has enim Parisiis, illos Oxonii in Anglia dictavit, videtur distinctionem totius retractasse.

Prob. neque enim distinguitur inadæquatè, nec adæquatè, igitur nullo modo. prob. prima pars anteced. distinctio inadæquata adæquatam supponit, in eaque fundatur; imò vero ea ipsa est; quod enim inadæquatè distinguitur ab alio, ut totum à parte, & includens ab incluso, ideo sic distinguitur, quia includit realiter duo adæquatè distincta, à quorum altero inadæquatè distinguitur propter alterius inclusionem, ut videre est in numero binario inadæquatè ab una unitate distincto per hoc, quod alteram includit. Quo posito, sic arguo; Sit totum A, & partes B C. si ergo A distinguitur inadæquate à B C. simul sumptis, involuit ex dictis aliquid adæquate distinctum à partibus B C. Jam peto quid sit illud tertium, totum nè, an pars: si totum jam non solum inadæquate, verum etiam adæquatè distinguitur à suis partibus. Si pars; jam aliqua pars totius adæquatè distinguitur ab omnibus partibus: quod est ridiculum, & implicatorium. Neque dicas esse totalitatem: redit enim argumentum; quia vel totalitas ista comparatur cum toto, ut figura cum statua, & pars formalis essentiæ cum essentia: & sic erit pars. vel est tota adæquata essentia, & natura totius, qualis est humanitas, equinitas, &c. atque ista est totum, de quo in præsenti; neque enim hic nomen totius physici suppositum intelligimus.

Probo alteram partem antec. non potest fingi totum compositum, quod in sua quidditate,

& substantia partes ipsas componentes nullatenus includat; si enim à sua natura partes excludat, compositum non est, sed simplex; nec fert natura physica, & realis, quod una patiatur præcisio metaphysica, ut partes neque includat, neque excludat. Rursus intelligi non potest adæquatam distinctionem, quæ est exclusio entitativa prædicatorum unius à prædicatis alterius, secum compati entitativam, & physicam inclusionem unius in altero. Conf. petendo ab adversariis, quid sit partes includi in toto, ejusque essentia, à qua realiter adæquate distinguuntur? an est partes esse penetratas cum toto? an esse intimas, & fere cum toto unitas? hoc certe pacto se invicem partes ipsæ respiciunt, nec tamen una includitur entitativè in altera. an est totum non posse esse sine partibus? at id ipsum convenit unioni, quæ non potest esse sine extremis, nec propterea includitur in extremis. Nihil præterea videtur posse dici in explicatione huius inclusionis, quod non sit petitio principii, nisi id unum tandem dicatur, eam esse ipsissimam identitatem aut adæquatam, aut inadæquatam.

Conf. iterum; ut enim ab adversario fingitur distinctio adæquata cum inclusione entitativa, & quidditativa distinctorum, hoc est revera distinctio cum identitate; quid ni licebit pariter fingere identitatem cum exclusione entitativa identificatorum, hoc est revera identitatem cum distinctione.

Prob. præterea conclusio. Principium adæquatum naturalium operationum non potest distingui à materia, & forma simul sumptis, & unitis. totum physicum est principium adæquatum, ergo, &c. maior prob. materia, & forma seiunctim sunt principia inadæquata motus, illa passivum, & indifferens, hæc activum, & determinatum. quare per hoc præcisè, quod coniungantur intelligitur completum, principium

motus, conflatum scilicet ex passivo, & activo: cui proinde nihil deest ad perfectam principii rationem. Profectò inauditum est, ut quod est per se principium operationis, inadæquatum tamen, & insufficiens, aliter evadat sufficiens, & adæquatum, quam per additionem meram partis suppletivæ defectus. sic intellectus per se non sufficiens, nisi ex parte, ad productionem cognitionis, si id unum intelligas, addi speciem intelligibilem insufficientię completivam, eo ipso intelligis esse principium adæquatum intelligendi. quod si intellectus, & species transirent in tertium, non essent ipsa per se principia inadæquata notitiæ. Idem omninò valet in principiis activo, & passivo motus, quæ propterea dicuntur seminaturæ, quod simul conjuncta sint integra natura; quid enim evidentius, ac certius, quam duo dimidia in una aliqua ratione, si copulentur, esse unum totum in illa ipsa ratione?

Explicatur, & conf. id ipsum in homine, posito corpore, & anima unitis, & quocunque alio secluso, intelligitur homo; quid enim sit homo, præter principium sentiendi, & discurrendi? atqui si anima sit corpori conjuncta, jam habetur vis discurrendi cum dependentia à phantasmate, & agendi reliquas operationes tum sensitivas, tum vegetativas, quarum est sufficiens principium activum anima, sufficiens passivum corpus. Adde, quod homo, ab anima, & corpore distinctus materialis esset sine dubio, adeoque imperfectior anima spirituali. quid autem absurdius, quam totum imperfectius parte? Rursus illud tertium non esset homo, quia non principium discurrendi; materiale enim discurrere non potest. neque dicas, esse principium discurrendi solum radicale; nam perfectius hoc est principio dumtaxat formali, quod illi servit, & subordinatur. si ergo principium discurrendi formale res adæquatè ma-

terialis esse non potest, multo minus radicale.

Ex his reiecta manet imaginatio Patris Vasq. t.1. in 3. p.disp.19.nu.28. putantis nescio quod distinctum esse substantiale à forma derivari in materiam; quamvis neget à formis accidentalibus esse aliquod accidentale specialiter subiecto communicari. Etenim primò tale esse est omninò otiosum. Deindè effectum formæ à forma distinguit, perindè ut effectum ab agente. Neque verò cohærenter id negat formæ accidentali, quæ non minus videtur posse in suo genere, quam forma substantialis in suo. Postremo qua ratione illud esse derivatum se ipso substantialiter materiam perficit, ne procedatur in infinitum; item forma per suum ipsum substantiale esse.

Reiecta rursus manet intollerabilis opinio Lyncei totum ita à suis partibus distinguentis, ut illud etiam separabile asseveret. Quamquam re ipsa hic author nihil de suo in hac novitate afferat præter abusum vocabulorum; totius enim nomine solam subsistentiam intelligit, quam positivam substantiam, & separabilem à natura contendit. sed hoc est quæstionem præsentem in terminis ab authoribus usurpatis non tractare, sed ad alia digredi, & ad libitum loqui, certe enim hominis subsistentiam ab eius natura seiunctam hominem appellare, cum sentire possit, & discurrere perindè ut quicumque lapis, ferenda non est nominis acceptio à communi omnium usurpatione discedans.

Quæres, an aliqua saltem rationis distinctione totum à suis partibus simul sumptis distinguatur? Respon. distingui distinctione rationis impropria, seu non explicationis, ut distinguitur definitio à definito. alius ergo est conceptus, qui subest huic voci *homo*: alius qui subest his vocibus; *anima & corpus unita*. sed hic posterior explicat priorem.

Ex

Ex hoc fit, ut rectè homo dicatur componi ex anima, & corpore, quamvis in re nihil sit pręter animam, & corpus, ut recte dicitur componi metaphysicè ex animali, & rationali, quamvis formaliter nihil sit præter animal rationale. Ratio est; quia possunt partes bifariam considerari, & secundum suam entitatem absolutam, & secundum habitudinem mutuam, qua & forma fit materiæ, & materia formæ per mutuam communicationem sui esse suarumque perfectionum. Primo modo consideratæ explicantur per nomen partis. secunda consideratio tribuit iisdem nomen totius. quare anima, & corpus sic accepta non sunt anima, & corpus, sed homo, qui est habens animam, & corpus, ex iisque compositus. hinc homo realiter indistinctus ab anima, & corpore, formaliter, & metaphysicè non anima, & corpus, sed animal rationale dicitur, in qua definitione eædem partes veniunt in recto, in quantum accipiuntur impermixtim, ut mutuò suum sibi esse communicant, atque una quodammodo transit in aliam. eædem veniunt in obliquo, in quantum considerantur absolutè, & secundum perfectiones non permixtas.

§. II.

Fit satis contrariis obiectionibus.

OBiic. 1. Omnis causa distinguitur realiter à suo effectu. partes etiam ut unitæ sunt causa totius. ergo sic etiam ab eo distinguuntur min. est certa, quia partes non causant actu totum, nisi sint unitæ.

Maior si intelligatur de distinctione adæquata, aut inadæquata, est vera: secus si limitetur ad adæquatam. causæ enim intrinsecæ, & intrantes essentiam constituti non possunt ab eo adæquatè distingui. Tum nego minorem; par-

partes enim etiam ut unitæ non sunt causa, sed causæ totius; quia dum illis tribuitur nomen causæ in singulari, debent accipi per modum unius, quo pacto sunt non causa, sed causatum. Ex ipsa autem ratione diversa, modoque vario causandi causæ intrinsecæ, & extrinsecę constat, causas extrinsecas per modum unius acceptas adhuc retinere nomen, & rationem causæ: secus intrinsecas, quæ scilicet causant non dando alteri esse à suo distinctum, sed conferendo in totius compositionem suum ipsum esse. Quod ut evidenter intelligas, cogita rationem causæ intrinsecæ coincidere omninò cum ratione partis. quare ut est impossibile, ut partes unitæ sint pars totius, ita est impossibile, ut sint causa totius.

Obiic. 2. si homo non esset tertia entitas, homo ab homine non numero solum, sed etiam specie distingueretur. quodcumque enim involvit constitutivè A specie distinctum à B alterius constitutivo, specie ab altero distinguitur. atqui unum complexum materiæ, animæ, & unionis involvit constitutivè unionem, quæ in distinctis numero extremis propter essentialem additionem specie distinguitur. ergo unum complexum ab altero specie distinguitur. si igitur homo nihil est præter hoc complexum, homo ab homine distinguitur specie.

Principio, ut vides, argumentum probat hominem per unionem non constitui, & eodem pacto nec constitui per materiam, & animam. Deindè resp. ex dictis §. 3. c. superioris in resp. ad 4. unionem non distinguere complexum à complexo, nisi in significatione complexi importetur in recto. atqui complexum ex anima, & corpore ut significatur per vocem *homo* non dicit in recto, sed solùm in obliquo unionem. ergo homo ab homine non specie, sed numero distinguitur. min. prob. quia per nomen *homo* explicatur in recto, quod habet rationem naturæ;

turæ; quæ unioni non convenit.

Obiic. 3. totum physicum est per se unum, & unica definitione definibile. non ergo est in recto suæ partes; aliter non differret ab uno per accidens, & per aggregationem, quod quia plura in recto est, nec unum per se, nec unum definibile est.

Totum physicum non est unum per se unitate simpliciter dicta, & sine addito, quale unum est Deus, & Angelus; sed est unum cum addito. h. e. unum compositum, & unum hoc aliquid ut autem unicam definitionem subeat, non est opus, ut plura definiibilia non sit; aliter animal unum definibile non esset, quia dicit in recto omnes species sub ipso contentas; sed est satis, si possint illa plura sub unica ratione confundi, quæ sit ulterius explicabilis per communem, & propriam rationem. sic quia materia, & forma, quamvis seorsim suæ quæque definitionis capaces, possunt confundi sub una ratione humanitatis; possunt consequenter definiri per principium sentiendi, & discurrendi, quod utrique suo modo competit. atque hoc est posse unicam definitionem accipere. idem dic etiam de aggregato; nam & civitas, & populus, & exercitus possunt unica definitione explicari. quamquam sit in toto physico aliquid plus unitatis, quam in mero aggregato, in quo partes sunt plura hæc aliqua, nec nisi per accidens mutuo colligantur; cum partes naturalis compositi sint unum hoc aliquid, & partes per se unitę sine propter naturalem habitudinem potentiæ ad actum.

Obiic. 4. Multa dicuntur de toto, quæ non de partibus. nam 1. totum generatur, non partes, quæ in homine ingenerabiles sunt. 2. operationes competunt toti, non partibus; homo enim est, qui sedet, qui ambulat, qui loquitur, non anima, non materia,

Resp. quidquid dicitur de toto, dici de partibus

tibus non distributivè, sed simul sumptis. quare licet partes seorsim generabiles non sint, sunt tamen generabiles coniunctim, quatenus vi agentis generativi, quamvis non accipiant esse simpliciter, accipiunt esse hominem per mutuam unionem ab eo positam. Rursus proprietates, & operationes sunt totius, hoc est partium collectim venientium, & non earundem seorsim acceptarum.

QUÆSTIO QUARTA

De causa efficiente.

CAPUT I.

Quid sit, & quotuplex causa efficiens.

PHilosophus 2. phys. t. 29. efficientem causam sic definit, *Est id, unde principium mutationis primum, aut quietis*, quod idem repetit in metaphysicis, & ubicumque causam efficientem vult explicare. Ut ergo planior fiat definitionis huiusce sensus, proponam prius quæ contra ipsam obiici possunt.

Videtur igitur 1. definiri natura potius, quam causa. 2. à fortiori esse motus principium primum competit fini, qui est scilicet causa causarum, & movet ipsum agens ad operandum. 3. principium primum motus in rigore est sola causa prima increata, cuius motio supponitur ad omnem motionem causæ secundæ creatæ: & sola causa principalis, cuius motio præit motionem instrumenti. 4. videtur ab hac definitione efficientis excludi causa prima, cujus propria actio est creatio, quæ motus

motus non est. 5. demum definitur efficiens per principium motus: motus autem idem est, ac actio,, seù effectio. definire autem agens per principium actionis, & efficiens per principium effectionis, est nugari, & explicare per ignotum; qui enim agens quid sit, ignorat, ignorat etiam quid sit actio.

Sed his non obstantibus, optima est tradita efficientis causæ definitio. Primò enim per *id, unde* affertur genus, in quo reliquę causæ cum efficiente conveniunt. 2. esse primum motus principium continet ultimam differentiam efficientis. Sensus autem est; quod cum efficientis sit proprium agere, in quantum est actu, adeoque ut præcontinet realiter perfectiones in effectum transfundendas; consequens est, ut sua actualitate, ac perfectione determinet actionem effectus productivam. Per quod differt primò à fine, qui licet præeat motione sua intentionali realem efficientiam, non tamen id habet propter perfectionem actu in se realiter contentam: quod aliis alii verbis dicunt, efficiens esse primũ in executione, finem verò primum in intentione. Differt secundò à materia; hæc enim non determinat agens, sed ab eo potius determinatur. quare appellatur passum, & subjectum; quia scilicet non movet, sed movetur, & actioni dominativæ agentis subiicitur. Differt tertiò à natura; hæc enim est principium motus ejus, in quo est. at causa efficiens latius patet, motumque in aliis etiam potest causare.

Per quæ patet ad primum, & secundum, quod in contrarium obiiciebatur. Ad 3. dic rationem primi in causæ efficientis definitione expressam non importare primitatem simpliciter, sed in suo ordine, & relate ad actionem, & effectum. atqui & causa secunda, & causa instrumentalis primitate aliqua in sua linea fruuntur comparative saltem ad reliqua tria causarum genera. Ad 4 vel dic ab Aristotele definitam solam causam

gene-

generativam: vel nomine motus ampliato comprehendi etiam posse creationem. Ad 5. rudis aliqua notio actionis, & affectionis est unicuique per naturale lumen indita: potuit ergò Philosophus per ordinem ad hanc agens physicum explicare, declarando præcipuum munus, quod circa eam exercet.

Post hæc divisiones efficientis causæ ab authoribus plurimæ assignantur. Percurram brevissimè celebriores. Alia est causa per se, alia per accidens. illa est, à qua directè pendet effectus; ut statuarius est causa statuæ. hæc est, à qua effectus non pendet, sed dicitur solum causa propter accidentariam connexionem cum vera causa; ut si statuarius sit musicus, musicus erit causa per accidens statuæ.

Causa per se alia est physica, alia moralis. prima est, quæ operatur per se, & producit effectum per suum esse physicum actuale sine indigentia notitiæ alterius; ut homo est causa hominis. Secunda est, à qua procedit effectus media sua bonitate, aut malitia morali alienæ notitiæ ingesta, ac motiva alienæ voluntatis ad effectus positionem: ut meritum est causa præmii. Convenit causa efficiens moralis cum finali; quia utraque est causa intentionalis. differt; quia finis movet, ut sit: morale agens movet, quia est. Extenditur deinde appellatio causæ moralis ad significandum id, cui tribuitur in prudentum æstimatione effectus, quamvis in hunc nec physicè, nec intentionaliter influat. Sic solet apud morales non impediens damnum, quod impedire debet, causa damni nuncupari.

Causa per se physica in principalem, & instrumentalem dividitur. Primi generis est causa, quæ agit propria virtute, ac nomine, & ex propria perfectione adæquante, ac continente perfectionem effectus. Secundi generis est causa, quæ concurrit ad effectum ut elevata ab agen-

te nobiliori ultrà mensuram propriæ perfectionis, nomine, ac virtute non sua, sed principalis, cui servit. Sed de his infrà fusius.

Instrumentum porrò aliud coniunctum aliud separatum. Primo modo propter imperfectionem sunt instrumenta artis, quæ operari non possunt, nisi ut conjuncta cum artifice, ab eoque actualiter mota. secundo modo sunt instrumenta naturæ, quæ agunt etiam separata à principali, ut videre est in semine à vivente deciso.

Dividitur demum causa in primam, & secundam, univocam, & æquivocam. Prima causa est independens ab omni alia, & eius actio aliam quamcumque præit. secunda est à prima dependens, agitque per virtutem ab ea acceptam. Causa univoca operatur effectum sibi similem in natura, ut ignis ignem. Aequivoca operatur effectum dissimilem, ut sol aurum.

CAPUT II.

Quid requirat virtus causativa efficientis in actu primo.

EX eo principio, quod est per se notum intelligenti terminos, Nemo dat, quod non habet, consequens est, ut cum effectus omne suum esse, & perfectionem accipiat à causa, omnis perfectio effectus debeat in causa præcontineri. Hinc gradum faciunt post Vasquium Recentiores, ut hanc ipsam præcontinentiam statuant virtutem causativam in actu primo. Et quia præcontinentia duplex est, alia formalis, dum perfectio de causa, & effectu univocè prædicatur, & sub eodem nomine, ac conceptu, qualiter homo continetur in homine: alia est eminentialis, qua perfectiones effectus continetur in causa, demptis imperfectio-

ctio-

ctionibus admixtis, adeoque sub alio nomine, alioque conceptu, qualiter homo continetur in Deo; alteram ex his sufficere dicunt ad virtutem causativam efficiendam. Hinc ulterius inferunt ex hoc uno judicandum, an virtus causativa sit sufficiens, & adæquata, an solum inadæquata, & insufficiens; si enim causæ omnia prædicata insunt, quæ insunt effectui, ea est causa adæquata. si aliqua tantum, ea est causa inadæquata: si nulla, nulla est causa. Sed hæc tamen omnia difficultate non carent; & latè ab aliis impugnantur, ut videre habes apud Ovied. controv. 9. phys. punct. 9. Equidem, ut declarem, quid in hac re constituam, sic procedo.

Dico: nulla causa efficiens adæquata potest esse imperfectior effectu suo, sed debet esse aut perfectior, aut æque perfecta, In hac conclusione conveniunt omnes, eamque sumunt, ut principium primum, ac dignitatem: nec immeritò; ut enim rectè arguit Scotus, nemo sibi persuadere potest unam muscam esse totius universi effectricem. Ex quo equidem deduco, id non solum esse verum de causa simpliciter adæquata, sed etiam de causa creata principali adæquata in ordine causæ secundæ; quamvis hæc sit simpliciter inadæquata, cum indigeat essentialiter actuali concursu causæ primæ. Ratio est illud idem absurdum à Scoto illatum; quia nemo scilicet suspicatur, an universum potuerit ab una musca produci tamquam à causa secunda adæquata cum solo concursu universali causæ primæ. Hinc est naturalis nostræ mentis impetus, ut ab effectu perfectiori perfectiorem causam eius secundam judicemus, quam etiam statuimus ut mensuram perfectionum effectus, & è converso.

Dico 2. ex hoc principio evidenti eruitur; quatenus in causis locum habeat aliud evidens prin-

principium, Nemo dat, quod non habet. Et quidem hoc secundum de causis dicitur cum aliqua improprietate, & metaphora, cum, proprie loquendo, omnis causa det, quod non habet; si enim effectus est distinctus à causa, omnes perfectiones effectus sunt distinctæ à perfectionibus causæ; & quia habere perfectiones in causa importat identitatem; est consequens, ut, si nullę perfectiones effectus identificantur cum causa, nullæ habeantur in causa. causam ergo habere, quod dat, significat in causa haberi non easdem, sed similes iis perfectiones, quæ per productionem accipiuntur ab effectu. Jam vero hoc dictum sic intellectum in causis sequitur evidenter ex primo. Vel enim est sermo de perfectionibus puris, & ut aiunt, simpliciter simplicibus: & jam si qua huiusmodi perfectio esset in effectu, qua careret agens, agens absolute esset imperfectius effectu. quod constat ex notione perfectionis simpliciter simplicis, quæ dicitur esse melior ipsa, quam non ipsa, hoc est, ità se habet, ut entitatem, in qua est, constituat perfectiorem omni entitate, quæ careat ipsa. talis perfectio est substantia, vita, intellectivitas, & sim. Vel sermo est de perfectionibus impuris, & mixtis: & istæ quidem debent in causa præcontineri saltem eminenter; cum enim omnis perfectio impura redigi possit ad puram, aut hæc deindè continetur in causa, & ex hoc jam continetur eminenter perfectio mixta; continere enim eminenter est continere perfectionem demptis imperfectionibus. aut non continetur; atque ita effectus erit absolutè perfectior causa.

Ex his sequitur, admittendam omninò in causa præcontinentiam perfectionum effectus proportionalem rationi ipsius causæ, ita ut si causa sit adæquata, adæquata debeat esse præcontinentia: si inadæquata causa, inadæquata præcontinentia. Satis enim videtur manife-

stum,

ctum, ut quod ex toto requiritur ad totalem activitatem, requiratur ex parte ad activitatem partialem. Et si hoc negetur, nihil est, cur quidlibet non dicatur agere in quidlibet, ut causa saltem inadæquata, & partialis.

Dico 3. non solum perfectio effectus debet dicto modo in causa præcontineri, sed etiam perfectio quæcumque relucet in actione. Ratio ex dictis est; quia non solum effectus, sed actio etiam ipsa emanat à causa, ab eaque habet esse, omnemque suam perfectionem. Atque hinc deducitur corrolariè, ut, cum actio creativa specialem in se perfectionem contineat in modo productionis à subiecto independentis, & verò tantam. ut excedat omnem perfectionem creatæ causæ, quantumcumque perfectiones termini per creationem ponendi contineantur in altero, v. gr. Angeli perfectiones in Angelo, extrahi ab eo ad esse non possint; aliter effectus creatus qua talis excederet causæ suæ perfectionem.

Dico 4. Quamvis similitudinaria præcontinentia perfectionum effectus omnino requiratur in causa, non tamen hæc una est sufficiens ad fundandam, probandamque virtutem causæ. quare præcontinentia, & activitas non reciprocantur, cum omnis activitas sit præcontinentia, non è converso. Ratio est tum à posteriori; quia multa sunt mixta, quæ vim producendi sibi simile non habent, quamvis totam perfectionem similis individui in se contineant; ut videre est in metallis, in gemmis, imò etiam in multis viventibus, tertiæ quæ vocant speciei, & in plerisque elementis. tum à priori; ut enim in moralibus non quicumque habet aurum, aut fundum potest illa donare, cum possit esse dominium sine potestate illud transferendi, ut est in pupillis, & fideicommissariis, quibus est impedita rei cæteroqui suæ alienatio; item proportionaliter in physicis

con-

contingere potest: quod res scilicet aliqua suam habeat perfectionem sine physica potestate eam propagandi, ac veluti transferendi per productionem similis in effectu perfectionis.

Ex quo fit, ut non recte ex vi formæ illud à Vasquio concludatur, dum sic arguit: In complexo ex intellectu, & specie Dei intuitiva est tota perfectio visionis Dei. ergo hoc unum complexum est causa adæquata visionis; adeoque non est aliud lumen præter speciem. Neque enim ex eo, quod causa habeat totam perfectionem effectus, sequitur ut possit adæquate eam dare. quandoquidem pater, & mater, ut arguit Oviedus, seorsim continent totam Filii perfectionem; & tamen juxta communiorem sententiam sunt causæ ex necessitate partiales. Ratio ex dictis est; quia quantumvis causa prædicata omnia effectus contineat, potest tamen aut ex electione, si libera est, ut Deus concurrens partialiter ad effectus omnes creatos, aut ex institutione naturæ, si naturalis, dimidiatum exhibere concursum, & aliam etiam concausam admittere in effectus productionem. Ut enim quod totam continet perfectionem effectus, potest nullam habere vim eam communicandi; ita potest à fortiori habere vim solum inadæquatam, & indigentem consortio alterius comprincipii. Utrum vero argumentum Vasquii ratione materiæ aliunde desumpta probabiliter concludat, non est huius loci examinare.

CA-

CAPUT III.

Num causis etiam secundis vis productiva conveniat, & quo ordine ad primam.

Virtutis effectivæ, de qua hactenus, subiectum in præsenti inquiro. Certissimum est eam competere causæ primæ, cuius est totam contingentium seriem per se se insufficientem, ad essendi sufficientiam activitate sua perducere, ut alibi contra veteres Philosophos, & Atheistas demonstratur. Dubium ergo esse potest de creatis, & secundis agentibus, an iis scilicet vis aliqua per se causativa conveniat; & quo pacto dependens à prima.

§. I.

Stabilitur in secundis causis vis productiva.

Dico I. Causis creatis virtus effectuum suorum physice effectiva concedenda est. Huic conclusioni duo Philosophorum genera refragantur. alterum est eorum, quorum meminit Averroes 9. met. com. 7. cum ea præfatione honoris, quòd non habent cerebrum habilitatum naturaliter ad bonum; putabant enim nihil creaturas, omnia Deum efficere ad præsentiam creaturarum. Alterum est recentium Atomistarum, quibus omnis vis effectiva est creativa, adeoque repugnans creaturis: quare his solam vim loco motivam concedunt, cum omnia de novo fieri per solam localem atomorum transpositionem putant.

Prob. concl. contra primos: tum authoritate Tridentini asserentis ad actus vitales supernaturales animam non se habere passivè, sed

etiam activè, Quod idem ratione naturali constat in omnibus actibus vitæ, quæ de suo conceptu activitatem viventis importat: est enim vita motus à se in se, & à fortiori in actibus liberis; libertas enim non in passivitate, sed in activitate formaliter sita est. tum etiam quia ex communi omnium hominum sensu sol dicitur illuminare, ignis calefacere, &c. quæ vera non essent, si Deus hæc omnia se solo præstaret; similiter enim esset verum, quod materia parata efficeret rationalem animam, quia Deus ad materiæ præsentiam, & exigentiam animam creat. tum postremò quia activitas est perfectio, quæ ita reperitur in Deo, ut possit etiam participari à causa naturali, quemadmodum participatur à libera. ergo possibilis est causa naturalis, quæ per se operetur: imo etiam ita de facto contingere necesse est; cum sit cuique essentiæ connaturale, ut suis se operationibus, & effectibus propaget, ac manifestet.

Prob. eadem concl. contrà secundos. quodcumque sit effectum de novo generari, à causa secunda generante est. atqui effectum generari non est transponi localiter eius atomos, sed poni de novo formam ipsius substantialem, ut superius est late probatum. ergo nova productio à causa secunda generante est. prætereà admittitur ab his potentia in creaturis loco motiva. atqui hæc importat efficientiam motus, quem esse novam modalem entitatem constat ex dictis de unione, & sæpius dicendis de actione, aliisque modis. ergo debet ex hoc ipso admisso admitti potentia efficienter productiva. Demum si quid obstat, quò minus id creaturæ non possint, est, quia omnis nova productio est creatio. atqui huiusmodi assumptum & esse per se falsum ostensum superius est; & est contrà communem Theologorum sententiam actus vitæ præsertim intellectivæ re distinguentium à potentiis suis, à quibus

effective pendere omnes statuunt. In quas autem tricas se se induerit Magnanus vitæ operationes etiam liberas negare distinctas ausus, in libris de anima declarabitur. Stat ergo negari nec debere, nec posse vim rigorosam physicè effectivam in creaturis.

§. II.

Nihil potest creatura efficere, Deo immediate non concurrente.

OPposita huic sententia patronum habet Durandum, qui tàm male propterea apud Theol. audit, ut hanc ipsius sententiam erroris nomine à Scholasticis jamdiù esse rejectam, affirmare non dubitaverit Vasquez. Censuras Theologicas vide apud Suarium disp. 22. met. sec. 1. ex quibus intelliges, quàm male operam suam locaverit F. Ludovicus à Dola, cum Durandismi jam olim depositi indignam Theologo defensionem suscepit.

Probo jam conclusionem positam primò authoritate hac ipsa Theologorum, & Scripturarum, quam apud Suarium l. cit. & alios multiplicem invenies. Secundò ratione. Dominium Dei perfectum, & absolutum in creaturas omnes, earumque operationes, ut possit de iis ad nutum, arbitriumque disponere, supposito, quod sint, est talis, ac tanta perfectio, ut inter simpliciter simplices numeretur, quibus non potest scilicet Deus carere, nisi desinat esse Deus. atqui tale Dominiũ subsistere non potest, nisi immediatè ad omnes creaturarum operationes concurreret; aliter disponere non posset de operatione, nisi disponendo de entitate: quod est habere dominium diminutum. Conf. ad Deum pertinet posse universo suo providere providentia etiam miraculosa, & supernaturali. atqui id non plenè posset

in sententia Durandi; neque enim posset creaturarum actiones cohibere, aut impellere extra ordinem, quæ scilicet ab ipso nullatenus dependerent.

Dices, salvari hoc dominium, præciso influxu Dei immediato, per solam connexionem, sympathiam, & subordinationem essentialem creaturarum ad creatoris voluntatem, qua volente, agant, nolente, non agant.

Sed contra est primò; quia sic non salvatur dominium Dei in liberas operationes creaturæ. non enim admitti potest inter duo libera agentia, salva utriusque libertate, eiusmodi essentialis sympathia. Quandoquidem causa libera est, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere pro libito. Jam verò stante Dei voluntate; ut mea voluntas amet, aut hæc potest non amare, aut non potest. si non potest, non est libera; si potest, non est connexa.

Secundò, nec potest hoc dici in causis naturalibus. potestas enim non moralis, sed physica immediatè impeditiva alicuius existentiæ non potest subsistere sine immediata ejusdem existentiæ dependentia, nam sicuti non potest intelligi, quod Deus suo nutu immediatè conservet creaturam in esse, quin simul eam immediatè causet: ita nec potest intelligi immediate, aut destruens, aut impediens creaturæ existentiam, quin suspendat suum ipsum influxum, à quo ea immediatè esse suum accipiat. Rursus inductione constat, volendi, ac nolendi actum sufficere ad determinandas potentias volentis ipsius, ac nolentis. easdem verò impertinenter se habere ad determinandas potentias supposito distinctas. Propterea Dei omnipotentiam à voluntate ratione distinguimus: nec satis putamus velle Deum, ut aliquid fiat, nisi omnipotentiam ad faciendum adhibeat. quod si quis duas istas pefectiones di-

divinas negaret ratione distingui, à fortiori datam pro Durando responsionem refelleret. cum enim hæc admittat, actionem nullam creaturæ esse posse, nisi Deus ipsam velit: velle autem Dei idem est, ac facere; consequens est, ut nulla actio creaturæ existat, Deo non cooperante.

Confirm. paritate dominii moralis; ut enim Deo repugnat non esse actu dominum creaturę; nec satis est; si creatura sit domina ad nutum Dei; item illi repugnabit non esse actu causam cuiuscumque creaturæ, nec satis erit, si creatura sit causa ad nutum Dei. Et quidem nulla est ratio, cur debeat Deo necessariò competere actuale dominium in rem omnem creatam, & non pariter actualis influxus, qui creaturam ab ipso reddat actualiter dependentem.

Obiic. 1. causa continens totam perfectionem effectus non indiget alterius consortio ad illum producendum. atqui causa creata sæpe totam sui effectus perfectionem continet. ergo.

Negant multi minorem; putant enim rationem individualem cuiusque rei in nulla causa creata contineri. Equidem expeditius resp. falsam esse maiorem, ut constat ex dictis cap. proxime superiori.

Obiic. 2. aut Deus concurrit adæquatè ad effectus causarum secundarum; & sic tollitur ab his tota vis effectiva: aut concurrit inadæquate; & concursus huiusmodi est imperfectus, ac Deo indignus.

Sed primò perfectior est concursus inadæquatus, quam nullus. deindè actualis concursus est aliquid creatum, cui potest sine scrupulo imperfectio admisceri. quamquam nulla imperfectio admisceatur concursui in actu primo qui est omnipotentia ipsa, ex sua electione in effectum, quem sola potest, admiscens consortium activitatis creatæ.

Obiic. 3. multi sunt effectus creati, qui à Deo immediatè non pendent. 1. actio creaturæ non pendet, nisi à creatura, sicut actio Dei pendet à Deo. 2. causalitas materialis à Deo non pendet; quia iste causandi modus à Deo exerceri non potest, cum dicat imperfectionem: ex quo capite probandum non est dictum Fonsecæ 5. met. q. 12. Deum concurrere cum materia ut primam causam materialem. 3. actiones liberæ creatæ à causa prima immediatè non sunt; nam & causa prima ut pote potentior traheret secundam, quo vellet, cum præiudicio libertatis creatæ: & voluntas non haberet in sua potestate influxum causæ primę, ut posset operari, cum vellet. 4. specialiter id ipsum est verum de actionibus peccaminosis, quæ si essent à Deo immediate efficiente, vitari non posset, quo minus Deus in rigore diceretur causa peccati. Entitas enim actus prohibiti est peccatum. Deus est causa eiusmodi entitatis. ergo est causa peccati.

Ad 1. actio, qua effectus pendet à causa creata, manat indivisim à causa prima, & secunda; & est necessariò utriusque actio; dominium enim divinum non solum in effectum, sed etiam in ipsam actionem exercetur. non est: ergo actio creaturæ realiter independens à Deo; quamvis accepta formaliter, & ut est à creatura, sit à Deo independens præcisivè; quia nimirum nostræ mentis opere præscinditur in actione hoc, quod ęst esse à Deo, ab hoc, quod est esse à creatura.

Ad 2. una numero est causalitas omnium causarum ex superius probatis. ut ergo causalitas materialis est simul causalitas efficientis creati, ita & divini, adeoque à Deo pendet in genere efficientis.

Ad 3. influxus Dei immediatus nihil derogat libertati operationis; ità enim Deus omnipotentiam suam applicat volũtati, ut possit

ſit voluntas non minus libere uti omnipotentia ad amandum, vel odio habendum, quàm habitu, vel cognitione.

Ad 4. nego ſyllogiſmi facti conſequentiam; committitur enim fallacia figuræ dictionis, cum mutetur quale in quid, & modus, quo res ponitur, in rem, quæ ponitur. entitatem actus eſſe peccatum importat non ſolum actum poſitum, ſed etiam modum ponendi, elidendo, ac determinando, & quia ſola voluntas creata concurrit ad actionem eiuſmodi, ut determinans, Deus vero ut determinatus, fit ut ſola voluntas creata dicatur cauſa peccati formaliter, non Deus, neq; inſtes. Deus eſt cauſa determinationis etiam, atque electionis: ergo eſt cauſa determinans, & eligens. inepta enim eſt hæc conſeq. ut eſt inepta illa alia, efficiens cauſat ſuſtentationem materialem, ergò ſuſtentat: aut illa, ſpecies cauſat cognitionem, ergo cognoſcit. Ratio in caſu eſt; non enim quodcumque cauſat determinationem ab actione indiſtinctam cauſat illam formaliter qua talem, ſed id unam, quod cauſat, ut primum movens, ac determinans ſe ipſum, qualis eſt ſola voluntas, cum cætera cogant ut mota, & determinata ab ipſa voluntate. Plura de hac re in metaphyſicis, ubi de phyſica præmotione.

CAPUT IV.

Utrum creatæ ſubſtantiæ competat vis productiva immediata, an ſolum mediata.

THomiſtæ omnem prorſus activitatem immediatam creatæ ſubſtantiæ denegant, putantes, ſi vel minimum effectum per ſe immediatè produceret, illicò cauſuram in Deum. itaque non ſolum negant à ſubſtantia ſubſtan-

tiam produci, sed etiam accidens. equidem ut in hac re ordinate procedam, id primum statuo.

§. I.

Nulla est à priori repugnantia probans substantiam creatam nihil posse immediatè producere.

Ratio est. non est proprium causæ principalis increatæ agere per se sine intermedia virtute, & instrumento. poterit ergo substantia creata per se aliquid agere. consequentia patet ex eo, quod nihil affertur à Thomistis contra consequens, quod non evertat antecedentis veritatem. antecedens prob. accidens immediatè producit accidens, calor v.g. calorem: in qua productione accidens instrumentum non est, sed principale agens. quod licet Goudinus asserat teneri communiter ab omnibus, ad meritum potius respexit, quam ad rem ipsam; cum cæteroqui non desint, qui illud negent, & videntur fundari in D. Th. in 1. d.3. q.4. ar.3. ad.2. sed mihi tamen hoc est certum ex notione instrumenti, cujus est agere ad assimilandum non sibi, sed alteri, & dare perfectiones effectui non in se, sed in altero præcontentas. atqui calor calorem assimilat sibi, suasque illi perfectiones communicat. Neque obstat, quod sit entis ens, adeoque agat, ut quid alterius. Si enim hoc tolleret rationem principalis causæ, substantia ipsa, quæ tota est Dei, & ut quid Dei agit, causa principalis non esset.

Ex hoc probabilius mihi est, substantiam ipsam immediatè in se suas proprietates producere. id enim est magis congruum propriæ ratione substantialis formæ, quæ ad suas passiones comparata non debet esse mera passiva

po-

potentia, quemadmodum materia; cum sit actus, adeoque activitas ex suo genere. at si non posset immediatè ullam in se passionem efficere, præsertim primam, ad eam mere passivè, & nullatenus effectivè compararetur; quia non effectivè immediatè, ut volunt Thomistæ: non mediatè, hoc est, media virtute accidentali; inter ipsam enim, & primam passionem nulla mediat accidentalis virtus, & passio.

Obiic. 1. ex D. Th. 1. p. q. 54. ar. 3. In creatis esse, & operari realiter distinguuntur; est enim proprium Dei, qui est actus purus, ut sit sua operatio. ergo potentia, quæ ordinatur ad esse, distinguitur realiter à potentia, quæ ordinatur ad operari; potentiæ enim ut specificantur, ità & distinguuntur per actus. sed essentia substantiæ per se primò ordinatur ad esse. ergò potentia operativa, quæ per se primò ordinatur ad operari, realiter distinguitur ab essentia substantiæ; adeoque substantia creata nihil potest per se ipsam immediatè operari.

Argumentum instatur primò in essentia accidentis, quam probat eodem pacto distinctam ab ejusdem potentia operativa; quæ quia etiam est accidens suam habens essentiam, nec poterit per se ipsam operari, sed per aliam potentiam, atque ità in infinitum. Instatur secundò, quia similiter probat essentiam substantiæ distingui à potentia receptiva accidentium: quia non minus esse, & pati realiter distinguuntur. at si potentia eiusmodi passiva realiter à substantia distinguitur, aut nullum accidens substantiæ immediatè inhæret, aut manifestè itur in infinitum. Nego igitur consequ. actus enim non possunt re, sed solum ratione potentias suas distinguere. quod multo magis est verum in re præsenti, in qua comparatur potentia physica agendi cum logica essendi. constat autem eandem physicam potentiam, quæ

quæ nunc eſt, fuiſſe poſſibilem, adeoque fuiſſe logicam, & obiectivam potentiam eſſendi.

Obiic. 2. nulla ſubſtantia poteſt ordinari ut potentia ad actum accidentalem: quod tripliciter probat Goudin. 1. quia actus, & potentia ſunt in eodem ordine, ut dicit Ariſtoteles 9. met. cuius radicalis ratio eſt; quia potentia & actus ſunt idem quamvis diverſimodè; nàm potentia eſt id potentialiter, quod eſt actus actualiter. 2. potentia omnis intenditur propter ſuum actum: ſemper enim actus perfectior eſt potentia ſua, quam complet, & perficit. atqui ſubſtantia non intenditur propter accidens, ſed è converſo. ergo ſubſtantia non eſt potentia. 3. ſubſtantia cuiuslibet rei intrà rem ipſam concluditur. ergo quod ſe extendit ad aliquid extrinſecum, non eſt de ſubſtantia rei. at potentia ad actum accidentalem extrinſecum extenditur. ergo.

Nego aſſumptum: ad cujus primam probationem dico, illud intelligi de potentia obiectiva, & actu exiſtentiali; quæ ſcilicet ſolâ ratione ſecernuntur, & quidem aliter nec qualitas poterit producere, quæ eſt ſcilicet ſub proprio genere, & prædicamento diſtincto à genere, & prædicamento actionis. Ad ſecundam. Inſtatur in qualitate, quæ eſt perfectior actione. Porrò actum eſſe potentia meliorem aſſeritur, & probatur à Philoſopho 9. met. t. c. 19. quia, inquit, potentia eſt ad bonum, & malum, ut potentia ad ſanitatem eſt ſimul ad ægritudinem: at verò actus nim. ſanitas eſt tantùm bonum. ex quo manifeſtè colligitur, loqui ipſum de potentia non activa, ſed paſſiva, quam Thomiſtæ à ſubſtantia non diſtinguunt, & hanc præcipuè deberent propter hoc argumentum diſtinguere. Cæterum neque univerſim eſt verum, quod actus ſit abſolutè perfectior potentia paſſiva; omnes enim formæ accidentales ſunt

actus

actus substantiæ, qua sunt absolutè imperfectiores; quamquam sint perfectiores, si veniant sub ratione actus, & perfectivi, substantia veniente sub ratione potentiæ, & perfectibilis. Quod additur, potentiam intendi propter actum, est falsissimum; quia propter finem non intenduntur nisi media. at potentia non est medium, sed finis cui actus accidentalis, qui comparatur ad ipsam ut finis qui. Ad tertiam est primò instantia in accidente, cujus item essentia debet intra se concludi, & per aliud extendi. Deinde dum substantia intra se concluditur, aut tollitur ab ea omnis extensio ad aliud tamquam sui perfectivum, aut tamquam perfectivum aliorum. primum si dicis, tollis à substantia omnem ordinem, omnem inclinationẽ, & appetitũ ad accidentia, quæ sunt tamen perfectiones ipsius naturales. si dicis alterum, tollis universim à bono inclinationem ad se diffundendum, quod repugnat boni naturæ ex Dion.

Obiic. 3. modus agendi omnium perfectissimus est proprius agentis perfectissimi, sed vis agendi principaliter, & immediate est modus agendi perfectissimus. ergo. prob. min. triplex est principium operationis, vel proximum tantum; vel principale tantum, vel proximum simul, & principale. hoc tertium habet modum operandi reliquis perfectiorem. ergò hic modus agendi est perfectissimus.

Instatur 1. in accidente agente principaliter per suam essentiam in alterius accidentis productione, adeoque perfectissimo modo. Instatur 2. sic Gradus essendi perfectissimus unius entis perfectissimi est proprius, atqui esse substantiam spiritualem est gradus essendi perfectissimus. ergo. min. prob. triplex est gradus essendi; purè materialis, qualis est equi; mixtus ex materiali, & spirituali, qualis est hominis; purè spiritualis, qui est reliquis perfectior, adeoque perfectissimus, & Dei proprius,

undè fieret, repugnare substantiam creatam purè spiritualem. Directè dico, aliud esse, quod una ratio est ex genere perfectissima, quia non datur alia ratio ex genere perfectior, qualis est ratio substantiæ spiritualis, & omnis ea perfectio, quæ simpliciter simplex appellatur: aliud esse, quod ista ratio non possit habere in rationibus contrahentibus latitudinem, & limitationem, quod est necesse ad hoc, ut sit Dei propria. hoc autem secundum non rectè colligit ex primo, constat evidenter in dato exemplo, aliisque sexcentis.

Obiic. 4. adversus corollarium conclusionis, in quo dictum est, substantiam immediate in se suas qualitates operari. Qui dat formam, dat consequentia ad formam ex 8. phys. sed forma substantialis est efficienter à generante. ergo efficienter ab uno generante sunt omnes proprietates consequentes.

Qui dat formam, non semper immediate se ipso dat consequentia, sed media sæpe virtute, quam tribuit. Sic à Thomistis motus gravium à generante dicitur proficisci non immediatè, sed media gravitate iisdem tributa. Sic dicimus in re nostra tribui à generante formæ proprietates; quia dando scilicet esse formæ, dat illi, ut possit suas in se perfectiones proprias efficere.

§. II.

Nulla est à priori repugnantia probans, non posse accidens substantiam adequatè producere in virtute substantia.

HÆc secunda conclusio adversarios habet Scotistas omnes, atque ex Iunioribus nostris plerosque in uno illo communiter fundatos, quod imperfectius non potest esse causa adæquata perfectioris: quod alii aliter proponunt. principaliores modos colligam, ut

ut omnibus satisfiat, atque ita maneat probata conclusio.

Sic ergo arguitur primò. Causa secunda totalis non potest esse imperfectior effectu suo. accidens est imperfectius substantia. ergo non potest esse causa eiusdem totalis. Conf. Nihil dare potest, quod non habet. accidens non habet perfectiones substantiæ. ergo illi non potest suas perfectiones communicare.

2. Omnis causa debet habere præcontinentiam perfectionum effectus aut formalem, aut eminentialem. atqui accidens neutro modo continet substantiæ perfectiones. ergo non potest esse illius causa. Neque dicas, in accidente contineri substantiam virtualiter. Contra enim est; quia continere virtualiter est posse producere. quare perindè est dicere, accidens potest producere substantiam, quia illam virtualiter continet, ac dicere, accidens potest substantiam producere: quia potest substantiam producere: quod est petere principium.

3. Accidens destitutum ab omni influxu substantiæ influit per id unum, quod in se habet. hoc autem est substantia m imperfectius. ergo non potest hoc uno substantiam efficere. Sic miles à Duce non adiutus, pugnansque per vires suas infractas, ac debiles, nihil omninò potest suprà ipsas audere, ac perficere.

4. Accidens non potest substantiam efficere propria virtute; aliter esset substantiæ causa principalis: quod illi repugnat. At quod se solo operatur, & sine influxu superioris causæ, propria virtute operatur, quia non aliam habeat, nisi quæ est suæ entitati connaturalis, & quæ illi convenit ex vi proprii esse. Nec iuvat phrases illas opponere, accidens esse habet à substantia: natura sua est virtus substantiæ: tenet substantiæ vices, & nomine ipsius agit: omnia enim hęc vocabula dant solum accidēti relationes quasdam, & extrinsecas denominationes, nec

nec possunt esse satis, ut purum, purumque accidens sibi relictum, suoque succo vivens, & operans, omnique destitutum auxilio superiori sit sufficiens principium immediatum actionis tantò perfectioris.

5. Arguit Trombeta in met.q.16. Forma dans esse formale, ubi dat formaliter esse, non dat perfectius esse, quam sit proprium esse formale. ergo ubi dat esse imperfectiori modo, non dabit perfectius esse, quam sit proprium esse. conseq. prob. quia si causa se habens modo perfecto in causando non causat aliquid perfectius se, multo minus illud causabit, dum causat modo imperfectiore. tum multa affert ad probandum causare formaliter perfectius esse, quam causare efficienter: quæ omitto, cum ad rem non sint, ut constabit.

6. Idem arguit à priori. Omne agens agit, in quantum est actu. ergo quod est perfectius in actu, perfectius agit. atqui perfectius est in actu forma substantialis, quam accidentalis: ergo eam necesse est perfectius agere. agere autem immediate per se est perfectius agere.

Ut respondeam, noto, instrumentum qua tale agere virtute non propria, sed principalis agentis, cuius est instrumentum, & virtus: quod revera nihil est aliud, quam esse viam, & medium, quo suas perfectiones agens ad effectum defert. Hinc non alia instrumento danda præcontinentia, quam ea, quæ actioni suæ proportionatur: & quia non ipsum est, quod producit, & dat, nisi solum ut quo, quatenus medio ipso agens producit, & dat; frustra es, si in ipso requiras perfectiones, quas effectus participat, nisi dumtaxat ut quo: quod re ipsa nihil aliud est, quam esse virtutem, & instrumentum præcontinentis. Ad hoc intelligendum duo exempla afferuntur, alterum ex moralibus, alterum ex physicis desumptum. Procurator in moralibus venditione, donatione,

aut

aut alio genere contractus transfert dominium rei non suæ: nec propterea, quod rem dat, quisquam in eo rei dominium requirit; neque enim suo nomine dat, sed alterius dominium habentis. In physicis autem actio totalis est id, quo effectus omnem suam perfectionem acquirit: quia tamen actio se habet merè ut via, nec ut dans, sed ut deferens agentis perfectionem in passum, & effectum; nemo actionem contendit æqualis esse perfectionis cum effectu. Quod actio in actu secundo, id ipsum præstat virtus in actu primo: utraque enim se habet ut quo, altera per modum actus, altera per modum potentiæ. quia tamen neutra principaliter agit (quod est agere, ut mensuram perfectionum effectus, cui scilicet absolute actio tribuatur) neutra effectum sibi, sed alteri commensurat; neutra debet æqualem effectui perfectionem habere.

Resp. nunc ad 1. maiorem esse veram de causa, non de instrumento. Ad conf. dico, virtutem agendi habere perfectiones effectus proportionaliter ad modum, quo dat: & quia non ipsa est revera, quæ causat, sed causa per ipsam, ipsa habere non debet, nisi ut quo, quatenus est virtus habentis.

Ad 2. patet responsio ex modo dictis qualiter accidens debeat perfectiones substantiæ producendæ continere, continentia nim. non formali, aut eminentiali, quæ propriæ sunt non instrumenti, sed principalis, sed æquivoca instrumentali explicata per hoc, quod sit virtus, & instrumentum præcontinentis.

Ad 3. accidens etiam destitutum ab influxu actuali principalis causæ potest totaliter effectum substantialem, & cum urgetur, influere per id solum, quod in se habet, adeoque per imperfectius, non modo verum est, sed necessarium ad propriam rationem, & activitatem instrumenti. nec est par ratio de milite, qui

sup-

supposito distinctus à Duce, si quid agit ab eo destitutus: sua virtute agit: cum accidens utcumque à substantiæ actione immediata seiunctum, semper sit virtus substantiæ, ejusque nomine natum agere.

Ad 4. tota vis argumenti est in æquivocatione; cum enim dicitur accidens operari virtute propria, si facit sensum, operari virtute, quæ sit ipsum, verissimum est, sed non ad rem; quia hoc non tollit quo minus hæc virtus sit substantiæ virtus, quemadmodum accidens, cui est eadem, substantiæ est ens. Quamvis autem hæc virtus sit accidenti identificata, dicitur tamen specialiter in casu substantiæ, non accidentis; agit enim ut assimilet effectum substantiæ, non accidenti; adeoque est potentia operativa non accidentis, cui inest per identitatem, sed substantiæ, cuius est per emanationem.

Ad 5. negatur conseq. & paritas. causa enim formalis cum causet dando se, & effectus ipsius sit indistinctus ab ipsa, non potest effectum se perfectiorem conferre, nisi ipsa se perfectior evadat. hoc idem applicari non potest agenti instrumentali. uno enim verbo, potest aliquis dare, quod non habet, in virtute alterius habentis: non tamen potest in virtute alterius esse, quod non est. Quamvis, ut hoc etiam addam, est in causa formali aliquid simile, quod trahi possit in exemplum efficientis, & argumentum retorqueri. multæ enim formæ se habentes præcisè ut quo effectum formalem præstant se ipsis nude consideratis longe perfectiorem. Una sit omnium instar unio hypostatica, quæ sane per se spectata exiguæ perfectionis est; quia verò. Verbi divini perfectiones Humanitati coniungit, effectum illi exhibet infinite maiorem entitativa sua perfectione.

Ad 6. agere immediatè, quod est proprium instrumenti, non perfectius actione mediata

pro-

propria principalis, imo longè imperfectius; agit enim instrumentum serviendo principali. hincquidquid est in actione perfectionis, uni principali tribuitur, ipsumque denominat.

§. III.

Substantia creata immediate per se effectum substantialem nullatenus attingit, sed medio dumtaxat accidente.

HAnc ego sententiam longe probabiliorem censeo; nec ipsi Scotistæ dissentient, posita veritate jam stabilita superioris conclusionis. Ad eam probandam nulla mihi jam superest via metaphysica per repugnantiam substantiæ ad agendum per se; quam primo §. reprobavi. Agam igitur physico more per sensibiles experientias, quæ maximè huic sententiæ favent. præter quamquod Philosophi authoritas tanta est pro hac parte, ut Alexander, vetus, idemque celeberrimus Aristotelis interpres, dixerit, asserere ignem secundum substantiam, non secundum qualitatem agere Stoicam esse, non Peripateticam sententiam.

Duo igitur notissima experimenta assumo. Primum est de animalibus, quæ dicuntur generari ex putri (quamquam hæc ipsa oriri ex semine, aut ovo non improbabiliter asserant novi experimentales) in quorum generatione, præter accidentia materiæ dispositiva, nullum est actum productivum in natura, nisi malis in eorum productionem vocare Deum: quod gratis omninò, & naturali Philosopho non aptè facis. neque dicas cum Recentioribus quibusdam casus per accidens non esse adhi-

adhibendos ut regulam naturæ: per accidens est autem, ut ex fortuito elementorum concursu animalia ejusmodi imperfecta consurgant. Nam quod semper, aut sæpe fit, per accidens non fit. at generationes ex putri frequentiores fortaßè sunt generationibus, quæ ex semine contingunt. Deindè perfectius naturæ consuluit suus Author, si in his ipsis utcumque per accidens contingentibus generationibus causam naturalem providit, si tamen potuit: & potuit quidem per accidentia, quibus inesse posse vim efficientem adæquatam substantiæ jam probavimus.

Alterum experimentum est de viventibus, quæ non aliter, quam per semen ab alio vivente decisum generantur; quod ut locum etiam habeat in plantis, vim tamen argumentum præcipue desumit ex animalium generatione. nam semen animalis non modo sensitivum non est, sed neque vivum ex generali conditione fluidi, quod vitæ nullius est capax. & tamen animal à semine generatur uno. ut instrumento, ac virtute animalis generantis.

Duo sunt, quæ possunt opponi ad hoc argumentum infirmandum. primum est, semen non esse causam adæquatam viventis, sed solum inadæquatam, cum concurrat partialiter etiam mater: secundum est, semen non esse accidens, sed substantiam. frustra ergo istuc experimentum adducitur ad probandum substantiam ab accidente, non à substantia progigni.

Sed contra primum est primò, quod alibi ostendemus, matrem non active concurrere ad filii productionem. 2. concursus immediatus matris in oviparis nullus est; fœtus enim in his fiunt extra matris uterum. nec potest recurri ad parentes incubantes; quia fœtus ejusmodi per ignis unius calorem, aut alterius speciei

ani-

animalis incubationem excluduntur. ex quo manifestè arguitur, parentes, dum incubant, tantum calefacere, & excitare virtutem seminalem ovis inclusam, non verò insuper effective per suam substantiam concurrere. Hoc idem dico præstari per matrem in semine; neque enim ulla esse in hoc potest vel probabilis disparitas.

Contra secundum est primò; quia jam obtineo quæstionem in sensu, in quo solet communiter agitari, an scilicet causa principalis concurrat immediatè per se, an vero medio instrumento. At vero qui ad substantiam seminis recurrit, jam concedit Patrem ad filii generationem non concurrere, nisi medio instrumento, quod censet non accidentale solum, sed etiam substantiale 2. revera substantia seminis non est, nisi vehiculum accidentalis virtutis, quæ sola viventis generationem sit nata perficere. quod manifestum ex eo est; quia non est; nec potest esse causa generationis, quod nec est, nec potest esse in instanti, quo perficitur generatio. atqui dum forma viventis in materiam seminis paratam inducitur, forma seminis substantialis abscedit propter incompossibilitatem cum forma vitæ perfecta succedente. ergò substantia seminis non potest esse apta generationis causa: sed est apta dumtaxat virtus accidentalis, quæ una perseverat.

Distinguunt hic adversarii duas partes in semine alteram subtiliorem, & spiritosiorem, in qua residet activitas, crassiorem alteram, & fœculentiorem, quæ nihil agit; sed à priore dumtaxat patitur, & ad formam vitæ disponitur. tum addunt, formam viventis in solam seminis passivam partem primò introduci; in activam non ità; quæ proindè cum tota sua substantia manet, dum vivens primò generatur.

Huic

Huic doctrinæ non acquiesco; ut enim libens distinctionem illam partium admittam: quid tamen est, cur pars seminis activior, magisque proindè accedens ad vitam, quæ tota scilicet activitas est, postremo loco, aut nullo viventem formam accipere debeat? ne, inquies, agat in se ipsam, suique destructionem. Sed primò non est certum, formam non posse agere in suum subjectum actione, quam sequatur sui destructio per accidens, ut videre est in cummuniore sententia admittente resolutionem usque ad materiam primam. Cum ergo forma seminis sit instituta à natura ad præparandam viventi materiam, hoc poterit ipsa præstare, quamvis inde consequatur ex intentione superioris agentis formæ illius mediæ, & instrumentariæ interitus. deindè si minus forma, accidens saltem seminale materiam partis activæ disponet, ut sit aptum animæ susceptivum. Postremo id ipsum comprobatur ex eo, quod quæ agunt æquivocè, magis agunt in subjectum intimum, quam in proximum, ut patet inducendo; nàm gravitas magis movet subjectum, in quo est, quam cui incumbit; calor magis rare facit, & frigus magis condensat subjectum, cui inest. Cum ergo vis operativa residens in semine agat, ut causa æquivoca in dispositione materiæ, consequens est, ut magis disponat eam, in qua est, quam proximam, in qua non est. quare si forma seminis prius induceretur in partem seminis passivam, quàm in activam, prius induceretur in partem minus dispositam. posterius in partem dispositam magis: quod est ex terminis impossibile.

Maneat ergò, in viventium generatione non aliam haberi aptam ad producendum causam, nisi accidentalem virtutem in semine contentam, & parentis vice, à quo semen elaboratum, decisumque est, operari natam. quare

aut

aut dicendum, quod accidens unum agat, aut tota generativa actio referenda in Deum: quod est tollere viventi rigorosam vim generandi sibi simile in natura. Hinc autem ad alias omnes generationes arguere licet; ut n. egregiè Philosophus 8. phys. t. 63. *Ex his utique*, inquit, *fides aliis fiet; physicum enim est similiter se habere in omnibus*. Cum ergò natura item procedat in omnibus, ut in plerisque, & perfectiora in aliquo genere sint regula imperfectiorum; si in viventium generationibus actio substantialis ab uno accidente est immediatè, hoc idem de generationibus reliquis asserendum. tantò magis, quod præter generationes viventium vix est alia generatio præter quam ignis, de qua sumus per experientiam certi. hanc autem perfici sine ulla substantiæ agentis immediatione ad solam radii accidentalis præsentiam, nemo est, qui ignoret.

Ex his mihi non probatur opinio Suarii tribuentis substantiæ vim substantiæ productivam simul cum accidente. Primò enim hinc fieret, ut semper, vel ut plurimum deberet adesse substantia generans; quid enim dederit substantiæ natura vim producendi immediatam, quam ferè nunquam exerceret? constat autem ex dictis, in præcipuis, & plerisque generationibus substantiam generativam abesse. 2. ex hactenus probatis fit, ut accidens vim habeat producendi adæquate substantiam instrumentaliter. quare etiam si substantia quandoque adsit, adhuc accidens adæquatè producet. tum quia servanda est in naturalibus agentibus uniformitas operandi. tùm quia supervacaneè tribuitur substantiæ vis ulla immediate producendi? illa enim vis est superflua, quæ ut dirigatur in actum, requirit naturalem concausam adæquate productivam effectus. quod enim est inadæquatè per se producti-

vum,

vum, non potest de sua natura exigere com-principium, nisi dumtaxat inadæquatum, à quo compleatur; ut patet in intellectu exigente ad cognoscendum speciem partialiter tantum productivam cognitionis.

Quod si ultimo loco inquiras; quid tandem in causa fuerit, cur natura accidens jusserit substantiæ vices in productione tenere, & non substantiam ipsam per se producere? respondet optimè P. Maurus, id congruum omninò fuisse naturæ agentis limitati, quod cum certo loco, ac tempore sit circumscriptum, pauca omninò potuisset, si per se agere debuisset. at dum agit per instrumenta, in multo plures effectus se se extendit, habetque per ea, ut agat etiam, ubi non est, & quando non est. da enim viventia speciem suam per se, non vero per semina propagare; non ne exiguam nimis, ac diminutam activitatem exercebunt; quia verò totam vim suam insumunt in seminibus efformandis, possunt per illa innumeros effectus (quod maxime apparet in plantis) novas veluti vitæ, generisque sui colonias aliò deducere. In quo latissimum est discrimen primæ, & secundæ causæ; hæc enim cum ex sua finitate non possit se ipsa protendere nisi ad locum, & tempus unum, plura debuit instrumenta accipere, ut plura ageret. at prima cum loca omnia, ac tempora illimitatione sua impleat, instrumentis huiusmodi opus non habet. Atque hinc obiter constat, animam in vitalibus operationibus non indigere distinctis, & accidentalibus potentiis; cum enim agat unicè ad se perficiendam, operatur necessario, & ubi, & quando est ipsa.

§. IV.

§. IV.

Concursus accidentis in substantiam adæquatus ab obiectionibus vindicatur.

PRæcipua, quæ concursum huiusmodi impetunt, desumpta ex metaphysica ipsius impossibilitate, §. 2. sunt dissoluta. nunc pauca, quæ supersunt, nec magni plane momenti, dissolvam.

Obiic. 1. nullum materiale instrumentum natura sua est aptum ad producendos effectus spirituales: & hoc, quia quod est inferioris generis, aptum instrumentum non est, ut producat effectus generis superioris. atqui accidens est inferioris generis relatè ad substantiam. ergo non est aptum instrumentum ad producendam substantiam.

Assumptum maioris est verum, sed nulla est eiusdem probatio. quare hæc illi est substituenda: quod cum accidentia materialia non sint perfectiva naturaliter, nisi materialium subjectorum, eorumque proindè sint connaturales virtutes; si ea non possunt principaliter attingere effectum spiritualem, nec poterunt illum attingere instrumentaliter eorum naturales virtutes. omnia siquidem, quæ potest instrumentum qua tale, potest in virtute dumtaxat causæ, cuius est instrumentum.

Obiic. 2. substantiæ creatæ aut denegatur activitas immediata in substantiam propter eius perfectionem; atque ita deneganda est à fortiori Deo, qui est longe perfectior: aut denegatur propter eius imperfectionem; atque ità deneganda est à fortiori accidenti, quod est multo imperfectius.

Respon. denegari propter perfectionem propriam entis creati principaliter operativi, quod debet ad agendum extendi per instrumenta, ubi,

ubi, & quando non est. In quo differt à *Deo* loca omnia, ac tempora infinitate sua absorbente: differt ab accidente, quod ex sua *ipsa* imperfectione habet, ut facilius *multiplicari* possit per varia subiecta, per quæ deferat suam, suæque substantiæ activitatem: & propterea non indiget instrumento distincto.

Obiic. 3. hinc fieri, ut substantia non nisi denominativè sit causa substantiæ, ut solum denominativè dicitur acqua calefacere; & diceretur Deus causa creatorum effectuum, si vera esset Durandi sententia. atqui sine dubio sequela hæc absurda est. ergo.

Nego sequelam; vere enim substantia est causa principalis substantiæ, in quantum est id, à quo procedit physicè accidentale ipsius instrumentum, concurritque ad actum productionis, ut exemplar, & mensura perfectionum effectus; quod non contingit in aqua calefaciente. Deus autem in Durandi sententia esset causa effectus creati, in quantum effectus non esset nisi Deus conservaret causam ipsius. non tamen eius effectus foret causa illa principalis, cuius esset creatura instrumentum; cum creatura principaliter agat.

Obiic. 4. si accidens semper influeret adæquatè in substantiam, esset quandoque eiusdem causa principalis, ut cum animalia generantur ex putri; tunc enim non est alia assignabilis causa, præter accidens.

Resp. 1. Albertinus 2. Princ. Phil. asser. 3. causam principalem in his esse animal vagum, muscam nim. aut ranam vagam, & indeterminatam. quod quidem rectè intellectum, nihil habet, cur merito reprehendi possit. ut enim dicimus communiter, calorem esse passionem ignis vage; & indeterminatè sumpti, quia scilicet non sibi hunc numero potius, quam alium ignem determinat: item dici poterit sine ab:

surdo

ſurdo eſſe ignis vagi inſtrumentum.

Reſpondent alii ſecundò, animalia, quæ dicuntur fieri ex putri, fieri reverà ex ſemine, ac ſpiritibus à certo quopiam animali expiratis, aerique propter tenuitatem commixtis: qui ubi in materiam delati ſint aptam ex elementorum mixtione conflatam, virtute ſeminali, quam continent, in eam agunt, & animal gignunt: cuius erit proinde certa illa cauſa principalis, à qua ſpiritus iſtiuſmodi exhalarunt.

Obiic. 5. Aſſignabile non eſt, quænam accidentia producant ſubſtantiam, num ſcilicet ea, quæ in agente, an ea potius, quæ ſunt in paſſo; utraque enim ſunt applicata ſufficienter: utraque habent eandem vim productivam.

Reſp. aptius multo dici, actionem ſubſtantialem ab accidentibus haberi, quæ ſunt in paſſo. nàm ex una parte ſunt eiuſdem rationis, & activitatis cum iis, quæ ſunt in agente: ex altera ſunt intimius paſſo applicata. Deindè ſic dicendo, ponimus in natura uniformitatem agendi; aſſignamus enim cauſam, quæ ſemper habetur; cum accidentia, quæ agenti inſunt, toties deficiant, quoties deficit agens.

CAPUT V.

De cauſalitate cauſæ efficientis in actu ſecundo.

POſt examinatam virtutem productivam, & actum primum efficientis, eiuſque ſubjectum, ad examinandam ejus cauſalitatem, actumque ſecundum progredior. Et primo loco redit cum Nominalibus diſſidium ut unionem, ità & actionem diſtinctam negantibus. equidem conſequenter ad dicta de unione, actionis etiam creatæ prius, tum etiam divinæ diſtinctionem paucis conficiam.

§. I.

Causalitas efficientis creati distincta est planè à causa, & effectu.

PRæsens conclusio sequitur manifestè ad dicta de unione; cum enim & unionem ibi ostenderim modum distinctum, & cum actione eductiva identificatum; consequens est, ut actio etiam peculiaris entitas modalis statuatur. sed lubet tamen adhuc idem argumetum brevissimè instaurare.

Dari potest in rerum natura hæc causa, & hic effectus, quin hic effectus profluat ab hac causa: quod dupliciter constat. 1. quia ignis, qui ab igne procedit in primo instanti, in secundo non amplius ab igne, sed à Deo solo manat, & conservatur. 2. quia in illo primo instanti, quo ignis ab uno igne procedit, potuisset procedere ab alio existente, & applicato. ergo hunc ignem effici ab hoc igne aliquid est præter ignis, & ignis entitatem; si enim aliud nihil esset, cum haberi possit duplex illa entitas sine dependentia, posset haberi dependentia sine dependentia.

Dices fortasse, actionem esse entitatem effectus, & causæ se se invicem ea habitudine speciali respicientes, ut ideo sit effectus, quia est causa. Et quia ad hunc, & alios dicendi similes modos idem prorsus argumentum ex integro redit, adeoque manet post illos insolutum; addis, involvi prætereà, ut effectus ab alia causa non sit. Sed hoc certe additum est plane ineptum; tum quia explicat conceptum positivum actionis per negationem; & item procedit, ut si quis explicaturus, quid sit me accipere centum à Sorte, illud unum afferret, quod eos non accipiam à Caio. tum quia procedere ab alia causa, quod negatur; aut est

quid positivum ; & tibi contradicis ; aut quid negativum : & ponis negationem negationis . tum demum quia supponis hac ratione impossibilem concursum simultaneum duplicis causæ totalis ; quod infra improbabitur.

Dices iterum . actio distincta huic tantum muneri destinatur, ut causa, & effectum per se indifferentes determinet . atqui ad hoc frustrà ponitur ; cum enim causa omnis præcipue naturalis in priori ad positionem & actionis , & effectus debeat intelligi determinata ad illum , non est, cur ad ipsam determinandam specialis iste modus adhibeatur.

Sed alia est determinatio causæ in actu primo ; alia quam illi præstat actio in actu secundo . illa potest tota stare in rerum natura cum hoc , quod effectus ab ipsa non procedat ; stante enim applicatione stupæ ad ignem , potest Deus ignem prohibere ab ignis productione , quam unus ipse ponat : in quo casu habebitur ignis determinatio in actu primo, absque eo , quod effectus , qui fit , ab illo profluat . ergo hoc quod est effectum ab illo profluere, non præstatur formaliter per solam determinationem in actu primo.

Dices 3 . repugnare in terminis, ut habeatur tota actus primi determinatio, & effectus ab eo non procedat ; inter cætera enim , quæ actum primum constituunt, est omnipotentia parata, & exhibita per voluntatem divinam concurrendi cum igne : qua stante , fieri neutiquam potest , ut ignis in materiam paratam non agat.

Hoc totum est verum, sed sine distincta actione inexplicabile. dum enim divina voluntas omnipotentiam suam vult igni conjungere, ut cum eo agat; aut vult omnipotentiam, & ignem ; & hoc non ; quia id totum haberi potest, dum ignis non influit : aut vult omnipotentiam, ignem & se ; & hoc totum habe-

 tur

tur in voluntate impeditiva ignis ab actione; & prætereà hinc fieret, ut divina voluntas esset forma determinativa effectus, & causæ, adeoque esset forma actionis: at certe mirum est, ut actionis modum elimines, in munus illius velle divinam voluntatem advocare. Superest ergo, ut velit actionem à causa, & effectu distinctam.

Dices 4. Causa est in priori non solum ad effectum. sed etiam ad actionem ab ipsa dependentem. atqui non est in priori ad actionem per actionem; aliter actio esset in priori ad se ipsam. ergo vel per aliam prioritatem distinctam; atque ita ibitur in infinitum; vel per se ipsam; atque ità poterit per se ipsam esse prior effectu.

Causa in priori potest accipi materialiter, & specificativè; & sic constituitur prior per suam entitatem; id enim quod est prius effectu, non est, nisi entitas causæ; & potest accipi formaliter, ac reduplicativè; atque ità constituitur prior actione per ipsam actionem, seù causans actionem per ipsam actionem tamquam per causandi non principium, sed exercitium. ex hoc autem non sequitur actionem esse priorem actione, imo oppositum; ut ex hoc quod intellectio constituat intelligentem, non sequitur quod intellectio sit intelligens, sed oppositum. Ratio est, quia numquam forma denominans concretum, accipit, aut potest accipere rationem concreti, quod importat in recto subiectū ab ea contradistinctum.

Neque vero potest pariter effectus se ipso constituere causam suam priorem se; ut enim actio essentialiter addicitur causa, & per hoc alio exercitio non indiget, ut pendeat à causa, non ita effectus, qui supponitur indifferens. Quod autem à quibusdam urgetur, peti à nobis hac responsione principium, quatenus perindè est dicere, actionem pendere essen-

tialiter ab hac determinata causa, ac pendere sine actione intermedia, de quo est quæstio. Hoc, inquam, quod urgetur, nihil valet; nam illa duo non sunt idem formaliter: & si essent, utriusque veritas est consequens ad dicta; cum enim ex una parte non sit procedere in infinitum: ex altera teneamur admittere determinativum indifferentiæ, quæ est in causa, & effectu, oportet consequenter, ut hoc statuamus omninò determinatum, & affixum essentialiter causæ huic, & huic effectui.

Sed hic oppones argumentum, cui magnopere non ita pridem fidebant Neoterici quidam, & quo uno putabant omnem modum excludere. Si actio causæ secundæ specialis entitas esset, à Deo solo causari ea non posset; adeoque huius entitatis esset Deus causa partialis ex necessitate. Sequela, quæ admittitur, sponte sua repugnat; quia ex terminis ipsis videtur absurdum, ut Deus sit necessariò causa partialis, quæ importat inadæquationem, & insufficientiam virtutis. Conf. quia non minus Deo videtur repugnare causalitas, ista partialis, quam causalitas mediata Durandi.

Sed primò hoc argumentum non pugnat contra actionem creativam, nec contra modos omnes, qui juxta communiorem sententiam creari possunt. Deindè pugnat contra actus vitales, & liberos intrinsecè tales: qui quidem si à solo Deo fierent, nec vitales, nec liberi essent: adeoque nec essent, si intrinsecè, & ex sua essentia sunt tales.

Directè dico, Deum si minus formaliter, saltem eminenter esse posse causam adæquatam actionis eductivæ manantis à causa creata, quatenus quidquid ponitur per ipsam, potest adæquatè poni à solo Deo. Quod autem ea eductio à solo Deo esse non possit, tantum abest, ut spontè sua repugnet, ut oppositum repugnet evidenter; quid enim manifestius im-

possibile, quam ut hoc, quod est effectum fieri à Deo, & creatura, sit effectum fieri à solo Deo? quare potentia hæc adæquata Dei ad ponendam se solo talem actionem est potentia chimerica, cuius proindè defectus non potest Deum constituere imperfectum. imò eius carentia fundatur in ipsa potentia, qua potest efficere secundum agens in se ipso productivum: quo posito, jam est necesse, ut exercitium commune Deo, & secundo agenti non possit esse solius Dei.

Ad hæc contingit dupliciter causam esse insufficientem ad ponendum se sola effectum. 1. ex magnitudine perfectionis in effectu repertæ, quæ tanta est, ut eam non possit causa per se adæquare, & propterea indiget consortio alterius. Atque hæc insufficientia manifestam imperfectionem involvit. 2. ex aliqua essentiali affixione huius ad hoc orta ex imperfectione ipsa entitatis affixæ; atque hæc insufficientia nullam in suo conceptu imperfectionem importat.

§. II.

Distincta est pariter causalitas efficientis increati.

ID primum probo de actione eductiva, qua creatus effectus pendet à Deo agente aut se solo, aut simul cum causa secunda. Quamvis enim indifferens creatura non sit, ut pendeat, necne à Deo; est tamen indifferens, ut pendeat hoc, vel illo genere dependentiæ, inadæquatæ nim. vel adæquatæ, eductivæ, vel creativæ. quod est satis, ut, dum uno modo pendet, per distinctum influxum pendeat. neque enim potest per suam essentiam omnibus iis modis pendere, ut constat; neque uno; si enim adæquatè per se à Deo penderet, non posset

na-

naturaliter saltem à creatura pendere inadæquatè: si verò inadæquatè, aut eductivè, aut creativè: ex alterutro autem admisso fit, ut non possit vel adæquatè educi, vel adæquatè creari.

Porrò eiusmodi divinam actionem ab actione creaturæ non distinguo; & quia nulla est distinctionis huius necessitas; & quia cum effectus sit indivisibilis, & indivisibiliter à causis prima, & secunda pendeat, congruentius est, ut pendeat per unicam actionem ab utraque manantem. & quia melius hac ratione salvatur physicum Dei dominium non modo in effectus, sed & in ipsas actiones causæ creatæ, si hæ statuantur immediatè ab ipso profluentes.

Probo id ipsum de actione creativa non solum ea, qua creantur miraculosè, quæ naturaliter possunt educi, ut accidentia Eucharistica, in quibus cum sit indifferentia entitativa ad utramque actionem, consequens ex dictis est, ut ab utraque distinguantur, verum etiam de ea, qua creantur, quæ petunt creari, nec possunt educi, ut Angelus, & Anima rationalis. suppono enim fieri posse, ut creatura secundum potentiam obedientialem elevetur ad creandum. quare licet unica principalis causa creativa sit Deus, quia tamen potest is ad arbitrium uti ad hoc ipsum creatura, ut instrumento, fit, ut Angelus, & Anima essentialem indifferentiam habeant, ut creentur vel à solo Deo, vel à Deo adhibente consortium creatæ virtutis; adeoque per distinctum à substantiis suis modum creationis producantur necesse est.

Unum est, quod negotium non exiguum facessere in hac re videtur, desumptum ex difficultate, aut etiam impossibilitate assignandi subiectum, cui creatio, forma scilicet juxta nos modalis, & accidentalis insit. Neque enim tale subiectum potest esse Deus, quod propter

summam essendi actualitatem formæ capax non est: nec terminus ipse creatus; omne enim subiectum accidentis natura est ipso prius: atqui terminus creatus non potest esse prior natura actione sui creativa; aliter esset; antequam fieret. ergo nec potest esse illius subjectum. Quod conf. ex eo, quod superius dictum est, modum nullum posse creari. quare creatio etiam, modalis entitas, non creabitur, sed educetur, adeoque à termino suo pendebit à priori. ex quo fiet, ut terminus sit futurus in priori ad se ipsum; quia quodcumque est causa actionis, est causa termini per actionem producti.

Resp. terminum esse subiectum actionis creativæ, sed non causam eius materialem: quod sub aliis terminis Recc. dicunt, esse subjectum non inhæsionis, sed adhæsionis, non sustentationis, sed informationis. & quamvis termino suo essentialiter creatio affigatur, hoc non est tamen ab eo pendere, sed cum eo tantum connecti. Neque dicas, proprium esse cuiuslibet accidentis inhærere. Accidens enim qua tale solum habet, ut sit entis ens, adeoque ut sit extra conceptum primum, constitutionemque substantiæ, utque ad substantiam ordinetur, sitque natura, & cognitione substantia posterius: quæ omnia reperire sine dubio est in modo creationis. At vero inhærentia, ut sustentationem importat, de conceptu accidentis non est; quamvis sit de accidentis conceptu, ut significat informationem primæ rei in suo esse jam constitutæ.

Ad conf. dico, nullum modum posse creari ut quod, & cum hoc stare, ut aliquis modus creetur ut quo. nec est par ratio repugnantiæ in utroque. Quod. n. ubicatio v. g. creari non possit ex eo est, quia cum sit essentialiter affixa subiecto suo, quæcumque actio ipsam ponat, necessariò ipsam intendit affige-

rè subiecto, & verò independenti ab ipsa, h. e. non posito per ipsam. atqui hoc est formalissimè educi. At creatio ita est via ad terminum suum, & ita ponitur in ipso; ut hic sit positus formaliter per ejusmodi actionem. quare non potest à tali subiecto realiter ullatenus dependere, cum illud non possit supponere in priori ad se.

CAPUT VI.

Utrum causa certos effectus intra suam speciem sibi determinet.

A Virtute, & causalitate efficientis ad eiusdem effectum pergo.: & primum inquiro, an sit cuique causæ certa effectuum series intra speciem suam, ultra quam nihil possit intrà speciem eandem. est enim solemnis circà hoc Thomistarum sententia, quæ duo asserit 1. quod effectus ab hac causa genitus, Sortes nim. à Caio, ab alia numero distincta causa, e. g. à Platone generari non potuisset. 2. quod effectus genitus est hic numero, quia ab hac causa sub his circumstantiis non potest naturaliter alius effectus emanare; quia effectus cuique causæ correspondentes certum inter se ordinem secundum prius, & posterius servant. Equidem cum sententia communiore reliquorum utrumque falsum censeo.

Dico 1. Causa naturalis intrà suam speciem nullum sibi certum effectum determinat, sed æquè potens in singulos est.

Prob. eadem virtus, quæ requiritur ad producendum unum hominem, satis est ad producendos reliquos, cum ità inter se assimilentur, ac differant duo homines, ut omnes. ergo non potest causa hos sibi effectus præ aliis determinare intrà speciem eandem. Conf. 1.

homo generans aut agit in quantum homo: & sic cum æqualiter omnibus assimiletur, æquè omnes generare potest, vel agit in quantum hic homo: atque hoc dici non potest; quia ratio individualis cum sit ratio dissimilativa, non potest esse ratio agendi, quæ agit scilicet, ut assimilet. & si hoc detur, adhuc sequitur, æqualiter posse in omnes, cum æqualiter dissimiletur ab omnibus. Conf. 2. nulla est ratio specificativa coadunans hos homines sub ista serie, ut correspondeant huic potius generanti, quam alteri. quæ enim illa sit? non ratio hominis, non ratio huius hominis, ut ex dictis modò constat: non ratio ipsa seriei; quia hæc assignari non potest citra evidentem petitionem principii. series enim aliud non est; quam ordo effectuum potentium successivè prodire ab hac potius, quam ab alia causa. atqui hic ordo nisi probetur per aliud prædicatum, quam per seriem, assumitur idem ipse in sui probationem.

Dico 2. nullus est in effectibus unius causæ ordo prioris, & posterioris ex natura rei.

Ratio est ex modò dictis; quia iste ordo non est à natura causæ secundùm prædicatum specificum, quo omnes effectus suos æqualiter respicit; nec secundum prædicatum numericum, quo nullos respicit. Nec est, quod recurratur ad circunstantias loci, & temporis, quas scilicet nullatenus pertinere ad rem intrinsecè individuandam, patebit in metaphysicis, & ab ipsis Thomistis admittitur.

Dico 3. nec ipsa causa libera creata potest hūc effectum numero præ aliis sibi determinare.

Prob. non potest eligere inter multa, qui ea non discernit. at voluntas non discernit inter individua amoris, aut odii. ergo non potest unum præ aliis eligere. Et quidem amorem præ odio voluntas eligit, seù determinat, quia cognoscit obiecto amorem potius, quàm

odium

odium deberi ; atque ita amorem odiumque suum in obiecti amabilitate, atque odibilitate discernit. at nullum est in obiecto meritum huius potius, quam alterius actus in individuo. quare cùm voluntas nullatenus hoc amoris individuum ab alio secernat, hoc præ alio libertate sua determinare non potest,

Ob. 1. In hac sententia nulla datur ratio per se, cur ab eadem causa plures effectus tali ordine procedant : sed recurritur ad merum arbitrium causæ primæ ; quod non est dignum Philosopho ; & prætereà constituitur natura rerum valdè imperfecta.

Resp. recursum ad Deum in casu esse necessarium. quod si indignum non est ponere in rebus omnibus necessitatem dependentiæ à Deo, cur non etiam, ut ab eius electione recognoscamus omnes, quod sumus, ut simus scilicet uni ipsi debitores? Rerum verò natura ab adversariis certe imperfectior constituitur, dum ad certos effectus arbitrariè limitatur.

Obiic. 2. si homo generans non sibi certos effectus determinaret, quos respiceret sub ratione talis hominis, specificativum potentiæ ipsius generativæ non esset talis homo, sed homo. atqui hinc fit, ut possit etiam generare se ipsum, cum potentia universim se possit extendere ad ea omnia, quæ suo sub specificativo continentur.

Urgetur argumentum in adversarios ex eo, quod vel ratio talis hominis accipitur, ut importat rationem vagam individui ; atque ità similiter posse homo generans vim suam exercere in se ipsum. vel accipitur, ut restricta ad Sortem v. g. atque ita non poterit generare, nisi Sortem. Directe ut respondeam, noto, quod sit specificativum potentiæ. potentiam definimus in ordine ad obiectum; & quia sæpè se extendit ad multa, ne ea omnia in definitionem adducamus, abstrahimus ab iis

communem aliquam rationem, in ordine ad quam potentiam explicamus. quare non est aliud potentiæ specificativum, quam ratio collecta ex iis omnibus, ad quæ potest virtutem suam potentia extendere. cum ergò ex dictis quælibet causa univoca possit in reliquos omnes speciei suæ effectus præterquam in se ipsam, consequens est, ut eius specificativum sit non ratio communis speciei, sed simile in specie, & natura.

Obiic. 3. effectus pendet per se à causa sua, sed si ita est ab una, ut æque potuisset ab alia, per accidens omninò est ab illa.

Luditur in voce causæ per se, quæ non accipitur pro ea, quæ producit cum addictione, & determinatione ad unum, ut putat arguens; sed pro ea, quæ verò, & physico influxu effectum producit; ut contrà causa per accidens ea dicitur, quæ non influit, sed accidentaliter coniungitur cum causa influente.

Obiic. 4. adversus tertiam conclusionem, ex qua consequens est, ut Deo uni tribuatur determinatio actus liberi, adeoque etiam peccaminosi in individuo: quod est facere Deum causam peccati determinantem, & consequenter authorem.

Nego sequelam, determinat peccatum in rigore, qui malum præ bono eligit, non qui malum præ malo eiusdem plane malitiæ; sic enim nulla malitia specialis potest ipsi in veritate tribui.

Instabis. Deus determinat ad individuationem actus mali; ergo & ad speciem ab individuatione penitus indistinctam.

Ut intelligas, qua ratione voluntas creata determinat speciem actus, Deus vero individuationem sine ulla distinctione individuationis à specie, finge tibi propositos duos cumulos pecuniarum, unum ex argento, alterum ex auro cum ea optione, ut possis ad arbitrium ex

al-

alterutro nummum unum ſeligere; ſed tamen ita ut ex aureis æqualibus unum poſſis nummum A, ex æqualibus argenteis unum B. Jam ſi aureum præ argenteo eligis, determinatio quoad ſpeciem à te eſt; quoad individuum ab altero proponente. Idem dic in caſu. propoſito voluntati obiecto, quod non ſit ex neceſſario volibilibus, quodque poſſit propterea amorem, & odium terminare, ex cumulo amorum, odiorumque, in quæ poteſt voluntas erumpere, decernit Deus unum, & alterum, ut ſi velit amare, hoc amore amet; ſi malit odiſſe, hoc odio. Id ipſum eſt, voluntatem ad ſpeciem, Deum vero ad individuum determinare. Hinc ad formam argumenti diſt. conſequens; ergo ad ſpeciem huius actus in individuo, conc. conſequentiam: ad ſpeciem omnis actus, quaſi ex vi determinationis ipſius exiſtat actus ex collectione amorum potius, quam odiorum, nego conſequ.

CAPUT VII.

An poſſit idem effectus à duplici ſimul cauſa totaliter influente procedere.

SI ſermo ſit de potentia ordinaria, & juxta naturæ leges, reſolutio negativa eſt communiſſima. & ratio eſt primò à priori; quia tota vis naturalium agentium ordinatur præcisè ad explendam indigentiam. atque inſufficientiam effectus; unde ſuperfluum in natura illud dicimus, quod eſt ultra neceſſitatem. atqui effectus una dumtaxat cauſa indiget totaliter influente, ut habeat eſſendi ſufficientiam. altera ergo ſuperfluit, adoque eſt per naturam impoſſibilis. 2. à poſteriori; conſtat enim ab experientia, ſi plura agentia ſufficientia in actu primo confluant ad eiuſdem effectus poſitionem, minus conari, minuſque laborare, & effe;

effectus sit indivisibilis; ut dum plures concurrunt ad ferendum idem pondus: si verò effectus sit indivisibilis, & capax latitudinis secundum magis, & minus, producere effectum perfectiorem: ut dum plures lucernæ applicantur ad illuminandum eundem aerem. Signum igitur est, non ferre naturam, ut idem effectus indivisibilis sit à pluribus causis totaliter influentibus.

Si autem sit sermo de potentia Dei absoluta, affirmativa inter nostros Recentiores est jam communis post Suarium disp.26. met.sec.4. Dissentit cum omnibus suis Scotus in 1.d.2. q.5. & in 3.d.1. q.2. De mente D. Thomæ non constat; quamvis enim 1.p.q.52.ar.3. ut probet duos Angelos non posse simul esse in eodem loco, in medium assumat hoc principium, *impossibile est, quod duæ causæ completæ sint immediatæ unius, & eiusdem rei*; loquitur tamen, ut ait ibi Cajet. de potentia naturali propter superfluitatem, non de logica propter contradictionem. & 5. met.lec.2. dum ait, *impossibile esse, quod eiusdem secundum idem genus sint multæ causæ per se in eodem ordine*, potest facilè intelligi de impotentia naturali: & quod addit huic loco Goudinus, rationes convincere impossibilitatem absolutam, loquitur de rationibus à se, non à S. Doctore adductis.

Probatur jam nostra resolutio sic. Quotiescumque in aliquo subiecto est capacitas naturalis, & exigentia disiunctiva plurium, possunt illa plura in eodem colligi divinitus, & copulari, si aliam inter se repugnantiam non habent, nisi hanc unam, quod unumquodque est expletivum exigentiæ naturalis subiecti. Atqui effectus & habet disiunctivam exigentiam plurium causarum totaliter influentium, cum possit à pluribus seiunctim produci, nullamque sibi de sua natura determinet: & tota ratio, cur pugnent totales actiones, ex hoc uno est desumenda,

quod

quod unaquęque seorsim est expletiva totius insufficientiæ, atque indigentiæ effectus. ergo possunt divinitus plures causæ totaliter influentes coniungi in eiusdem effectus productione. major prob. 1. inductione; ex hoc enim & plures formæ substantiales eandem materiam divinitus informare & plures calores ut octo eundem ignem afficere, & plura corpora eundem locum implere, & idem corpus pluribus locis circumscribi potest: quæ omnia Scotistæ, quibuscum præcipue agimus in præsenti, concedunt; nec potest instantia in contrarium afferri. secundò à priori. quia in tali casu non est superanda contradictio, sed superfluitas, quæ habetur ex effectu, ad quem ponitur, aliunde jam præstito; & hæc quidem non essentialis, sed naturalis; quia plura illa expletiva per accidens coniunguntur, nec unum habet de sua natura supponere alterum.

Obiic. 1. cum Scoto. A nullo aliquid dependet essentialiter, quo non existente, nihilominus esset. Sed alterutra ex iis causis non existente, effectus esset. ergo alterutra non esset causa; quod contradicit conclusioni asserenti, utramque esse causam.

Maior assumit conceptum causæ præcisæ, qua, si esset conceptus causæ, ut est communis etiam sufficienti. quare nihil concluditur.

Instauratur tamen argumentum, assumendo hunc conceptum causæ sufficientis, quod sit illa, qua remota, & nulla alia viee ipsius de novo suffecta, effectus non esset. quod si hic conceptus causæ sufficientis negetur, nihil est, cur negemus quodlibet de facto à quolibet dependere.

At neque hic conceptus est causæ sufficientis, qui hoc uno positivo absolvitur, quod sit illa, quæ tribuit effectui sufficientiam essendi. declarat autem tradita notio id, quod est tali causæ connaturale; quod est in causa, cur de facto

quod-

quodlibet à quolibet procedere non dicatur; miracula enim non assumenda sunt, sed probanda.

Obiic. 2. Duæ causę totaliter influentes agunt, quantum possunt. sed possunt ponere duos effectus distinctos. ergo ponunt duos effectus. aliunde supponitur, quod ponunt unum. ergo ponunt unum, & non unum effectum.

Negatur consequ. committitur enim fallacia figuræ dictionis; quia mutatur quantum in quid. in maiori dicuntur causæ agere, quantum possunt, hoc est totaliter: quod potest contingere circa eundem, & circa diversum effectum. in minori vero dicuntur posse distinctos effectus: quod non pertinet ad quantum, sed ad quid possunt.

Obiic. 3. quod non indiget causa, non pendet à causa. effectus non indiget duplici causa. ergo non pendet à duplici causa. maior prob. ideò enim Deus à nulla causa pendere potest, quia nullius potest indigere.

Maior est vera, si nulla sit penitus in re causæ indigentia; sic enim excluditur essentialiter & una causa, & omnis causa; ut videre est in Deo. at si in re sit indigentia causæ, sed non determinata huius causæ, potest dependere ab hac causa, etiam dum sufficientiam accipit ab alia, ut potest materia expleta per unam formam accipere simul aliam, & ab una expleri secundum indigentiam, ab altera secundum capacitatem. tantò magis, quod indigentia effectus confundi non debet cum ejusdem dependentia; indigentia enim est ipsa entitas effectus sibi insufficiens, & respicit dependentiam ut terminum, non ut constitutivum.

Obiic. 4. Adæquatum in ratione, qua est adæquatum, non potest ulterius adæquari. at quælibet totalis actio in sua ratione est adæquata. ergo non potest in productione ejusdem effectus adæquari per aliam.

Argu-

Argumentum bellè concludit, sed non ad rem; neque enim una actio totalis adæquat aliam, quasi suppleat, quod illi deest in ordine ad dandam effectui sufficientiam; sed unaquæque manens in sua totalitate, & adæquatione simul confert effectui idem esse.

Obiic. 5. Actio ex sua essentia habet, ut sit exercitium, adeoque medium communicandi esse effectui. atqui medium est impossibile, ubi deficit finis. ergo ubi effectui non potest communicari esse, non est possibilis actio. atqui effectui habenti esse per unam actionem, non potest amplius esse communicari; non enim accipi potest, quod jam habetur. ergo.

Nego min. subsumptam. Neque enim per alteram actionem esse communicatur, quod jam habetur: siquidem jam haberi esse, importat, effectum in priori habere esse; at in priori ad quamcumque actionem nullum esse habet effectus. quare plures illæ actiones haberent se merè comitanter, quamvis detur, quod una alteram tempore supponat: hæc enim suppositio est omninò per accidens ad tribuendum esse in hoc instanti.

Obiic. Ideò naturaliter pugnat, effectum unum duplici totali actione produci, quia repugnat naturæ authorem frustra, & imprudenter operari, hoc est adhibere ad consecutionem finis medium prorsus inutile. atqui hoc idem militat in duplicem actionem in quocumque ordine, quia in quocumque ordine impossibilis est Deo imprudens operatio.

Resp. actionem quamlibet esse utilem, quia ita tribuit effectui sufficientiam existendi, ut alia remota, effectus existeret. Sed hæc utilitas per naturam, quæ soli consulit necessitati effectus, impossibilis est, & possibilis Deo operanti ultra meritum, & exigentiam naturæ, adeoque non necessitatem, sed abundantiam respicienti.

Obiic. 7. Hæc sententia ponit possibilitatem mu-

mutuæ prioritatis. ergo est chimærica; chimæra enim est, quodcũq; inducit possibilitatem chimerę. antecedens prob. Fingamus calorẽ produci adæquatè ab igne, & Sole, jam non repugnat, aut calor in eodem instanti producat ignem. ideò enim præcisè repugnat, quia non potest intelligi calor existens, quando non intelligitur existens ejus adæquata sufficientia ad essendum, quæ est ipse ignis, à quo producitur. at licet non intelligatur ignis, potest intelligi calor existens à Sole. ergo poterit ex hoc capite producere calor ignem, à quo producitur.

Hoc argumentum utcumque à quodam Recentiore appelletur demonstrativum, certe rem ipsam non tangit, nec resolutionem nostram ullatenus impugnat, in casu enim mutuæ prioritatis, qui describitur in argumento, actiones totales productivæ caloris se haberent invicem cum ordine prioritatis; nam si calor ut à Sole productus producit ignem, manifestum est, quod actio Solis sit in priori ad ignem, adeoque ad actionem ignis, & quidem necessariò; aliter intelligi non potest, quo pacto ignis mutuò à calore producatur. at verò hypothesis, quam propugnamus, est de actionibus totalibus non subordinatis. Deinde falsum est, quod mutua prioritas ex eo præcise capite, quod innuitur in argumento, & quo pacto ab hoc authore proponitur, repugnat. potissimum enim ex eo manifestam contradictionem implicat, quia idem daret sibi essendi sufficientiam; ut q. 2. ostensum est, & habet locum, etiamsi aliunde supponamus effectum habere sufficientiam essendi; ut melius ex dicendis sequenti capite constabit.

CA-

CAPUT VIII.

An possit idem esse causa efficiens sui ipsius.

CUm omnis res creata, & contingens sit sibi insufficiens ad essendum, adeoque essentialiter indigeat aliquo à se contradistincto, à quo ejusmodi sufficientiam accipiat; evidens apud omnes est, non posse idem esse causam sui efficientem tanquam id, quod primò dat sibi esse, seu per modum primæ productionis. sed tamen Suarius de Euch. disp. 49. & 50. putat, posse idem elevari ad producendum seipsum per modum secundæ productionis, hoc est per productionem, quæ necessariò supponit sufficientiam effectus ab alia causa, & actione adæquatè jam præstitam. Suarium sequuntur Tellez, & Arriaga, aliique non multi, in quos pugnat communis sensus reliquorum, quibus, & ipse assentior.

Non est tamen ita facile solidam repugnantiam afferre, quæ sui in se actionem expugnet. Hæc solent communiter afferri. 1. est evidens inter producens, & productum esse distinctionem; ex quo capite in divinis Patrem à Filio distinguimus. si quid se produceret esset prius, & posterius se ipso. 3. nemo esse potest Pater, aut Dominus sui. ergo nec sui causa. 4. causa materialis non potest seipsa sustentare. ergo nec potest efficiens seipsa producere. 5. actio essentialiter otiosa est actio chimærica; ut enim in ordine naturali superfluum naturaliter repugnat, ita superfluum in omni casu repugnat in omni casu. atqui secunda actio in omni casu superfluit, ponitur enim ad dandum esse effectui (& hic est finis intrinsecus actionis) quod necessariò in priori supponit datum; adeòque essentialiter est actio otiosa. ergo est actio chimærica.

Ad hæc ità respondent adversarii. ad 1. actionem primam infallibiliter arguere distinctionem causantis à causato; non secundam: quæ tamen cum superflua sit, & naturaliter impossibilis, locum in divinis non habet. Ad 2. negant inconveniens esse, ut idem quatenus existens per actionem extrinsecæ causæ sit prius se ipso ut producto per secundam actionem: & oppositum assumere est assumere sine probatione punctum præcipuum quæstionis. Ad 3. & 4. eæ sunt deductiones ad impossibilia disparata; aut enim eadem est ubique ratio, & omnia adversarius concedet: aut specialis in iis est repugnantia; & dabitur disparitas. 5. efficacius procedit; neque Arriaga satisfacit, dum ait posse Deum ex potestatis suæ plenitudine otiosum etiam efficere; quia non distinguit inter otiosum quomodocumque, & otiosum essentialiter, quod est scilicet natura sua ordinatum ad præstandum, quod in priori ad se præstitum præsupponit.

Aliter tamen ego communis hujus assertionis probationem conficio. sed prius adverto, actionem, qua idem produceret se ipsum, esse, & dici secundam, non quia tempore, sed quia natura sequitur primam. ita ut sine hac esse nullatenus possit. Ratio est evidens; cum enim omnis actio supponat essentialiter causam, à qua est, jam constitutam in proxima sufficientia ad dandum esse, consequens est, ut actio illa secunda supponat principium suum, quod coincidit cum suo termino, jam existens, & non à se, sed ab alio.

Assumo nunc conceptum actionis, qui est; ut sit exercitium causæ tribuentis effectui sufficientiam essendi. de hoc non disputo; quia est notio communissime asserta: & si quis aliud nomine actionis intelligeret, ad arbitrium loqueretur. Hinc est adæquata divisio actionis in totalem, & partialem. totalis est, qua una esse-

effectus accipit ſufficienter eſſe, ita ut alia quacumque actione circumſcripta, adhuc in eſſe perſeveret per ipſam, partialis actio eſt, quæ ſola non ſufficit, ut ſit effectus, ſed ſufficit, ſi alia illi adiungatur actio partialis. ſic actio ſpeciei impreſſæ in cognitionem partialis, eſt quia ſola ſpecies non præbet cognitioni, ut ſit: præbet autem cognitioni, ut ſit ſimul cum intellectu, cum quo unam integrat ſufficientem cauſam cognitionis. Quod autem hæc diviſio actionis ſit adæquata, deſcendit ex ipſa notione actionis; aut enim exercitium dandi eſſe eſt ex toto ſufficiens effectui, ut ſit, aut ſufficiens ſolum ex parte, aut nullo modo ſufficiens. ſi detur primum; habetur actio totalis: ſi ſecundum, habetur actio partialis; ſi tertium, nulla habetur actio, quæ eſt ipſa actualis ſufficientia.

His poſitis, ſic arguo. Actio ſecunda, qua idem influit in ſe ipſum, neque eſt actio totalis, neque partialis. ergò nulla eſt actio antecedens prob. et primo quod non eſt actio totalis: totalis enim actio ex dictis ea eſt, quæ ſola ſufficienter ponit effectum, ita ut, alia quacumque actione remota, vi una ipſius effectus ſit, atqui ſecunda actio eſt talis, ut ſi prima removeatur, effectus non poſſit perſeverare. ergò non eſt actio totalis ſecundò, quod non eſt actio partialis; ita enim cum alia partiali actione poſſet unam totalem adæquare; atque adeo poſſet effectus creatus ſe ipſe producere per modum primæ productionis partialis: quod eſt impoſſibile; cum ſit evidens, effectum omnem contingentem indigere neceſſariò cauſa diſtincta adæquatè influente, ut accipiat eſſendi ſufficientiam.

Totam argumenti vim clarius, & brevius ſic colligo. Nihil poteſt dare ſibi ſufficientiam eſſendi. ergò nihil eſt in ſe agere. antecedens prob. (nam conſequens conſtat ex notione actio-

actio-

actionis) aut enim totalem sufficientiam sibi tribueret; atque ita nulla alia actione indigeret; aut partialem; atque ita solum indigeret actione partiali: ex quo utroque sequitur idem esse causam sui primò productivam.

Ut melius rationis robur appareat, illud obiicio. Ita prærequiritur actio prima ad secundam, ut ad actionem productivam effectus actio conservativa causæ. sed ex hoc, quod remota actione causam conservante, removeatur productio effectus, non sequitur productionem effectus non esse sufficientem. ergo ex hoc, quod removeatur actio secunda, remota prima, non sequitur secundam in suo saltem ordine non esse sufficientem.

Resp. ubi causa, & effectus distinguuntur, actionem productivam effectus esse sufficientem; quia si sola ipsa per possibile, aut impossibile intelligatur permanere, effectus habet totum id, per quod sufficienter perseveret in esse. sed actio conservativa causæ, quamvis per se requiratur, non est tamen ea, qua formaliter effectui sufficientia tribuitur. quare ipsa remota, non sequitur per locum intrinsecum remotio effectus. hinc dicimus effectum à sola sui immediata productione accipere formaliter essendi sufficientiam, quamvis ad hanc alia prærequirantur, non quæ formaliter dent sufficientiam, sed sine quibus formalis sufficientia non datur. At vero si præcisè removeas actionem primam effectus productivam, removes eo ipso effectum: & si fingas solam remanere secundam, per locum intrinsecum sequitur utrumque, & quod effectus maneat, & quod non maneat. signum ergo est à sola prima actione effectum accipere sufficientiam, & nullatenus à secunda: quod erat probandum.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA

De Causis Finali, Exemplari, & per accidens.

CAPUT I.

Quid sit causa Finalis, & quotuplex, quæque ejus causalitas in actu primo, & secundo.

SEcernendus primò est finis à finali causa; ista enim duo non reciprocantur, cum omnis causa finalis sit finis, non tamen omnis finis sit causa item finalis. Deus certe amoris sui necessarii est finis, non finalis causa; repugnat enim Deo habere causam. Finis ergo universalissime acceptus definiri potest, *Cujus gratia aliquid est*. Finalem causam definit Philosophus, *Cujus gratia aliquid fit*. Solent autem ista duo, ubi propter materiam, de qua agitur, diligentius distinguenda non sunt, communiter confundi.

Dividitur finis in communiter, propriè, & propriissimè dictum. Primo modo est quodlibet volitum, ut voluntas videndi habet pro fine visionem, sive hanc referat ad aliud, sive non referat: qua ratione media quoque fines appellari possunt. secundo modo dicitur finis quodcumque volitum, propter quod aliud est volitum, quamvis ipsum etiam sit volitum propter aliud; quæ est ratio finis intermedii. tertio modo dicitur finis, propter quem aliud est volitum, & ipse propter aliud non est volitum; quæ est ratio finis ultimi, & rigorosi. Hinc Avicenna 1. Suffic. ait, quod *finis verus est, qui intenditur propter se, & propter quem cætera appetuntur*. & Philosophus 2. met. t.c. 8. *ipsum, cujus causa, finis. tale autem est, quod non est alterius gratia, sed ejus causa cætera.*

Rur-

Rursum finis alius est, quo per actionem acquisito, cessat motus: qui alio nomine dicitur. Finis qui. alius est, in cuius commodum laboratur, qui & dicitur Finis cui. Primi generis est sanitas: secundi generis est æger ipse, cui sanitas quæritur. prior finis terminat amorem concupiscentiæ: posterior amicitiæ. sub fine qui constituendus est finis quo, qui est scilicet acquisitio ipsa, & possessio finis qui, ut acquisitio, & possessio sanitatis. De his omnibus fusius, & accuratius in Ethicis.

Jam vero accedendo propius ad finis causalitatem, quæ una est huius loci, dico eam posse accipi in actu primo pro virtute finalizandi, & in actu secundo pro ipso finalizandi exercitio.

Dico nunc 1. Actus primus causativus finis est eiusdem realis bonitas respectiva, ut per cognitionem repræsentata; sed cognitio tamen repræsentans non se habet ut motivum, nisi solum ut quo, & per modum conditionis applicantis.

Ad evidentiam dicti, illud noto ex dicendis in Ethica, motivum voluntatis esse bonum non absolutum, sed respectivum; neque enim amatur, quod in se bonum, & perfectum, sed quod amantis bonum, & perfectivum. Jam vero cum tota finis causalitas in eo sit, ut appetitum moveat ad amandum, & agendum in ipsius consecutionem: consequens est, ut ea sit finis in actu primo causalitas, quæ sic potest appetitum allicere; & movere. atqui manifestum est, solam bonitatem finis, non vero eius cognitionem ita impellere; quia nemo movetur ad quærendam finis cognitionem, quam habet, sed finem ipsum, quem non habet.

Id ipsum magis intelliges ex diverso modo, quo intellectus, & voluntas respiciunt motiva sua, ille verum, hæc bonum. intellectus enim non trahitur ab obiecto, sed illud ad

se

se trahit, producendo in se intentionalem ipsius imaginem, in qua una quiescit. at voluntas trahitur ipsa ab obiecto, tenditque ad se coniungendam non imagini obiecti, sed ipsi obiecto secundum suam realitatem. hinc præclarè Philosophus 6. met.t.c.8. dixit, verum & falsum esse in anima: malum vero, & bonum in rebus. sic in exemplo sanitas cognita quietat intellectum, sed voluntatem non quietat sanitas amata, sed possessa. Ex hoc fit, ut vis finalis motiva voluntatis sit realis bonitas, aut quæ talis in se sit, aut quæ talis appareat: cuius tamen realem, non imaginariam adeptionem voluntas per suum amorem inquirat.

Dicò 2. actualis causalitas finis, seù finalizatio est actio ipsa, qua voluntas per amorem ipsius finis elicit amorem medii; quæ quidem actio utrumque respicit essentialiter, voluntatem, & amorem finis, ut id à quo est. finem ut id, ad quod dirigitur voluntatis operatio.

Antequam probo conclusionem, adverto fuisse quorundam sententiam, finis causalitatem esse nobis penitus ignotam. Alii volunt esse causalitatem metaphoricam, quæ in eo unice sita sit, quod finis per cognitionem exhibeat se voluntati, eamque invitet, & alliciat ad sui amorem. Alii nescio quid reale imprimi putant voluntati à fine, in qua impressione finis causalitatem constituunt.

Ex his dicendi modis primus, qui nos ad ignorantiam compellit, reiicitur ex iis, quæ ad istam causalitatem declarandam afferemus. Secundus est insufficiens; finis enim est causa, & non semper actu causa. ergo quemadmodum cæteræ causæ ut reducantur ad actum de potentia, aliquid iis de novo superaddi debet; item de fine dicendum. Et quidem hoc, quod est exhibere suam bonitatem

voluntati, pertinet ad primum, non secundum actum finis; cum tota ista exhibitio haberi possit sine actuali motione voluntatis, adeoque sine actuali finalizatione. Tertius plus addit, quam oporteat; quid enim sit hoc actuale additum præter cognitionem, & amorem? certe nec à fine illud est, qui non agit, sed est id, cujus gratia efficiens agit: nec à voluntate, quia dicitur præire motum omnem voluntatis.

Post hæc explico motionem actualem finis, & dico eam consistere in actuali productione amoris mediorũ essentialiter fini præamato addicta, & pendente efficienter ab amore ipsius finis; quæ quidem actio ut respicit amorem, & voluntatem, dicitur actio, ut respicit finem, dicitur finalizatio. Et est rursus inter duas ejusmodi denominationes ordo rationis; prior enim est actione finalizatio., neque obstat identitas actionis; nam & sustentatio eadem est actioni, & tamen prior sustentatione est actio; quia prius est agens dare, quam materiam recipere: & actio procedens à voluntate indivisim, & habitu, prior est, ut procedit à voluntate, quam ut procedit ab habitu; quia voluntas est primum movens. idem dic in fine; quia finis scilicet inter causas est prima, undè & causa causarum communiter nuncupatur.

Est tamen primò, quod opponas. explicari debet causalitas finis in effectum: hæc autem non recte explicatur per actionem productivam amoris medii; tum quia potest, ea posita, non sequi effectus; tum quia amor non est id, quo effectus fit per modum exercitii, sed principii. atqui causalitas finis est exercitium ejusdem circà positionem effectus.

Resp. effectum finis præcipuum, & immediatum non esse, nisi amorem medii, quod unum finalizatur in rigore per hoc ipsum, quod in priori supponat distinctum amorem finis,

nis, ut in Ethicis ostendetur ex ipsa notione finis, quæ est ut sit id, cuius gratia, hoc est, cuius amore aliquid fit. Dicitur autem effectus externus à fine etiam dependere, non tamen immediate, sed mediate, medio nimirum amore mediorum: in qua dependentia effectus à fine involvitur sine dubio dependentia effectus ab amore: sed non fuit in ordine ad hanc explicanda causalitas finis, cum satis sit, si explicetur in ordine ad effectum primarium, & proximum, qui est scilicet amor non finis, sed mediorum à finis amore causatus. Ex quo aliud incommodum vitatur; qui enim finis causalitatem explicant per ipsam actionem productivam exterioris effectus, hanc fini immediatè addicunt: quod probabile non videtur; neque enim satis intelligo, quid circa illam exerceat immediatè finis.

Oppones iterum, explicari causalitatem finis per actionem amoris in amorem. quod est explicare finalizationem per efficientiam, neque enim potest actio amoris in amorem esse causalitas finis, nisi quia amor finis est veluti instrumentum finis ipsius, quo medio tamquam virtute, amorem mediorum finis ipse causat. hoc autem est finalem cum principali causa efficiente confundere.

Resp. ita prorsus esse; quod amorem amor efficit in finis ipsius virtute, cui ultimate omnis causalitas servit: sed non idcirco finem cum efficiente confundi. primò enim virtus efficientis realis est, non intentionalis. 2. efficiens agit in quantum est actu, & in quantum præcontinens perfectiones effectui tribuendas: ex quo fit ut agens sit, & dicatur illud, quod effectum ponit, & à quo effectus esse accipit. at finis per amorem non movet in quantum est actu, & in quantum præcontinet, sed potius in quantum est potentia,

& in quantum præcontinetur: neque est id, quod alteri dat, sed quod ab altero accipit esse. quare tota motio ipsius est mere intentionalis, ut sit, non realis, quia est.

CAPUT II.

Utrum omnia fiant propter finem.

De finis effectu, cuius est post finis causalitatem consideratio, illud in universum quæro, utrum ad omnia, quæcumque fiunt, se extendat, ita ut nihil uspiam sit, quod causam finalem non habeat. Potest autem quæstio procedere tum de effectibus mere naturalibus, qui causam habent non cognoscitivam, tum effectibus à causa cognoscitiva prodeuntibus: quæ rursus est duplex, alia cognoscitiva per intellectum, alia per sensum.

Dico 1. effectus etiam mere naturales sunt propter finem.

Statuit hanc conclusionem Philos. 2. phys. t.75. eamque multis rationibus probat usque ad t.86. seligo nonnullas. Prima sit. quodcumque non fit à casu, fit propter finem. effectus naturales non fiunt à casu. ergo fiunt propter finem. maior est certa, quod enim non fit à casu, fit à consilio: omne autem consilium finem habet. min. prob. quod est à casu, nec semper, nec plerumque contingit idem: res autem naturales semper, aut plerumque eædem. ergo non sunt à casu. & quidem, quod hiberno tempore pluvia, æstate calor ingruat, non casuale est, quia frequens; quamvis oppositum sit casuale, quia rarum. item videmus ex calore semper calorem, ex igne semper ignem procedere, & sic de aliis, agit ergo calor ad producendum calo-

rem

rem, & ignis ad producendum ignem: quod est habere actionis suæ finem.

Secunda fit. Artefacta habent finem, cum omnis artifex operetur per intellectum, & electionem. ergò item naturalia. consequens prob. ars enim omnis aut perfectio est, aut imitatio naturæ. perficit naturam ars, sive quæ ipsam iuvat ad suam operationem, ut medicina, & agricultura: sive quæ struit ea, quæ natura non præstat, ut vestes, & domos. imitatur naturam ars, quæ ponit similitudines quasdam naturalium effectuum, ut ars pingendi, & cælandi. si ergo omnis ars est ad finem, natura, quæ ars est Dei, & ut perfectior artem creatam præit, à fortiori erit ad finem. Adde, quod natura servat in suis operationibus ordinem perinde ut ars; ut enim in constructione domus jaciuntur fundamenta, quibus parietes innituntur, & his tectum; item in arbore ver. gr. perficienda submittuntur radices, supra quas stipes attollitur, quibus frondes quasi tectum superinducuntur. Hinc infert Philosophus, quod si domus esset res naturalis, eodem pacto fieret à natura, ut modo ab arte &: si arbor esset res artificialis, eodem modo perficeretur ab arte, ut nunc à natura. Concludit demum, quod si ex ordine, quem perspicimus in artefactis, arguimus artem dirigi ad finem, ex ordine potiori, quem deprehendimus in naturalibus, arguendum, ad finem etiam naturam agere.

Tertia ratio est retorsio argumenti, quo veteres Democritici utebantur ad probandum naturam non agere ex fine, quasi sic nunquam aberraret: constat autem eam sæpe aberrare. Imo vero, inquit Philosophus, ex hoc ipso, quod erat, convincitur habere finem. omnis enim error est per hoc, quod devietur à fine intento. Sic dicitur errare medicus, dum pharmacum non aptum ad sanitatis restitutio-

tutionem propinat: errare Philosophus, dum ad veritatem non collineat &c. Si ergo natura errat, evidens signum est, aliquem ipsi esse propositum finem.

Dices. impossibile est, ut agens tendat in finem, quem non cognoscit; quare qui clausis oculis ambulat, ad quemcumque locum appellat, casu appellit. atqui agens naturale finem non cognoscit. ergo non tendit in finem, dum agit.

Resp. ex hoc ipso convinci esse aliquam universalem causam omnes omnium causarum fines præcognoscentem, in eosque omnia dirigentem; ut enim sagittarius in scopum inspiciens sagittam eò dirigit, ac proportionatum illi impetum imprimit, quo scopum attingat; sic Deus naturam unicuique dedit, qua rectà ad suos fines pergerent, etiam non prævisos. & hoc est, quod ait sæpè Aristoteles, hominem agere propter finem; cæteras naturales causas agi potius, quam agere, in quantum à superiori intelligentia ad suos quæque fines diriguntur; atque hinc dici vulgò solet opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis. Propterea veteres dum negabant naturam agere propter fiem, negabant simul divinam Providentiam, tamquam causam universalem res omnes sua sapientia disponentem, & suos præscribentem cuique fines.

Dico 2. Bruta videntur agere propter finem sibi à se præstitutum, imperfecto quidem modo, sed tamen formali, ac rigoroso.

Prob. 1. ad hominem contra eos, qui putant voluntatem agere propter finem etiam, dum amat finem: quod quidem alium sensum facere non potest, nisi quod voluntas sistat in fine amato, illum ulterius non ordinando; & rursus ad talem amorem movetur à finis bonitate præcognita. atqui hoc totum verificatur in brutis: nam & sistunt in bono delectabili apprehenso, ab eoque moventur. ergo non potest cohæ-

hærenter negari, quod bruta agant propter finem.

Prob. 2. Bruta amant bonum suum qua tale, hoc est qua conveniens sibi. ergo & agunt propter finem quà talem, ordinando scilicet media ad finem ipsum: in quo stat propria præstitutio finis. conseq. prob. ideò enim dicuntur bruta non posse ad finem media dirigere, quia ordinem mediorum ad finem altius materiali cognitione assurgentem non potest brutorum æstimativa attingere. at si ea potest ordinem boni ad subiectum, seù finis qui ad finem cui; cur non item ordinem mediorum ad finem? Certè D. Th. 1. p. q. 78. ar. 4. in hanc sententiam propendet, dum ait, quod *avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum*. utilitas autem, quæ ponitur motivum avis, est formalissimè ordo conducentiæ ad finem. nec oppositum docet 1. 2. q. 1. ar. 2. ubi solum contendit proprium esse naturæ rationalis agere se in finem per dominium scilicet, & potestatem sui actus, quæ in ratione propriæ dictæ electionis involvitur.

Dico 3. Natura rationalis agit propter finem formaliter non solum in liberis, sed etiam in necessariis operationibus; Hæc conclusio litem decidit de modo loquendi. si enim actio propter finem dicatur, quæ est nata inducere, aut supponere consultationem, & indifferentiam, manifestum est, quod actio propter finem necessaria esse non potest. at non videtur id opus esse, ut finis sit causa operationum humanarum; satis enim est, si ametur propter se, & reliqua propter ipsum: quæ est finis definitio libertatem operationis non explicans.

CAPUT III.

De causa Exemplari.

EXemplar, seu ideam dicimus cum D. Th. Formam, non informantem, sed præconceptam, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. ex quo apparet idealem causam intentionalem esse, & totam eius causalitatem absolvi in directione agentis, ut ad finem propositum deveniat.

Quæritur primo, utrum idea sit conceptus formalis, an obiectivus? v. g. dum fit domus ex domo existente in anima, ut loquitur Philosophus, duo sunt in mente Artificis, & cognitio domus, & domus ipsa cognita, de quibus dubitatur, utra subeat propriam rationem exemplaris, & ideæ.

Quæstio hæc tota est de voce, à qua proinde brevissimè me expediam, stando pro iis, qui cognitioni rationem propriam exemplaris interni tribuunt. Ratio est; quia nec objecto eidem, quod fit per artem, nec alteri convenit ideæ ratio. ergo ea non est objecti ratio, sed cognitionis. prima pars anteced. prob. tum quia de ratione exemplaris est, ut sit forma, quam effectus imitatur: nihil autem imitatur se. tum quia Deus agens ad extra ex præconcepta creaturarum idea, ipsas creaturas in consortium suæ actionis admitteret: nec in se uno esset perfectè ad agendum instructus. Prob. 2. pars: tum quia manifestum videtur, ut artifex operetur, non aliud obiectum concipere, quam suum ipsum opificium; saltem aliud non est opus. tum quia dũ Deus animam rationalem creat, quæro, quod aliud obiectum consulit? aliam animam? at redit, quod non posset Deus agere creaturam, inconsulta creatu-

tura, suam essentiam? at hæc, ut à cognitione distincta non habet rationem exemplaris, sed efficientis; exemplar enim ex dictis est forma, de cuius ratione est formalis, non eminentialis continentia.

Id ipsum constat à priori. Proprium est causæ exemplaris dirigere efficientem, ut in certum scopum, ac terminum tendat, & non casu, sed rationabiliter operetur: hoc autem manifestè convenit cognitioni, quæ est quoddam intellectuale lumen, facem operationi præferens; neque vero obiectum est, quod dirigit, sed est id, ad quod dirigitur artificis operatio. 2. idea determinat actionem externam intellectualis agentis, & idcircò forma appellatur, quia perinde se habet ad ipsum, ut forma realis ad naturale agens. atqui non obiectum, sed cognitio, quæ est intellectus forma, h. m. determinationem præstare potest. 3. idea est mensura perfectionis, ac veritatis rei ideatæ, ut in proœmialibus agens de practica notitia dixi. at conceptus obiectivus si sit ipsum ideatum, non est mensura: aliter idem mensuraret se ipsum. si vero sit aliud ab obiecto ideato, aut per accidens se habet, aut in se non habet formam effectus, neque secundum rem, neque secundum repræsentationem.

Tria communiter obiiciuntur exigui momenti. 1. exemplar consistit in eo, ad quod agens intuendo operatur. agens verò non intuetur conceptum formalem, sed obiectivum. 2. Finis non est cognitio, sed obiectum. ergo item exemplar. 3. Philosophus exprimens vim causativam exemplaris, ait, domum fieri ex domo: domus autem non est cognitio domus, sed domus cognita.

Ad 1. resp. illam locutionem esse impropriam, ut potè ductam ab exemplari externo, quod est impropriè exemplar. Ad 2. finis movet ut acquirendus: hoc autem non compe-

tit cognitioni, sed obiecto. Exemplar agit ut directivum: hoc autem non obiecto competit, sed cognitioni. Ad 3. idem Philosophus ait domum fieri ex domo, quæ est in anima. domus autem, quæ est in anima, non est domus ipsa, sed cognitio, quæ propter similitudinem domus etiam appellatur.

Quæritur secundo, ad quod genus causæ revocetur exemplar? suppono cum communi sententia ideam esse causam; neque enim minus verè effectus pendet à fine, quam ab idea. tum dico eam reductivè pertinere ad efficientem, & idcircò appellari formam, quia forma verè est non artefacti, sed artificis. Et quidem juxtà Philosophum ars est principium efficiendi, unde & habitus dicitur cum recta ratione factivus. artis autem tota vis est in notitia practica, quæ confunditur cum idea. Profecto hoc differt à fine exemplar, quod finis efficientem causam supponit constitutam in sua vi plenè effectiva, quam excitat dumtaxat, trahitque ad operandum; & ideò speciale genus causæ constituit ab efficiente distinctum. at verò exemplar efficientem causam operantem per intellectum, & voluntatem non supponit, sed facit adæquatè operativam. ergo exemplari ad efficientem causam reducitur.

CAPUT IV.

De Causis per accidens.

ALibi diximus causam per se à causa per acccidens ex hoc distingui, quod per se causa secundum suam virtutem effectum operatur, ut ignis ignem. at causa per accidens non ipsa est, quæ ad effectum concurrit, sed vel per accidens coniungitur causæ concurrenti, ut si musicus ædificet; vel ad ef-

fectum per se ipsius per accidens alius consequitur, ut terræ fossor dicitur causa inventionis thesauri.

Porrò causa per accidens potest esse agens intellectuale, & sic dicitur fortuna, quæ definitur. 2. phys. t.52. Causa per accidens in his, quæ raro fiunt, & propter finem secundum electionem. Quasi dicat, inquit Toletus: Fortuna est actio aliqua secundum electionem procedens, quam consequitur finis aliquis non intentus, & rarò contingens. Et finis quidem, atque effectus consequens potest esse bonus, & malus; unde bona, aut mala fortuna denominatur. Casus autem potest accipi vel ut est genus ad fortunam, vel ut dividitur contrà fortunam: & hoc secundo modo definitur, Causa per accidens in his, quæ rarò fiunt, & non secundum electionem. Sic domus ruina ex combustione trabis dicitur effectus casualis, & non fortuitus ignis.

Hoc autem commune est casualibus, & fortuitis, ut nec semper, nec frequenter, sed raro accidant; ut per se non intendantur: ut sint in his, quæ agunt propter finem. illud tamen est proprium effectus fortuiti, quod causa ipsius non est natura, sed intellectus, & electio. Ex quo consequens est, nihil esse fortuitum Deo; quia nihil potest contingere sine Dei prævisione, & dispositione. fortuita autem semper involvunt aliquid imprudentiæ, secundum quam minus prævidentur, quæ sunt eventura. quare 2. mag. mor. c.8. dicitur, ibi minus esse fortunæ, ubi plus est intellectus.

Fortunæ, & casui opponitur fatum, de quo impiè senserunt veteres, dum illud putarunt inevitabilem quandam necessitatem à Deo juxta multos dependentem, juxta alios independentem, & quæ libertatem humanam omninò everteret. Catholici nomen fati usurpamus, secundum quod à Boetio l.4. de Consol. prol.6.

definitur, *Inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam divina Providentia suis quaque nectit ordinibus*, distinguitur ergo Fatum à Providentia, ut effectus à causa, estque dispositio non effectibus, sed causis creatis inhærens, nec verò liberis, sed naturalibus.

LIBER TERTIUS
PHYSICORUM

De motu

Præsertim Locali.

PRincipiis, causisque corporis naturalis pro modo consideratis, ad primam præcipuamque eiusdem proprietatem, in ordine ad quam eius natura definitur, motum scilicet versandum accedo. Et quia motus lationis certior est, & notior, remissa de aliis motibus in sequentem librum tractatione, unica ferme in præsenti erit localis motus consideratio; ubi de natura motus in communi aliqua deliberavero. Ad plenam verò motus localis intelligentiam pertinet agere tum de loco, qui per motum percurritur, quique esse potest aut plenus, aut vacuus, tum de tempore, quo motus mensuratur. rursus quia motus inter continua numeratur, & continuum, ut probabitur, infinitatem involvit, de infinito, & continuo prius agendum; & tum demum motus localis natura, compositio, successio, velocitas, tarditas, aliæque proprietates explicabuntur.

QUÆ

QUÆSTIO PRIMA

De motu in communi.

CAPUT I.

Definitur motus, ac dividitur.

MOtum definit Philosophus 3. phys. t. 6. actum entis in potentia, prout in potentia. Et primo motus dicitur actus, quia omnis motus habet efficere, ut quod erat in potentia, sit in actu; ut quod erat calefactibile, per motum calefactionis actu calefit. sed actus aut perfectus est, aut imperfectus. perfectus totam subiecti potentialitatem explet; quare in ipso mobile quiescit. talis actus est forma per motum acquisita, ut calor per calefactionem. imperfectus est actus relinquens in mobili ulteriorem potentialitatem: & talis actus est motus. propterea in definitione reduplicatur ly *in potentia*, ut denotetur, mobile sub motu esse adhuc in potentia ad terminum.

Sed quodnam est illud ens, cuius motus est actus? sunt, qui credant esse terminum ipsum, qui est in potentia obiectiva; sed procul est hęc imaginatio à mente Philosophi, qui unius mobilis actum motum constituit; dicit enim t. 17. quod motus actus est mobilis, ut est mobile. Esse autem in potentia, quod in mobili reduplicatur, importat in eo carentiam formæ, ad quam movetur, antequam moveatur; nihil enim movetur ad acquirendum, quod habet. rursus importat impetum mobilis non omninò quietari per motum ipsum, ut dictum est.

Dices. dum subiectum movetur ad formam, habet formam; neque enim potest esse motus sine termino. ergo dum motus est, mobile non est amplius in potentia.

Quidquid alii aliter, præsertim Thomistæ

respondeant; equidem juxtà modos loquendi, quibus jam à puero assuevi, respondeo, nomine entis in potentia intelligi subiectum non sub privatione formæ, sed sub præcisione à forma; & fit sensus, quod quamvis mobile tunc, cum movetur, præsertim motu instantaneo, formam habeat, tamen aliter consideratur prout præcisè sub motu, aliter prout est sub forma. primo modo est in via; secundo modo est in termino. atque ita significatur, quod licet motus actuet subiectum, non tamen ità perfectè, ut non egeat alio actu præter motum. Posset etiam dici, quod nomine entis in potentia venit mobile, in quantum transit de privatione ad formam; adeoque etsi tunc, cum movetur, non careat forma, ea tamen caruit immediate ante motum. quare connotatio privationis antecedentis est de primo conceptu motus.

Motus sic definitus potest aut in tempore contingere; atque ita dicitur propriè motus, qualis est alteratio, & latio: & potest contingere in instanti, ut est generatio; atque ita nomen mutationis sortitur. Hæc jam est communior in scholis, quod sciam, acceptio, & distinctio motus à mutatione. Aliter tamen Aristoteles; motum enim inquit esse à subiecto in subiectum, hoc est inter terminos positivos, ut cum ex frigido fit calidum: mutationem verò esse de non subiecto in subiectum, de termino scilicet negativo ad positivum, quæ est generatio; aut de subiecto in non subiectum, de termino scilicet positivo ad negativum, quæ est corruptio. juxta quem dicendi modum motus est inter terminos contrarios, mutatio inter contradictorios.

Porrò licet in motu duo sint termini, à quo, & ad quem, denominatur tamen motus à solo termino ad quem, & juxta illius divisionem dividitur. Vel enim est motus ad substantiam, & appellatur generatio; vel ad quantitatem,

&

& appellatur augmentatio; vel ad qualitatem, & appellatur alteratio; vel ad ubi, & appellatur latio. ad reliqua prædicamenta non est per se motus, ut multis probat Aristoteles 5. phys.

CAPUT II.

Quo pacto ab actione, & passione motus distinguitur.

DUo hic sunt præstanda. primum, quo pacto actio, & passio invicem distinguuntur, ut videatur, utrum motus sit idem cum una, an cum duplici entitate. deindè, quo pacto distinguuntur à motu.

Dico I. actio, & passio non re, sed ratione invicem distinguuntur. Ita D. Th. 3. physic. lec. 5. post Philosophum ibi t. 18. ubi præter morem clarissimè mentem suam aperit his verbis: *manifestum est, quod motus est in ipso mobili; actus enim hujus, & ab ipso motivo: motivi autem actus non alius est.* & paulò post; *quare unus est amborum actus, sicut idem spatium est unum ad duo; & duo ad unum, & acclive, & declive; hæc enim unum quidem sunt, ratio autem non una est. similiter quoque & in movente, & in moto.*

Prob. recolendo, quæ superiori libro q. 3. c. 4. §. 3. dicta sunt de indistinctione eductionis ab unione; actio enim eductiva est formaliter per se ablativa indifferentiæ à subiecto, & forma, ut se invicem afficiant, & illud recipiat, ista recipiatur. unio autem sine dubio est passio. ergo actio per se ipsam est passio. Rationes contra hanc conclusionem sunt ibidem solutæ: & quæ hic peculiariter urgeri potest desumpta ex distinctione prædicamentorum, soluta est in logicis.

Superest, ut ostendatur, quo pacto actio, & passio ratione distinguantur. Indicat hoc Philoso-

losophus l.cit.t.22.ubi, *Quod huius*, inquit, *in hoc*, *& quod huius ab hoc actum esse*, *ratione alterum est*. illa igitur entitas, cui nomen actionis, & passionis tribuimus, potest considerari, quatenus est ordo formæ ad causam, à qua est; & quatenus est ordo formæ ad subiectum, in quo est. primo modo est actus agentis, quia per ipsam causa de non agente fit agens; & dicitur actio. secundo modo est actus recipientis, & passi, quia per ipsam materia de non recipiente fit recipiens. & dicitur passio.

Dico 2. motus ab actione, & passione secundùm rectum non distinguitur: distinguitur verò secundum obliquum connotatum à motu, non verò ab actione,& passione.

Hæc mihi videtur expeditissima via explicandi, quatenus ab actione, & passione motus sit distinctus, & quatenus cum iis sit idem. motus ergo importat rationem transitùs, quam actio, & passio non importat. actio enim dicit præcisè productionem formæ ab agente: passio receptionem formæ in subiecto. at motus addit terminum fieri, ac recipi ex alio termino aut positivo, aut privativo. Est ergo motus nomen connotativum, ut cœna; quemadmodum enim cœna significat comestionem factam tempore vespertino; ita motus significat acquisitionem formæ succedentem aut alteri formæ, aut eiusdem privationi. Rursus sicuti eadem illa comestio, quæ facta est tempore vespertino, & dicitur cœna, potuisset fieri alio tempore, in quo cœna non diceretur: ita eadem illa entitas actionis, & passionis potuisset non succedere privationi, aut veteri formæ, in quo casu non diceretur motus. atque ita est, dum sumitur actio, & passio in facto esse, & post primum instans productionis.

C A-

CAPUT III.

De subiecto motus.

CONsequenter ad dicta perinde est quærere de subiecto motus, ac de subiecto actionis. sed actio alia est immanens, alia transiens. prima est, cum terminus productus manet in principio ipso, à quo fluit; adeoque dum eadem est causa activa, & subiectiva effectus, ut contingit in actibus vitæ. Transiens est actio, cum terminum ponit in extraneo subiecto, ad quod perficiendum transit vis productiva. Porrò de triplici entitate controverti potest, quænam sit actionis subiectum, de causa, quæ operatur, de termino, qui efficitur, de mobili, quod patitur.

Dico 1. motus ut stat pro recto actionis eductivæ, non recipitur in termino per ipsum acquisito, & producto.

Prob. receptio actionis in termino neque esset mera receptio, neque esset sustentatio. non mera receptio; quia modus omnis deducitur de potentia subiecti, cui addicitur: à qua generali regula sola creatio excipitur ex propria ratione creationis. non sustentatio; quia cum omne subiectum, quod est causa materialis suæ formæ, sit in priori natura ad suam formam, terminus etiam productus esset natura prior actione sui productiva; adeoque esset, antequam fieret. præterquamquod cum causa entitatis alicuius sit illa ipsa, à qua emanat actio ejusdem entitatis productiva, consequens esset, ut terminus non solum suæ productionis, sed sui etiam causa esset.

Dico 2. mótus, & actio non recipitur in agente. quare actio ipsa immanens in causæ entitate recepta. non recipitur in illa, secundum

quod

quod dicit ad terminum habitudinem agentis, sed passi.

Prob. de ratione agentis universim non est, ut in ipso, sed ut ab ipso fit actio; hoc enim est agens à quo aliud. Certè Deus in omni rigore est agens, nec ullam tamen in se actionem recipit, aut potest recipere. Adde, quod actio, ut dictum est, à passione non distinguitur. at passio indubitanter in agente non est. quis enim dicat, receptionem formæ in subiecto esse receptivè in agente?

Dico 3. motus, & actio in subiecto mobili est inhæsivè. Est Philosophi 11. met. sum. 4. c. 1. ubi; *Perspicuum*, inquit, *est motum esse in moto: actus enim eius est à motivo*. idem habet 2. de anima t. 24 & t. 140. atque etiam in 3. phys. cit.

Prob. conclusionis manifestè descendit ex dictis; si enim actio nec in agente recipitur, nec in termino, superest, ut recipiatur in passo; neque verò est aliud subiectum aptum, in quo recipiatur. Deinde si passio recipitur in passo, & actio à passione non distinguitur, necesse est, ut actio quoque recipiatur in passo.

Obiic. 1. si actio reciperetur in passo, passum diceretur agens, agens enim est, quod habet actionem, ut videns est, quod habet visionem.

Resp. actionem ex hoc ipso, quod est in passo, denominare illud non agens, sed passum; agens enim est, à quo, non in quo est actio. Proportionale quid accidit in actibus animæ. eadem est cognitio passiva, & activa, sed activè denominat potentiam, à qua, & in qua est; passivè denominat obiectum, ad quod est. In his autem omnibus consulenda est natura, & significatio denominationis, neque ab una ad aliam deducenda est paritas. cognitio denominat cognoscens subiectum à quo, & in quo est; quia hoc est cognoscere, habere à se in se cognitionem; denominat cognitum obiectum, ad

quod

quod est; quia hoc est cognosci, terminare cognitionem. Pariformiter actio denominat agens non id, in quo, sed id, à quo est; quia hoc est agere habere à se dependentem, non in se receptam actionem.

Obiic. 2. actio est accidens non passi, sed agentis. atqui omne accidens in eo est, cuius est accidens. ergo actio in agente est.

Nego maiorem, si nomen accidentis capiatur in rigore; sic enim significat formam, quæ accidit, seu inhæret, non debuit ergo maior sine probatione assumi, cum sit ipsissima quæstio.

Obiic. 3. ex Phil. l. de somno, & vig eiusdem est actus, cuius est potentia. atqui virtus operativa est agentis, & in agente. ergo actio, quæ est actus illius virtutis, est agentis, & in agente.

Resp. 1. virtutem immediatè operativam non esse ex dictis libro superiore in agente, sed in passo. Resp. 2. eius esse actum, cuius est potentia juxta naturam, & exigentiam actus, & potentiæ. quia verò potentia operativa non est ad recipiendum, sed ad dandum, actus ipsius debet non recipi in ipsa, sed emanare ab ipsa.

Obiic. 4. Aristotelem 8. phys. ubi motum localem omnium perfectissimum statuit; & hoc ideo, quia mobile per illum nullam formam sibi inhærentem acquirit; ex quo mobile localiter dicitur minus se habere in potentia. ergo motus localis non est forma inhærens mobili.

Respon. motum localem dici perfectissimum non tamen entitativè, quàm indicativè, indicat enim minorem potentialitatem, adeoque maiorem perfectionem in mobili. nam quod movetur per alterationem, est in potentia ad formam perfectiorem, nim. ad qualitatem, & sic de aliis motibus. at quod movetur localiter

est

est in potentia ad ubicationem, quæ est imperfectissima omnium forma, quæ per motum acquiri possunt, at esse in potentia ad formam perfectiorem formaliter dicit quid imperfectius; maior enim est imperfectio carere forma perfectiore, quam imperfectiore. Dum vero addit Philosophus, per motum localem nullam formam acquiri, loquitur de forma absoluta, quæ venit nomine formę simpliciter.

Atque hæc de motu in universum satis: quæ hæc enim hic quæruntur de specie motus, nullius sunt momenti; quæ de contrarietate, præsertim an, & quomodo idem moveri possit duplici motu contrario, infra commodius tractabitur; pertinet enim specialiter ad motum localem.

QUÆSTIO SECUNDA

De Loco.

CAPUT I.

Quid sit Locus.

Locus extrinsecus, qui loci nomine potissimum venit (nam locus intrinsecus nihil aliud est, quam in corpore locato recepta ubicatio, qua loco extrinseco correspondet) à Philosopho 4.phys.t.41. definitur, *ultimum continentis immobile primum*.

Ut hæc definitio declaretur, exponendus est ordo, quo ad eam tradendam progreditur Philosophus. præmittit plures modos, quo unum dicitur esse in alio, & concludit omnium propriissimum, ad cuius analogiam reliqui dicuntur, esse illum, quo unum in alio est, ut in vase, & in loco. Distinguit prætereà duplicem locum, communem, & proprium. communis

locus

locus est, qui locatum continet, & alia plura præter ipsum: ut sphæra ultima est communis omnium corporum locus; & hic appellatur etiam locus per accidens; sumus enim intra cœlum, quia sumus intra aerem, qui est intrà cœlum. Locus proprius, qui est per se locus, non nisi tale locatum continet, ut aer immediate me ambiens est proprius mei corporis locus.

Pergit deinde ad inquirenda ea, quæ ex communi sententia loco per se insunt, ut inde loci natura, & definitio appareat. Primò igitur locus continet locatum, ipsumque circumscribit, ac terminat; ex quo fit, ut locus intrinsecus locato non sit nec materia eius, nec forma, nec accidens, sed externum tantummodò continens. secundo locus proprius, & proximus maior, aut minor locato non est, sed illi prorsus æqualis, ad differentiam loci communis, qui maior est locato. Tertiò locus est separabilis à quolibet locato, non tamen ab omni. hoc ultimum dicit ex propria sententia contrà veteres admittentes vacuum. Quarto: Locus naturalis aut sursum est, aut deorsum; unumquodque verò naturale corpus in suum locum naturaliter fertur, in eoque acquisito quiescit.

Contra secundam proprietatem est dubium; neque enim verum videtur locum esse æqualem locato; nam continens, ut vulgo dicitur, majus est contento. locus autem est continens locatum. ergo majus est locato. Atque ex hoc Recentior quidam Mathematicus, ut audio, Euclidis definitionem illam improbat, Æqualia sunt, quæ sibi invicem congruunt; quia, inquit, locus congruit locato, nec tamen ęqualis est locato.

Dicendum tamen cum tota antiquitate locum esse æqualem locato. sed duplex æqualitas distinguenda, altera dimensionis, & simpli-

pli:

pliciter dicta, altera continentiæ. prima est, cum duo sibi congruunt secundum omnem dimensionem, longitudinem nim., latitudinem, & profunditatem: & hoc sane modo locus, & locatum æqualitatem non habent; si enim ita sibi congruerent, locus cum locato penetraretur; neque aliud probatur per rationem dubitandi. secunda est, cum duo sibi congruunt secundum latitudinem, & longitudinem tantum; atque ità manifestum est locum esse penitus æqualem locato. sit enim figura locati, adeoque etiam loci sphærica, jam demonstro æqualem esse utriusque ambitum, convexum scilicet locati, & concavum loci. Quæ sphæræ æqualem omninò habent diametrum, æquales omninò sunt inter se. at sphæra convexa locati, & concava loci æqualem, imò eandem habent diametrum. ergò inter se sunt æquales. prob. min. ducatur linea diametralis in sphæra locata; aut hæc eadem est mensura sphæræ concavę locantis; & habeo intentum. aut mensura sphæræ locantis est maior; & jam linea diametralis sphæræ locatæ, ut mensuret locantem, debet protendi. atqui hoc fieri non potest, nisi ingrediatur profunditatem sphæræ locantis, ut constat; adeoque nisi mensuret etiam profunditatem: quod est contra suppositum. comparamus enim locum, & locatum secundum meram longitudinem, & latitudinem. ergò eadem est linea diametralis mensurans utramque sphæram secundum longitudinem, & latitudinem tantùm, secundum quam corpus continens rationem loci habet: ac proindè locus est æqualis locato.

Ex his colligitur, locum esse corpus continens non secundum totam sui crassitiem, & profunditatem, sed secundum meram superficiem, qua una corpori contento coadæquatur. & hoc est quod ait Philosophus, Vltimum primum continentis locum esse, nomine ultimi super-

perficiem intelligit, corpus scilicet ipsum ut longitudine, & latitudine terminatum: quia vero non exterior, sed interior superficies locato immediata loci rationem habet, addit ultimum primum, primò scilicet locatum tangens, & continens. Atque hæc particula est addita ad significandum locum proprium, qui primus est in circumscriptione locati, cum communis locus non primò locatum, sed alia circumscribat. Rursus quia quæ hactenus dicta sunt loco competere, competunt pariter vasi; addit distinctivum loci à vase, quod est immobilitas, loco, non vasi competens. Vndè reciprocatio illa inter vas, & locum t. 41. adhibita, quod vas scilicet est locus mobilis, & locus est vas immobile.

Duo autem sunt hic præstanda. primum, quod immobilitas sit de ratione loci. alterum, per quid ea formaliter habeatur. primum ostenditur ex motu, qui transitum importat de loco ad locum. at vero sine motu corporis potest mutari superficies ambiens, ut cum, flante vento, mutatur circa turrim immotam aer circumstans. rursus cum motu corporis potest non mutari superficies ambiens, ut cum aqua movetur simul cum vase. non ergò locus est superficies quæcumque ambiens, sed immobilis, in ordine ad quam unam motus lationis explicari potest.

Hanc vero loci immobilitatem, omissis aliis explicandi modis, ità declaro. Locus extrinsecus immobilis est, si spectetur sub certa ubicatione, eamque reduplicet, ac supponat; si enim movetur, eo ipso priorem ubicationem amittit, adeoque ut illam retinens, moveri non potest. Ex hoc fit, ut dum aer movetur circa turrim, turris non dicatur mutare locum; quia semper correspondet eidem superficiei sumptæ formaliter, hoc est ut substanti eidem ubicationi eidem spatio imaginario, aut punctis fixis correspondenti. Ex hoc fit etiam, ut,

dum

dum aqua movetur una cum vase, locum mutet; quia enim moto vase, mutatur vasis ubicatio, aqua etiam ubicationem mutat, novamque acquirit correspondentem vel spatio imaginario, vel punctis fixis: de quo infrà.

CAPUT II.

An præter locum extrinsecum detur intrinsecus, Ubicatio nim. à loco, & locato distincta.

DIco I. Rem esse hic involvit formam ubicationis rei intrinsecam, ab eaque distinctam.

Prob. aut res est hic per seipsam, aut per aliud à se distinctum. primum si dicas, impossibile erit rem esse, & hic non esse, ut est impossibile rem esse, & non esse. si dicas secundum, peto, quid sit illud aliud? dices, esse locum ipsum extrinsecum denominantem extrinsecè corpus locatum hic. Sed contra primò; quia res potest esse hic, destructo omni penitus extrinseco ambiente; nam neque potest esse, & nusquam esse, &, si destructo alio quocumque ambiente, nulla fiat in ea variatio, perseverabit, ubi antea fuerat. ergo res non est hic per denominationem ab extrinseco ambiente. Contrà secundo. potest esse in rerum natura hæc res locata, & hic locus ambiens. ergo rem esse hic non importat ut præcisa constitutiva rem locatam, & extrinsecum locum: aliter essent omnia constitutiva sine constituto, hoc est constitutum (indistinctum à constitutivis) sine constituto.

Multa in responsionem congerit Magnanus, ut putat, evidentia. sed omnia in id unum rediguntur, posse esse locum, & locatum, quin locatum contineatur à loco, si locus, & locatum sumantur seorsim, non vero si accipiantur cõiunctim. sed debuisset, cum eviden-

tiam crepabat hic author, animadvertere, hanc responsionem ex iis esse, quæ integrum in suo robore relinquunt argumentum. Similiter enim arguitur ad probandum, locum, & locatum simul esse per aliquid superadditum, & non per meras suas entitates; aliter dari non possent eiusmodi entitates, quin simul, & conjunctim essent. Præterea cessat extrinseca denominatio, ablato extrinseco denominante; at non cessat denominatio rei existentis hic per ablationem extrinseci, quia remanet adhuc res cum eadem correspondentia ad idem spatium imaginarium. ergo res non est hic per extrinsecam denominationem à loco.

Dices cum aliis, immensitatem Dei continere in se virtualitates infinitas infinitis corporibus possibilibus correspondentes, & immobiles. Hoc posito, corpus esse hic non est, aliud, quam huic divinæ virtualitati correspondere, & hoc correspondere est ab ea virtualitate produci. Sed primò mirum est, authores istos, ne multiplicent entitates modales in creatis, voluisse in Deo virtualitates infinitas multiplicare. secundo istæ virtualitates ut ponuntur, sunt chimæricæ. est enim Dei immensitas una simplicissima entitas incapax suscipiendi prædicata contradictoria: & oppositum asserere est facere Deum chimæram, quæ aliud non est, quam contradictoria de eodem verificata. Dum ergo res hic producitur ab una virtualitate, aut simul à reliquis; & sic non est ratio, cur hic potius, quàm alibi existat. aut non; & sic una virtualitas producit, alia non producente: quod est chimæricum.

Obiic. 1. in priori natura ad ubicationem, quam in se ponit, intelligitur corpus determinatum ad esse hic potius, quam alibi, ex generali conditione causæ naturalis. ergo in priori ad ubicationem intelligitur corpus hic potius, quam

quam alibi. conseq. prob. 1. quia in illo priori non intelligitur corpus alibi, nec nullibi. ergo hic. 2. quia si corpus in priori est determinatum, frustra ponitur consequens ubicatio distincta ad determinandum.

Dist. antec. intelligitur determinatū determinatione naturali, & frustrabili, adeoque admittente indifferentiam simpliciter, & determinabilitatem, concedo anteced. determinatione essentiali, & infrustrabili, nego ant. & conseq. ad cuius primam probationem dico, corpus acceptum ut prius ubicatione nullibi esse præcisivè, non negativè; quatenus per suam entitatem formaliter in nullo est loco; sed est in loco per formam superadditam. Ad secundam dico, quod cum ea determinatio sit frustrabilis, non potest ea formaliter corpus determinare, ut hic potius, quam alibi sit; forma enim constituens denominationem est talis, ut si sit posita in subiecto, non possit eius determinatio impediri.

Obiic. 2. cum Magnano. omnes loci differentiæ important meam denominationem extrinsecam. ergo esse locatū non est, nisi in mera extrinseca denominatio. antecedens prob. esse dexterum, & sinistrum, sursum, & deorsum variantur, re, quæ denominatur, omninò invariata, sola facta mutatione extrinseca alterius rei locatæ. prob. jam consequentia, quæ ita evidenter procedit, ut ista, esse visum ab homine, & esse visum à fera est denominatio merè extrinseca. ergo esse visum est denominatio merè extrinseca. Ratio est; quia genus reipsa non est, nisi omnes suæ species. si ergo omnes species locationis sunt extrinsecæ denominationes, ipsum locari non erit, nisi extrinseca denominatio.

Difficile est apud hunc authorem reperire argumentum, quod ipsi demonstrativum non sit. Jam præsens obiectio uno verbo solvitur

negando suppositum; quod scilicet assignatæ differentiæ sint loci essentiales. sunt enim meræ habitudines accidentales fundatæ in ubicationibus, & perfectæ per actum animæ comparantis. quemadmodum similis habitudo importatur per correspondentiam locati ad locum extrinsecum; neque enim puto, ubicationem esse relationem correspondentiæ locati ad locum, sed entitatem absolutam, quæ ponit rem hic, etiam si nihil extrinsecum esset, cui corresponderet, quod si extrinsecum ambiens ponatur cum sua ubicatione circà locatum, tunc intellectus sua comparatione ponit in iis respectum correspondentiæ, quemadmodum posito duplici albo, ponit in iis respectum similitudinis. Idem dic de habitudine, quæ importatur per distantiam; per esse dexterum, & sinistrum, sursum, & deorsum, &c.

Dico 2. Probabilius est, ubicationem non esse formam realem, sed modalem.

Prob. Vbicatio nihil aliud dicit in tota sua essentia, quam actuale exercitium essendi in loco, per quod corporis indifferentia determinatur, ut sit potius hic, quam alibi, ergo ubicatio est modus, non res. anteced. est certum; quodcumque enim aliud prædicatum in ubicationis essentiam intrudatur, gratis, & sine fundamento intruditur. conseq. patet ex notione modi, quæ est ut sit merum actuale exercitium, ut in metaphysicis explicabitur.

CAPUT III.

Per quid formaliter sint in loco substantiæ spirituales.

QUamvis præsens controversia videatur physicæ limites excedere, mihi tamen paucis determinanda hic fuit; cum sit nes-

ces-

cessaria ad plenam intelligentiam eorum, quæ superiori capite dixi, & sequenti dicam de impossibilitate absolvendi creaturam ab omni loco.

Dico 1. substantia spiritualis creata est in loco formaliter per suum ubi non circumscriptivum, quo correspondeat spatio reali partibiliter, sed definitivum, quo eidem indivisibiliter correspondeat, sitque tota in toto, & tota in quavis parte spatii.

Prob. substantia eiusmodi est in loco non per se, non per suam operationem, non per unionem cum corpore. ergo per ubi; neque enim aliud superest, per quod formaliter sit in loco. prima pars antecedentis constat ex dictis; quod enim est indifferens per se ad hanc, vel illam denominationem, non potest per se determinari ad hanc potius, quam ad illam. at substantia angelica est per se indifferens, ut sit in hoc, vel illo loco. ergo non potest per se esse in hoc potius loco, quam in illo.

Secunda pars contra Thomistas prob. 1. quia Angeli boni ponuntur in cælo empyreo, ubi nullam operationem exercent, quæ transeat in exteriorem materiam. Angeli mali sunt in inferno. ubi nihil agunt, sed patiuntur potius. Animæ Patrum, & Christi Domini fuerunt in lymbo, nec apparet, quam actionem in spatium illud materiale exercuerint. secundo à priori; quia formaliter aliud est esse præsens per suam substantiam alicui materiæ, aliud esse præsens secundum virtutem operando in illam; & illud est in priori ad hoc, atque hæc est doctrina D. Thomæ per operationem Dei in omnibus probantis præsentiam eiusdem in omnibus: quæ probatio esset mera petitio principii, stante adversariorum doctrina; si enim hoc est formaliter substantiam spiritualem esse in loco, operari in loco, qui probat esse in loco per operari in loco, probat

bat esse in loco per esse in loco. Adde, quod vel admittitur in Angelis naturalis possibilitas actionis in distans; vel negatur. si admittitur, male explicatur potentia localis per actionem in locum, si potest agere in locum Angelus, cui non sit præsens. si negatur; ergo localis præsentia est conditio naturaliter requisita ad operationem Angeli, cum sit applicatio eiusdem ad passum; adeoque debet Angeli operationem præcedere. in hoc enim stat discrimen causæ secundæ à prima, quod hæc propter infinitatem virtutis non eget ad operandum propinquitate locali, qua eget omninò secunda.

Tertia pars contrà Vasquem, Derkennium, aliosque prob. commentitia enim est illa unio, quæ non tendit ad faciendum unum. at quod unum ex Angelo, & corpore resultabit? Præterea esse localiter præsens, & intimum corpori non dicit de suo conceptu physicam unionem cum corpore; ut videre est in duobus corporibus penetratis, non tamen unitis, & pressius in anima separata, quæ si spatio materiali per localem præsentiam uniretur physicè, unum per se cum illo efficeret; reperiret enim in eo materiam, substantiale scilicet ipsius subjectum. Postremo finge productum corpus immensum, tum Deus creet Angelum, illumque ab omni unione ad corpus eximat: quod fieri posse adversarii fatentur. aut ergo Angelus alicui parti eius spatii correspondere; & jam esset in loco, præcisa ea unione; aut non correspondere; & hoc est plane inintelligibile, ut constabit ex dicendis.

Confirm. præciso quocumque corpore, Angelus est in loco. ergo. non est in loco per ullum respectum ad corpus, qui, cessante corpore, cesset. antecedens prob. ex eadem ratione limitationis extensivæ, qua corpus tantum est, & non maius, & idcircò certum spatium occupat,

pat, quod non possit occupare omne spatium, Angelus limitatus & ipse in sua substantia virtualiter extensa, adeoque tanta, & non maiore, debet certum spatium virtualiter, ac definitivè occupare. quia ergo hanc limitationem retinet Angelus etiam præciso corpore, hoc etiam, præciso, determinatum locum retinet, quo & dicatur indistans à Deo, & non se sua virtute extendere, quantum extenditur Deus; velle autem omne spatium sola materia definire, est hominis, qui intellectum à phantasmate nescit abstrahere, putatque impossibile esse, quod est arduum intelligere;

Dico 2. substantia spiritualis increata est in loco formaliter per suam immensitatem ubique diffusam antecedenter ad omnem operationem, omnemque unionem cum corpore;

Prob. habere tantam, talemq; perfectionem in linea localitatis, ut eo ipso quod corpus, aut spiritus existat, illi Deus per suam substantiam localiter coexistat, etiam præcisa operatione omni, & unione, est manifesta perfectio, & consequenter Deo tribuenda. Et quidem si præcisa quacumque habitudine ad corpus, substantia spiritualis creata est in loco, ut superiori conclusione est probatum, id ipsum cum infinito excessu Deo tribuendum est.

Ex his concludo Deum esse verè, & realiter in spatiis, quæ dicunt imaginaria. Præsens corollarium sequitur ex dictis manifestè, nec tam probatione indiget, quam explicatione. Suppono, spatia imaginaria nihil penitus reale esse, nec verò esse aut ubicationem possibilem, aut ubicationis carentiam; cum enim ubicationes explicemus per addictionem ad eiusmodi spatia, eas aut explicaremus in ordine ad se ipsas, aut suis carentiis addiceremus. Cùm ergo dicimus per ubicationem corpus esse hic, idque ulterius explicamus per addictionem ad tale spatium imagi-

narium, reverà nihil aliud volumus, quam corpus habere hanc ubicationem (hoc enim est formaliter esse hic) ad hoc autem declarandum ulterius inducimus fictum respectum ad fictum spatium. Ex hoc sequitur, ut cum dicimus corpus existens hic correspondere huic spatio imaginario, nihil aliud re ipsa dicamus, quam habere hanc, non illam ubicationis formam, à qua corpus ita determinatur intrinsecè, ut habeat ex parte sua quidquid requiritur ad fundandas relationes præsentiæ, distantiæ, &c. cum aliis corporibus. Venio nunc ad veritatem corollarii. Deum esse in spatiis imaginariis verè, & realiter, non facit sensum, quod verè spatium eiusmodi est aliquid, cui Deus actu correspondeat; sed sensus est, quod Deus ex suæ immensitatis perfectione habeat omnem eam formalem localitatis rationem ex parte sua, vi cuius, præcisò alio quocumque, habet ut sit ubique, hoc est, ut sit essentialiter determinatus ad fundandum respectum indistantiæ à quocumque effectu suo, posito, quod ille sit. Quemadmodum enim corpus infinite extensum si detur, omnia spatia imaginaria implet, quia vi ubicationis infinitæ habet, ut quodcumque est, intra ambitum ipsius localem sit; ita Deus sua immensitate spatiis omnibus imaginariis est præsens, citrà extensionem tamen, ac divisibilitatem.

CAPUT IV.

An possit res eximi ab omni loco.

POsse ab omni loco extrinseco, est certo certius; quis enim negare Deo ausit, quod creaturam unam possit aut spiritualem, aut corpoream conservare, reliquis omnibus annihilatis; at certe in hoc casu locus extrinsecus

secus nullus esset, cui creatura correspon deret. Quæstio igitur unicè procedit de loco intrinseco, seù ubicatione, quam omnem posse à re creata vel de potentia Dei absoluta auferri negandum censeo cum Suario l.4. de Angelis c.3. num.5. & hanc puto communissimam opinionem; qui enim aiunt posse creaturam nullibi esse, id unum volunt, posse amittere habitudinem, ac respectum ad locum extrinsecum, non vero determinationem ex parte sui, ut, posito alio corpore, possit, ac debeat illi correspondere.

Probo id 1. ex dictis. quam habet Deus necessitatem ad esse actu ubique, eandem habet creatura quælibet ad esse alicubi. at Deus ex modò probatis necessario est actu ubique. ergo creatura necessariò est alicubi. maior prob. quia non videtur possibile, ut effectus extrahatur à toto ambitu suæ causæ, quæ sit immensa: hinc omnes Theologi post D. Th uniformiter asserunt in Deo necessitatem, ut sit creatis omnibus præsens secundum essentiam, & substantiam suam: quæ præsentia cum sit ubiquitas ex parte Dei, erit limitata ubicatio ex parte creaturæ; quia erit limitata correspondentia infinitæ localitati divinæ. Rursus non videtur à loco eximi posse effectus, à quo non potest eximi causa; quis enim dicat meam intellectionem posse eximi à loco, a quo non possum ego eximi? Atqui Deus rerum omnium causa ab omni loco eximi non potest; ergo nec creatura. neque est apta disparitas ex distinctione ubicationis, & identitate immensitatis desumpta; neque enim argumentum procedit de ipsa formali localitate, sed de necessitate illam habendi, quam contendimus identificari creaturæ, quamvis hæc propter indifferentiam sit ad terminum distinctum: quod non accidit in Deo.

Prob. 2. id ipsum quodcumque corpus,

quicumque ſpiritus ponatur in re, neceſſariò habet ipſe in ſe, per quod fundet relationem propinquitatis, aut diſtantiæ ab alio corpore, vel ſpiritu. ergò neceſſariò aliquam in ſe habet ubicationem. antecedens prob. poſt corporis, aut ſpiritus ab omni ubicatione exempti productionem, creet Deus aliud corpus, aut ſpiritum ubicatum, ſi ad hunc nullam relationem propinquitatis, aut diſtantiæ fundaret prior ſubſtantia, jam neque ullam eiuſmodi relationem fundaret, ſi omnia ſpatia corporibus, ac ſpiritibus occuparentur. hoc autem videtur ex terminis impoſſibile; quid enim magis chimæricum, quam exiſtere rem, de qua in ſingulis partibus immenſi ſpatii quæſita, dici vere poſſit, hic non eſt? ſequela autem maioris oſtenditur; quia ſi nulla poſſet inter illa duo fundari diſtantia, quantumcumque corpus ab uno ubicato extendatur, nunquam poteſt pertingi ad alterum non ubicatum; ſi enim pertingitur aliquando; eſt inter unum, & alterum finita diſtantia; adeoque unum, & alterum eſt ubicatum.

Hoc totum evidentius conſtat paritate durationis, inter quam, & ubicationem nulla eſt vel probabilis ratio diſparitatis, quod attinet ad rem præſentem. atqui quodcumque eſt, id eſſentialiter habet, ut in aliqua differentia temporis ſit; tam enim eſt evidens, inquit Arriaga, omnem rem exiſtentem aut eſſe, aut fuiſſe, aut fore, quàm eſt evidens. duo, & tria eſſe quinque. Et quidem quæcumque res producitur, aut habet eſſe poſt non eſſe; atque ita ſucceſſionem temporaneam, adeoque durationem involvit: aut non habet; atque ita durationem habet æternam; quod enim eſſe habet, & non poſt non eſſe, ſemper fuit.

In contrarium vix eſt, quod obiici poſſit, præter illud. Omne prius, & independens poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori. atqui omnis res eſt

prior sua ubicatione, ab eaque est independens. ergo potest ab ea separari.

Resp. similiter subiectum esse prius, & independens forma, & negatione formæ, nec tamen posse sine utralibet esse. itaque argumentum non tenet ratione formæ. non tenere autem ratione materiæ constat ex hactenus dictis, quibus probata est necessaria connexio inter creaturam, & ubicationem disiunctivè acceptam.

CAPUT V.

An sit possibilis corporum penetratio.

COmmunis resolutio est non naturaliter, sed tamen divinitus possibilem eam esse. Prima pars prob. ex natura quanti per experientiam nota, cuius est alius quodcumque quantum ab eodem loco, in quo est ipsum, expellere, & quidem corpora quamvis validissimo impetu acta in se invicem impingant, dissiliunt quidem in fragmina, aut uno superante, alterum licet ponderossimum excutitur, ut videre est in pulveris pyrii accensione, integras turres, & propugnacula defficiente, non tamen vel latum unguem penetrantur.

Secunda pars communis est inter scholasticos, si Durandum excipias, qui quod in 4.d.44. q.6. problematicè in hac re procedit, male audit apud Theologos ex Scripturis, & Patribus probantes, factam aliquando miraculosè corporearum rerum penetrationem. Nostra huius partis probatio erit solutio implicantiarum.

Obiic. 1. contrà primam partem in vas cinerum plenum tantum aquæ infundi potest, quantum caperet vas sine cineribus. ergo fit penetratio aquæ, & cinerum. 2. in vas aqua plenum 40. & amplius nummi coniici possunt: quod non contingit sine penetratione. 3. resistentia

corporum relatè ad penetrationem est finita: ergo potest saltem ab Angelo superari.

Ad 1. dic, aquam ingredi cinerum meatus aere prius plenos. prætereà aliquæ cineris particulæ ficciores aquam attenuant, & simul cum ea evolant. postremo certum est aquam ex cinerum iniectu intumescere. Ad 2. manifestum ad sensum est illud contingere sine penetratione, cum aqua intumescat, & conglobetur supra poculi labrum, refugiens fortasse eius siccitatem, aut alia ex causa. Ad 3. Angelus non aliter potest movere corpora, nisi per impetus impressionem. atqui constat validissimos licet impetus corpora non penetrare, ut dictum est.

Obiic. 2. adversus alteram partem. Si unum corpus potest esse intrà aliud, una pars eiusdem corporis posset esse intrà aliam. atqui hoc pugnat cum quantitatis natura, cuius est habere partem extra partem. ergo.

Resp. naturam quantitatis non esse habere partem extrà partem actu, sed solum aptitudine, & exigentia naturali insuperabili.

Obiic. 3. partes quantitatis successivæ, ut sunt tempus, & motus habent essentialem successionem durativam, ut per nullam potentiam possint simul esse secundum durationem. ergo partes quantitatis permanentis habent & ipsæ essentialem successionem localem, ut per nullam potentiam possint esse simul secundum locum.

Ut comparatio procedat, debet componi duratio & motus, qui sunt actualia exercitia existendi successivè, cum ubicatione, quæ est exercitium actuale extreizandi partes, quod si comparentur cum quantitate, quæ est accidens non modale, sed absolutum, manifestum est paritatem nullam esse.

CA-

CAPUT VI.

An sit possibilis corporum replicatio.

DUo certa sunt apud omnes, primum ab experientia, atque etiam naturali lumine ostendente id esse impossibile per naturam. alterum à Fide docente corpus posse esse circumscriptivè in uno, definitivè, seu sacramentaliter in alio loco: quod credimus de Corpore Christi Domini in hostia, & in cælo existente. Quod attinet ad possibilitatem duplicis ubicationis circumscriptivæ in eodem corpore, celebris est resolutio negativa, quam tuetur cum suis D. Th. Mihi placet affirmativa, quæ est longè communior, Fideique placitis conformior.

Eam primum probo adversantium rationum improbatione. 2. magis repugnat naturæ quantitatis suam extensionem, quæ naturalis est eius proprietas, deperdere, quam duplicem acquirere; ut magis est igni violentum calorem, debitam scilicet perfectionem, amittere, quam duplicem habere. atqui potest quantitas extensam ubicationem amittere, ut est certum in Eucharistia amitti à Christi Domini quantitate. 3. plus repugnat quantitati una præsentia localis circumscriptiva, & plures definitivæ, quam duplex circumscriptiva. hoc enim solum importat duplicem actum naturalem adæquatum eidem potentiæ additum: illud importat plures actus indebitos, locantesque quantitatem materialem ad modum spiritus. sed illud esse possibile est de Fide: ergo & hoc erit possibile. Conf. ubicumque potest Deus ponere corpus sub modo maxime innaturali, potest à fortiori illud ponere sub modo naturali. atqui stante circumscriptiva præsentia corporis Christi

sti Domini in cælo, potest illud ipsum Deus ponere alibi sub præsentia definitiva; quæ est materiæ maximæ innaturalis. ergo à fortiori sub circumscriptiva.

Obiic. 1. nihil potest esse à se divisum. corpus replicatum esset à se divisum. ergo non potest esse replicatum. min. prob. 1. corpora censentur divisa, quorum superficies distant: ut est communis omnium sensus. corpus autem replicatum haberet superficies distantes. 2. distantia localis est evidens cuique argumentum divisionis entitativæ; neque enim aliunde distinguimus homogenea, nisi per locorum distinctionem. Conf. nemo potest rationabiliter dubitare, an totum frumentum universi sit unum granum replicatum, & una gutta replicata totus Oceanus. id autem non est notum ab experientia; ergo ex terminis. at quod est notum ex terminis, nec divinitus potest falsificari. ergo nec divinitus fieri potest, ut corpus sit replicatum.

Instatur primo in corpore Christi Domini replicato, quod nihilominus deberet statui à se distans, adeoque divisum. Instatur secundò in Angelis, qui si in loco sunt per operationem, ut Thomistæ volunt, poterunt operari saltem intra sphæram in duobus locis distantibus, & sic esse in duplici loco sine divisione.

Resp. igitur negando min. ad primam probationem dico, similiter ex communi sensu, quę unum habent locum, censeri idem corpus, nec idcircò divinitus non esse corpora plura in eodem loco citra identitatem. Idem dic in re nostra; notiones enim collectæ per experientiam, qualis est præsens, non debent fraudi esse divinæ potestati. Cæterum in hoc casu distantia esset non corporis à corpore, sed ubicationis ab ubicatione; neque verò ab ubicationibus ad corpus talis denominatio manaret,

cuius

cuius scilicet propter suam indistinctionem est incapax.

Ad secundam dico, illud argumentum distinguendi esse naturaliter evidens, quia evidens est physicè nullum corpus posse esse replicatum. sed ut distinctio loci distinctionis corporum, ita & identitas identitatis est argumentum naturale. quare ut potest cum loci identitate stare corporum distinctio, ita & cum distinctione loci identitas corporis. universim enim propositiones physicè evidentes possunt per divinam potentiam falsificari.

Ad Conf. primò illud principium est notum ab experientia; unusquisque enim in se, & in aliis experitur nunquam acquiri unum locum, quin alius relinquatur. 2. etiamsi concedam esse notum ex terminis, nego omnem propositionem ita evidentem esse divinitus infalsificabilem; etenim evidentia potest nasci ex repugnantia ad assentiendum opposito, quod tamen, intellecta infinita potentia, potest assensum extorquere; ut ex professo dicam in metaphysicis, ubi de impossibilitate creaturæ principaliter creantis.

Obiic. 2. Una forma non potest præstare duos effectus formales adæquatos. at quantitas est forma impletiva loci. ergo non potest una quantitas duo loca totalia implere.

Si loquamur de forma rigorosa, minor est falsa; ubicatio enim, quæ duplicatur, unicè est forma: corpus verò locatum non forma est, sed subiectum. neque vim facias in eo, quod locatum recipitur in loco; verbum enim recipiendi æquivocè dicitur juxta multiplicem modum essendi in alio 4. phys. t. 23. ennumeratum. Si vero loquamur de forma minus propriè dicta, secundum quod forma dicitur, quodcumque denominat, manifestum est, locum etiam esse formam locati; nam locatum à loco denominatur. unde eadem argumenti forma proba-

ri posset impossibilitas penetrationis, quia scilicet cum locus sit forma locati, si duo adæquata repletiva acciperet, duos adæquatos effectus formales præstaret.

Obiic. 3. esse in loco circumscriptive est ita in eo esse, ut nihil locati sit extra talem locum. hoc autem, data replicatione, non verificatur. ergo replicatio destruit conceptum locationis circumscriptivæ.

Maior assumitur sine probatione, cum constet esse falsissimam in Eucharistia, in qua est sine dubio totum Christi Corpus extra locum cæli circumscriptivum.

Obiic. 4. pars ne divinitus quidem potest esse æqualis toti. talis autem æqualitas in replicatione contingeret; semipalmus enim replicatus æqualis est palmo.

Sed hinc primo fieret, impossibilem esse penetrationem, in qua similiter palmus redactus ad semipalmum æqualis esset semipalmo. Resp. igitur non esse æqualitatem inter semipalmum replicatum, & palmum secundum dimensiones entitativas, sed secundum ubicationes locales in semipalmo receptas: quod non est æquare partem toti, sed ubicationes partis cum ubicatione totius. Neque dicas, ubicationem esse commensuratam rei ubicatę; adeoque fieri non posse ut commensurentur ubicationes, quin commensurentur entitates. Respondeo enim, in corpore replicato non esse unam ubicationem, sed duas adæquatas, & commensuratas corpori: quæ non debent sumi per modum unius ubicationis ubicato commensæ. sic mobile palmare dum est in spatio maiori per motum non evadit maius, quia maiori spatio commensuratur; illi enim correspondet per plures ubicationes successivè receptas. Quod autem successio, id ipsum præstat proportionaliter replicatio, quæ ponit scilicet in corpore duas ubicationes ęquales, non unam maiorem. & quamquam id soleant ridere

ad-

adversarii, nihil moror; nam idem dicendum in motu. & quidem cum utraque illa ubicatio adæquata sit corpori, non potest dici, quod in unam transeant; sic enim essent ubicationes inadęquatæ.

Objic. 5. Corpus in motu occupat spatium maius se. ergo occupatio spatii maioris est necessariò involuta in successivitate, adeoque non potest id præstari per replicationem in quiete.

Peccat argumentum secundùm fallaciam consequentis, quia arguit ab antecedenti ad consequens negativè, & à destructione speciei ad destructionem generis. occupatio enim spatii maioris consideratur ut genus ad successionem, & replicationem, adeoque in utraque involvitur.

Solet hic longior quæstio institui, supposita replicatione, quæ accidentia possint, quæ debeant naturaliter replicari. & subiectum suum comitari, ubicumque illud sit positum. Sed ista pertractare otium properanti non est. consulantur nostri Recentiores passim.

QUÆSTIO TERTIA

De Vacuo.

HIc, si usquam aliàs, recentibus Atomistis Peripatetici vulgus sumus, & veterum erroribus occupati, inconsulta rerum natura, alienæ dumtaxat authoritati subscribimus; nec quid dicendum quærimus, sed quid dictum. Ego ut rem istam pro viribus accuratè persequar præmissa vacui notione, & possibilitate, quæ in utramque partem de eiusdem existentia afferuntur examinabo.

CA-

CAPUT I.

Quid sit, & an sit possibile Vacuum.

VAcuum ex Philosopho 4. physſ.t.57. secundùm nominis significationem communiter acceptam definitur locus corpore non repletus. dum locum dicimus, illum ſumimus in actu primo; neque enim eſt actu continens, ſed potentia. Atque hoc differt vacuum à ſpatio, quod appellamus imaginarium, quale concipimus extrà præſens univerſum, & ante mundi creationem; hoc enim nullum corpus importat, quod repleri petat, aut poſſit, ſed metam corporis cuiuſcumque quà contenti, quà continentis negationem. at vacuum dicit corpus, quod intra ambitum ultimæ ſuperficiei nihil actu continet, aut circumſcribit, ſed poteſt tamen aliquid circumſcribere, ac continere.

Hoc poſito, quæritur primùm de vacui poſſibilitate non phyſica, de qua infra, ſed metaphyſica; quam negat ſcilicet Renatus deſ Cartes Princip. Phil. p. 2. num. 16. & ſeqq. aliique poſt ipſum putantes eius impoſſibilitatem demonſtrari hoc argumento, quod verbis Renati proponam. *extenſio ſpatii, vel loci interni non differt ab extenſione corporis; nam cum ex eo ſolo, quod corpus ſit extenſum in longum, latum, & profundum, recte concludamus illud eſſe ſubſtantiam, quia repugnat ut nihili ſit aliqua extenſio: idem etiam de ſpatio, quod vacuum ſupponimus, eſt concludendum, quod nempe cum in eo ſit extenſio, neceſſario etiam in ipſo ſit ſubſtantia.* Quod ſi urgeas: nonne poteſt Deus auferre vel per motum, vel per annihilationem omne corpus, quod intra vas quodpiam continetur, impediendo ſimul alterius in locum

ablati

ablati corporis subingressum? nonne potest destruere omnia corpora, quæ intra primi mobilis ambitum continentur, retenta cæli figura ea, quam habet de facto, quæque tolli non potest; nisi concurrentibus eo ipso partibus ad efficiendum vel minorem globum, vel alterius figuræ corpus? quis enim id neget posse, nisi qui non intelligat res creatas à libera Dei voluntate, nutuque pendere, nec mutua inter se necessitate connecti? Respondet posse: sed perstat adhuc in proposito, negatque in eo casu vacuum; quia scilicet vasis, cælique latera essent eo ipso immediata, & contigua. *cum enim*, inquit, *inter duo corpora nihil interjacet, necesse est, ut se mutuo tangant, ac manifestè repugnat, ut distent, sive ut inter ipsa sit distantia, & tamen ut ista distantia sit nihil; quia omnis distantia est modus extensionis, & ideo sine substantia extensa esse non potest*.

Recte quidem, me judice, demonstratio à Cartesianis hæc appellatur, quia, quantus fuerit in philosophicis Cartesius, id unum tandem demonstrat ista speculatio: in qua nec laudem meretur ingenii, cum sit tota in vocibus extensionis, & distantiæ, quibus explicatis, illico fuit, nec novitatis, cum multo ante fuerit hæc ipsa ratio à Scoto allata, & plene soluta quæst. 11. quodlibetali. verba ipsa Scoti affero, quæ satis utrumque ostendunt. Sic igitur pro vacui impossibilitate arguit. *Inter latera vacui nihil est medium. Sed secundum Philosophum 5. Phys. illa sunt simul, quorum nihil est medium. si igitur esset vacuum, latera essent simul, & non simul*. Conf. *In tempore est contradictio duo instantia esse distantia, & non esse tempus medium. igitur pari ratione in loco est contradictio, duo esse localiter distantia, & non esse corpus medium*.

Resp. *quod medium potest intelligi, vel positivum, & actuale, vel privativum, & potentiale;*

tiale: & utroque modo debet intelligi nullum esse medium eorum, quæ tangunt se & quæ sunt simul. latera autem vacui & si non habeant medium primo modo, habent tamen medium secundo modo; quia inter ea posset tantum corpus intercipi, quantum est illud corpus, quod percipitur, quando spatium est actu plenum. est ibi igitur medium privativum, seu privativè. Per quæ constat latera vacui non esse contigua, inter quæ scilicet nulla est capacitas medii, adeoque non privatio est medii, sed negatio. Eadem distinctione fit satis priori argumento Cartesii; quia in vacuo sunt dimensiones non actu, sed potentia, non physicæ, sed mathematicæ, ut loquitur Magnanus.

Hanc ipsam doctrinam admovet Scotus confirmationi, quam proinde sic retorquet. *Possibile est distantiam aliquam esse inter aliqua quasi secundum tempus, licet non sit inter illa tempus positivum intermedium, hoc est positiva mensura motus, sed sufficit, quod sit tempus potentiale, vel privativè acceptum, ad hoc ut sit distantia inter illa quasi temporalis, secundum quam hoc dicitur esse posterius, vel prius illo. igitur à simili de loco, & distantia locali.*

CAPUT II.

An sit vacuum in natura.

A Metaphysica vacui possibilitate ad physicam descendo. Commune est Peripateticorum dictum, naturam à vacuo refugere, ipsumque metuere usque adeo, ut contra ipsorum naturam ad motus violentos impellat ad vacuum, si quando eius periculum imminet, propulsandum. Contra Neoterici metum hunc anilem vocant, putantque motus omnes, qui

qui ex vacui metu fieri dicuntur, ad gravitatem, & vim aeris elasticam revocandos: quæ vires cum possint à naturali agente superari, consequens est, ut possit etiam naturaliter haberi vacuum. Rationes utriusque partis jam propono, iisque suas adscribo solutiones: tum demum quid verius sentiendum, decerno. Sed prius noto duplex vacuum posse hic in quæstionem vocari, alterum, quod vocant dissem inatum, inania nimirum spatiola, & plane insensibilia corporibus intermixta, alterum, quod dicunt coacervatum, grandiusculum, & sensibile, seu verius sensibili corpori commensuratum, & par.

§. I.

Rationes vacui metum probantes, earumque solutiones.

ARguunt primò Peripatetici ab experientia multiplici. 1. Videmus, ex vase irrigatorio, tenui superius foramine diligenter occluso, multis licet inferioribus foraminibus ad modum cribri patētibus, aquam non descendere; descendere verò ubi superius foramen recluditur. hoc quidem non aliunde esse potest, quam ex eo, quod si aqua in primo casu descenderet, nullum aliud corpus loco ipsius subintraret, & sic daretur vacuum. 2. si latera follium sint penitus coniuncta, nulla vi diduci possunt, nisi aperto orificio, quo aer interiectum spatium occupaturus subeat. 3. si aer ex fistula, cuius alterum os sit aquæ immersum, attrahatur, aqua confestim contra nativam gravitatem ascendit. 4. applicatæ corpori humano cucurbitulæ carnem sursus trahunt; quod aer antea per flammam rarefactus, in suam deinde densitatem se recipit, atq; adeo inane spatium relinqueret,

ret,

ret, nisi caro ad illud explendum elevaretur.

5. Sit vas aqua plenum, cui siphon inflexus infundatur, deinde ex siphonis ore, quod extra aquam propendet, attrahatur aer; quem aqua sequatur, & descendat. tum vero sine nova attractione, aquam descendentem subsequetur aqua in vase contenta, donec aere per aliud siphonis os ingresso, cesset ascensus aquæ. Quod non alia ratione contingit, quàm quod si aqua ex una parte descenderet, & ex alia non ascenderet, aliqua siphonis pars vacua relinqueretur. 6. Huc etiam adducunt experimentum celebre Torricellianum, in quo mercurius intra fistulam suspenditur, relicta superiori parte vacua, non omninò, ut constabit infra, sed aliquo repleta tenuissimo corpore, quod cum satis non sit ad totam fistulam implendam, accepta omni naturaliter possibili raritate, mercurium ex vacui metu omnino sibi connexum sustinet, ac suspendit.

Arguunt deinde à priori per causam finalem. Omnes universi partes suam conservationem pro virili curant. hæc autem conservatio ex eo maximè pendet, quod corpora sint inter se, & cum cælestibus connexa. ut enim in corpore humano connexio partium vitam in singulis conservat, eaque connexione sublata, semper pars scissa perit, non rarò perit & animal: cuius ratio est, quia partes separatæ nec influxum animæ recipere possunt, nec una juxta modum suæ virtutis potest in alteram influere, nec ab ea juvari. Idem accidit in universo, cuius partes si discontiguētur per vacui interiectionem, nec sese mutuo juvare poterunt, nec poterunt à superioribus conservatrices influentias excipere. Hoc argumentum desumptum ex Aristotele est 1. meteor. c. 2. ubi, *Oportet*, inquit, *mundum hunc elementarem contiguum esse superioribus lationibus, ut inde regatur, & gubernetur*. Atque hæc putant sufficere, ut vacuum

cuum quodvis ſive parvum, ſive magnum è rerum natura eliminent.

Ad hæc reſpondent Vacuiſtæ, experientias nihil omninò convincere, cum facile in aliam cauſam reducantur ſatis manifeſtam, ut recurrere ad metum vacui omninò non ſit opus. Supponunt igitur, quod nos cum Ariſtotele alibi præſtabimus, aerem gravem eſſe, imo & in ſuo loco gravitare non ſolum indiviſibiliter, hoc eſt ita ut totus aer per modum unius in ſubjectam aquam gravitet, ſed etiam diviſibiliter, h.e. ita, ut pars aeris ſuperior graviter inferiorem. ex quo ſequitur, ut cum aer ſit facile condenſabilis, pars aeris inferior, quæ prope nos eſt, ſit magis multo denſa, quam quæ ſupra nos eſt. Hæc autem denſitas aeri naturalis non eſt, ſed aliquatenus violenta. quare ubi à pondere aeris ſuperincumbentis eximitur, raritati ſe ſuæ reddit non ſine impetu: quæ vis in corporibus dicitur elaſtica, ipſiuſque actus motus Reſtitutionis appellatur. Ex hac doctrina, quæ ſatis certe ſolida eſt, phyſica ratio traditur ſuſpenſionis gravium; & quidem unica; ſi enim alia eſſet, gravia ad omnem altitudinem aſcenderent, ut vacuum impedirent. hoc autem eſſe falſum manifeſto deprehendit Galileus ab experientia docente, gravia non aſcendere, niſi eo uſque, ubi circumſtantis, præmentiſque aeris ponderi æquilibrantur. Nunc ad poſita ſingillatim experimenta reſpondetur.

Ad 1. dic, aquam, ſuperiori foramine clauſo, non deſcendere, quia ſuſpenditur ab aere infra ipſam compreſſo propter pondus reliqui aeris circumſtantis: quod menſuratum per atmoſphæræ impendentis cylindrum maius eſt pondere aquæ ſubiectis foraminibus incumbentis. dum vero ſuperius foramen recluditur, aquam deſcendere adiutam ab aere ſuperiorem aquam premente, cuius vis tanta eſt ad aquam

deor-

deorsum pellendam, quanta est aeris ad eamdem sustentandam: quo posito, cum aquæ gravitas sit maior in specie aeris gravitate, superat hanc, & descendit.

Ad 2. dic, latera follium diduci non posse, cum utriusque pondus, & vis aeris elastica resistat, cui superandæ impares sunt vulgares hominum vires. Quæ etiam est ratio, cur fieri non possit, ut lamina ferrea optime lævigata, & plano marmoreo, cui apprime congruat, imposita, elevari ab eo ullatenus valeat.

Ad 3. attracto aere à fistula, pressio aeris super aquam, cui fistula est iniecta, non reperit ex parte fistulæ aeris resistentiam: ex quo consequens est, ut versus eam impellatur aqua, & ascendat.

Ad 4. ubi aer intra curcubitulas ab igne est rarefactus, non potest aeri latenti intra carnem ita incumbere, ut valeat eius vim elasticam prohibere, quo minus suæ se restituat raritati. hinc aer ille latens illico rarescit, & in maiorem molem assurgens, carnem secum defert, & elevat.

Ad 5. constat responsio ex dictis ad tertium.

Ad 6. suspensio mercurii in fistula manifestè est à pondere aeris circumstantis, & mercurio intra pelvim contento impendentis, cui scilicet altitudo mercurii intra fistulam æquilibratur. signum huius evidens est, quod maior est altitudo mercurii in monte editissimo, ubi minor atmosphæræ moles impendet, quam in valle, ubi impendet moles minor.

Rationem deinde à priori ex multis invalidam volunt 1. quia reiicit ad summum vacuum coacervatum, non vero disseminatum. quemadmodum, inquit Cardosus, cutis, aliæque viventium partes à vulnere abhorrent, innumeris tamen poris cribri more sunt perforatæ: ita & natura ampliora quædam vacua ferre non po-

potest, contractiora, & insensibilia potest. 2. quia cæli influentiæ si minus per lineam rectam, per refractam tamen, aut reflexam descenderent in inferiora, eaque foverent, ac gubernarent. 3. quia poterit saltem dari vacuum in cælo, ubi nulla influxus alieni indigentia, aut esset in terræ centro, ubi nihil officiet cælestibus undique in terram influentibus beneficiis.

§. II.

Rationes vacui existentiam probantes, earumque solutiones.

PRimùm arguitur pro vacuo disseminato per experientiam. 1. sit vas aheneum oris exigui, quod, ubi fuerit aqua oppletum, firmiter claudatur. tum vas contundatur, atque ita comprimatur aqua, & ad minus spatium redigatur. At si spatium ab aqua prius occupatum omninò plenum fuisset, non haberent, quò confugerent compressæ partes. erat igitur aliquid intra aquam inane.

2. Ubi aqua certam salis quantitatem exsolvit, si quid salis addas, integrum manet. ratio est; qnia salis particulæ certam figuram assumunt, & aqua certa habet spatiola, & domunculas iis commensuratas, quibus repletis, sal, deficiente proportionato susceptivo, non ultra solvitur. at si alterius generis sal infundatur, Ammoniacum, aut Alumen, solvitur, quia sunt in aqua alterius figuræ spatiola iis accipiendis apta, quæ alteram etiam figuram assumunt. est igitur aqua spatiolis huiuscemodi inanibus referta.

Arguitur deindè per rationem, qua, teste Aristotele, veteres utebantur. Si vacuum non est, nec motus est. atqui motus est. ergo vacuum est. maior. prob. motus non fit, nisi

per receptionem corporis in loco, ubi non fuerat. Si ergo omnis locus plenus est, alterum ex his consequetur, vel quod corpus ingredietur in corpus, illudque penetrabit: vel si illud amovet, necesse erit, ut si vel palea movetur, totus mundus moveatur. Addit Gassendus id ipsum conducere ad universi varietatem, pulchritudinem, ac perfectionem, ac se habere ad illud, ut diastemata, seu intervalla ad harmoniam.

Pro vacuo deinde coacervato ad experientiam itidem provocatur. 1. si vas fortissimum ex marmore, aut ære calida plenum, & perfecte obturatū hiberno aeri frigidissimo exponatur, aqua concrescet; adeoqae ad minus spatium cogetur. aliquid ergo vacui relinquetur intra vas. 2. si cubus aureus in planum horizontale ita descendat, ut cubi basis semper plano parallela moveatur, donec planum contingens, aerem omninò excludat (quis enim afferat, ingens auri pondus ab aere interiecto sustineri?) aliquid vacuum haberi necesse est; dum enim aer medius ad extremas partes recedit, cubus non tangit immediatè planum, quia sustinetur interea ab aere egrediente; adeoque habetur tunc in medio aliquid vacui. 3. dum malleo silex frangitur, partes mediæ, & extremæ simul separantur. ergo antequam aer se penetret ad medias partes (quod non fit, nisi successivè per motum) dabitur in iis vacuum ad brevissimum saltem temporis intervallum; maximè, quia à violenta partium fractione aer pellitur, & impeditur, quo minus statim subintret. 4. Valerianus Magnus huc trahit Torricellianum experimentum, cujus se ex vano jactavit authorem, superior enim pars fistulæ nec mercurio, ut patet ad sensum, nec alio corpore repletur. non enim aere, unde enim aer ingrediatur, cum vitrum poros

non

non habeat aeris capaces ? non spiritibus, qui ex ipso mercurio evolant propter agitationem; tum quia fit vacuum ante agitationem, vibrationemque mercurii. tum quia pars fistulæ relicta tanta esse potest, cui replendæ incredibile est spiritus pares ab argento vivo suppeditari.

Postremo argui potest à ratione : tantum enim abest, inquit Magnanus, ut vacuum sit contra naturam, ut potius videatur naturæ bonum, præsertim si intercedat inter corpora minime amica, quæ non affectant, sed refugiunt potius mutuum contactum. Profecto ingens fore videtur naturæ tum universalis, tum particularis bonum, si vacuum inter inimica corpora velut inter feroces equos repagulum poneretur.

Respondetur ad 1. pro vacuo disseminato, in eo casu haberi compressionem, & condensationem aquæ sine ulla ope vacui per solam minoris spatii occupationem, ut constabit ex dicendis de natura raritatis. vel si ad hanc confugere non vis, dic aquam condensari per egressum substantiæ subtilioris ætheriæ, cui pervii sunt cuiuslibet corporis quamlibet solidissimi pori.

Ad 2. ut illa spatiola intra aquam admittantur, non tamen vacua, sed ætheria, de qua modò, substantia plena. præterquam quod ex illa salium admixtione sensibiliter aqua intumescit. non ergo est opus ex hoc ullas in aqua vacuitates agnoscere.

Ad rationem in forma nego maiorem. ad prob. dico neutrum sequi, cum possit haberi motus intra substantiam fluidam per hoc, quod pars anterior, quæ pellitur à mobili, condensetur ; & pars posterior, quæ relinquitur, rarefiat. vel si Aristotelica raritas, densitasque non placet, dicas impelli, moverique aerem non rectè, sed circulariter, atque ita

partem propulsam compellere relictam, ut in locum corporis moti succedat. Additum Gassendi venustum est, & elegans, quodque satis vacui existentiam cohonestaret, si illam supponeret aliundè probatam.

Ad 1. pro vacuo coacervato respondetur, aquam concretam non occupare minus spatium, quàm antea occupabat: & si occuparet, ut accidit in reliquis liquoribus, dum concrescunt, non deest corpus, quod in spatium relictum convolet, aut spiritus scilicet calidi, qui aquæ prius immixti erant, aut subtilis, & omnia permeans substantia.

Ad 2. resp. inter utrumque planum necessario intercipi tenuissimum aeris velum à corpore incumbente condensati. & quod opponitur de aere tantum pondus sustinere non valente, nihil est. nam idem contingeret, si casus ille contingeret in aqua, vel si lana, aut aliud tenue corpus mediaret. revera autem non aer aurum impendens, sed planum suppositum & aerem, & aurum sustentat.

Ad 3. vel in fractione silicis partes non simul, sed successivè separantur, & cum aliqua flexione, dum aer successivè ingreditur; experientia enim constat, durissima etiam corpora exiguam flexionem suscipere, ut probat Cabeus q. 1. ad tex. xxix. 4. meteor. vel aer, qui erat fortasse copiosior in venis silicis, tunc rarefit, suaque dilatatione vacuum impedit.

Ad 4. pars fistulæ superior mercurio depleta non vacua, sed plena est: quod & Gassendus probabile fatetur ex eo, quia vel plena est luce, quæ juxta ipsum est corpus, vel aliis substantialibus effluviis undequaque diffusis, materiamque omnem permeantibus. Profectò aliquid ibi esse corporis, quodcúmque demum illud sit, ex duobus manifestè evincitur. 1. quod corporum percussio intra illud spatium facta foris exauditur; quod non contingeret, nisi esset

esset ibi corpus fluidum, per quod sonus propagaretur. 2. quod si fistula obturata è subiecto mercurio educatur, & sic clausa immergatur penitus aquæ ita, ut orificium superius sit, si tum reseretur, videbitur bulla quædam per aquam sursum evolans, qualis solet apparere, dum ex aqua evolat aer. signum ergo evidens est, aliquod ibi fuisse corpus satis licet rarefactum, quodque ita implendo illi spatio fuerit satis.

Ad rationem ex Magnano resp. bonum esse communis naturæ, ut corpora etiam inimica invicem accedant; ex quo scilicet accessu sequitur mutua actio, & hinc corruptionum, generationumque series, quæ hanc rerum universitatem varietate sua distinguunt, & ornant.

§. III.

Respondetur quæstioni.

Dico 1. vera sunt, & Aristotelica, quæ pro physica eorum motuum, qui ad vacuum vitandum fieri dicuntur, causa à Recentioribus assignatur.

Prob. neque enim alia causa ab his traditur, quam aeris gravitas, & gravitatio. hæc autem & vera est, ut in materia de elementis constabit, & ab Aristotele asseritur 4. de cælo t. c. 30. ergo causa istorum motuum vera, & Aristotelica est.

Dico 2. Ex hoc tamen inepte contra Peripateticos infertur, eiusmodi motus non fieri ex metu vacui.

Id quidem clarissime, nisi fallor, ostendam, & palmarem detegam lapsum adversariorum. ii enim ità discurrunt. ascensus gravium fit per aeris circumstantis pressionem. ergo non fit ex metu vacui. Quam ego consequentiam ita procedere autumo, ut si quis arguat?

Eo Romam equo, aut navi vectus : ergo non ex desiderio videndi Pontificem. Hæc sane consequentia ineptissima unicuique videbitur, quod ex positione causæ efficientis arguat ad destructionem causæ finalis, quasi istæ sint causæ invicem oppositæ, & incompossibiles, adversus certissimos Philosophiæ canones docentes, finem esse causam causarum, à qua efficiens ipsum movetur ad causandum. Idem prorsus accidit in casu. gravitas, & pressio aeris est causa efficiens ascensum gravium, sed hæc ipsa potest servire ut instrumentum intentioni naturæ volentis ea uti ut medio ad vacuum avertendum. pessime igitur arguis ex eo, quod ascensus fiat ab aeris pressione, ut non fiat ex metu vacui. Non nos ergo usurpamus non causam pro causa, ut ait Gassendus, sed ipsi nesciunt causam à causa distinguere.

Opponunt adhuc duo 1. naturam non esse agens cognoscitivum, ut dicatur operari ex metu, passione nim. ad irascibilem appetitus sensitivi partem pertinente. 2. potius dicendum operari ex amore centri, quam ex metu vacui; gravia enim prementia primò, & per se ordinantur ad obtinendum centrum, secundò, & per accidens ad prohibendum vacuum. ex quo satis arroganter titulum illum præfixit Magnanus propositioni 3. capitis 20. Philosophiæ naturæ: *Id quod in natura vulgus* (peripatetici, h.e. D. Th. Scotus &c.) *vocat metum vacui, sapiens* (Magnanus) *vocet metum absentia à centro gravitatis*.

Ad 1a Philos 2. phys. multis demonstrat naturam operari propter finem, & ex consilio adversus veteres opinantes omnia casu contingere. hinc naturæ appetitum damus non elicitum, qui reguletur ex propria, sed innatum, qui reguletur ex cognitione authoris sui omnia in suum cuiusque scopum, ut solet telum sagittarius, dirigentis. Ut ergo nomen

ap-

appetitus, & amoris, ita & nomen meus ad naturæ operationes transtulimus cum aliqua certe, usitata tamen communiter improprietate; ut non videam, quid in hac locutione possit recentioribus displicere, nisi id tandem sibi arrogant, ut in verba quoque Peripateticorum inquirant.

Ad 2. perindè arguitur, ut si quis lapidem ab alto deiectum eo consilio, ut cuiuspiam caput infringat, contendat non rectè dici cecidisse ad caput infringendum, sed ad petendum centrum. sapiens enim distinguet inter motum, ut est à lapide, & ut est à deiiciente, cujus est lapis in hoc casu instrumentum; & dicet, ad lapidis naturam capitis confractionem esse accidentalem, & secundariam, sed simpliciter hanc esse præcipuam, cum vis lapidis serviat intentioni deiicientis. Item in re nostra licet secundarium sit gravi qua gravi vacuum prohibere; non tamen est secundarium, sed præcipuum, si universalis naturæ spectetur intentio, cui lapidis operatio penitus subordinatur. Et in hoc illud est speciale, quod non accidit in jactu lapidis; quia gravitas aeris non per accidens, ut ibi, sed per se subordinatur & servit fini, atque intentioni naturæ, naturalisque Providentiæ. quare ex illius potius, quàm ex proprio fine dicitur aptius operari.

Dico 3. Quamvis gravitas aeris statuatur de facto adæquata causa physica ascensus gravium, non tamen inde rectè conficitur naturalis possibilitas vacui.

Neque enim aliter inde talis possibilitas eruitur, quàm ita discurrendo. Ubi adest, aut adesse potest vis maior, quæ superet causæ A activitatem, ab illa impediri potest huius effectus. sed gravitas, & elaterium aeris est causa conservativa pleni. ergo si detur aut dari possit naturaliter vis maior, poterit naturaliter impediri conservatio pleni. at istæ vires

infinitæ non sunt, neque summæ naturaliter; ut per machinam saltem vinci non possint. ergo conservatio pleni potest naturaliter impediri.

Talis autem ratiocinatio infirma est. tunc enim qui potest superare causam, potest impedire effectum, quoties hic unam illam habet præcisè causam. at si illa superata, alia sit præsto, quæ ponat effectum, vis illius superativa non est eo ipso impeditiva effectus. Exemplum habes primò in pictore, qui multos ad manum habeat penicillos, & utatur uno; quem qui tollit, picturam non impedit, quæ potest aliis perfici. Exemplum habes secundò rei nostræ affine. licet terra nativo pondere consistat in centro universi, si vectem ad eam dimovendam potuisset Archimedes admovere, multi contendunt non fuisse futurum, ut eam dimoveret; quia quamvis potuisset, quantum est ex vi gravitatis, non tamen quantum ex vi naturalis exigentiæ naturalibus agentibus non subiectæ; aliter posset id præstare de facto Angelus, & totum consequenter universum invertere: quod negant facile concedendum, cum universi natura uni dumtaxat authori suo parere sit nata. Idem contingere potest in re nostra, ut si præter aeris gravitatem aliunde sit parata vis vacui impeditiva, quamvis vacuum de facto ab illa gravitate prohibeatur, non idcirco qui eam superaret, posset illico vacuum inducere. Jam vero utrum vis isthæc, & arcana exigentia sit in natura, videndum.

Dico 4. Probabilius est nullum de facto vacuum in corporibus haberi disseminatum.

Prob. ex una parte eiusm. vacui necessitas nulla traditur, neque ulla experientia deprehenditur, ut fusè Aristoteles adversus antiquos 4. phys. prosequitur, & est superiore §. sufficienter ostensum. ex altera videtur avara quædam naturæ sterilitas spatia istiusmodi

ina-

inania reliquisse vere inania, & otiosa. probabilius igitur est nihil inane, sed omnia plena esse.

Dico 5. ex eodem capite probabilius est nullum de facto haberi vacuum coacervatum, imò nec per naturam haberi posse.

Prima pars constat ex modo dictis. 2. suadetur ex eo, tum quia non apparet, qua ratione naturale agens possit vacuum inducere, cùm facto quocumque conatu ad corpora exhaurienda, sit usque in promptu substantia ætheria tenuissima quoquoversum eorum substantiam pervadens, & quamcumque vel minimam inanitatem complens, ut alibi probabitur, & docet experientia in recipiente depleto per machinam Boilianam, in quo tamen substantia semper aliqua manet, plurimum licet rarefacta. tum quia ex hoc ipso, quod nullum unquam vacuum in natura experti sint, quicumque omni ope in id unum sæpius incubuere, rectè deducimus possibile illud non esse; adeoque ad perfectionem, & exigentiam insuperabilem naturæ eius depulsionem pertinere. atque hic modus arguendi in naturalibus est tutissimus, & communis. quare ex eo, quod penetrationem nulla vi obtinere adhuc potuimus; aut replicationem, eas, quotquot sunt Philosophi, asserunt naturaliter impossibiles.

CAPUT III.

Utrum in vacuo motus esset.

DIco 1. dato divinitus vacuo, posset in eo corpus successivè moveri. Duo asserit conclusio. 1. corpus in vacuo moveri posse, h. e. transire de loco ad locum si minus actualem, saltem potentialem, naturaliter, an miraculosè nihil in præsenti moror. 2. posse moveri successivè.

Probo primum. quid enim obstet, quo minus posset Deus in vacuo ab uno ad alterum ipsius latus corpus aliquod transferre? Probo secundum. successio motus non solum nascitur à plenitudine, & resistentia medii, sed etiam à distantia inter unum extremum relinquendum, & alterum acquirendum; quæ est causa, cur mobile non possit instantaneè moveri; quia simul in termino à quo, & ad quem, atque etiam in medio esset. Et quidem Angelus, cui nihil obstat crassitudo medii, aut resistentia, adhuc se successivè movet: & corpora cælestia, quibus nihil obsistit ex parte medii, motu tamen successivo, ac temporaneo agitantur. atqui in vacuo licet non detur resistentia medii, datur tamen distantia extremorum. ergo motus etiam in vacuo non instantaneus foret, sed successivus.

Conf. statuatur in vacuo rota, quæ ab Angelo, vel à Deo circulariter agitetur ita, ut una integra circulatio perficiatur. ista certe circulatio instantanea esse non potest; aliter in instanti motus omnes partes rotæ essent in eodem loco, in quo fuerant in instanti antecedenti quietis, adeoque rota non fuisset circumvoluta contra suppositum. restat ergo, ut, si movetur, moveatur in tempore, etiamsi statuatur in vacuo.

Aristoteles c.8.4. phys. multa congerit, ut ostendat motum factum in vacuo futurum necessariò in instanti: quem deinde sequuti sunt Averroes, Albertus, aliique interpretes. Primum argumentum, quod affert, est huiusmodi. Eadem est proportio celeritatis in motu, qui fit per medium magis tenue, ad celeritatem alterius motus, qui fit per medium magis crassum, quæ est tenuitas unius ad crassitudinem alterius medii, sed vacuum nullam habet proportionem ad plenum, ut constat. ergo nulla erit proportio celeritatis inter motum

tum

tum factum in pleno, & motum factum in vacuo; & consequenter motus in vacuo fit in non tempore; aliter proportionaretur.

Alterum est tale. si motus in vacuo esset successivus, duo corpora ponderis inæqualis æquali tempore ferrentur ad centrum; quod videtur impossibile. sequela prob. idcirco mobile gravius maiori velocitate descendit, quia facilius scindit medium, per quod transit. cum igitur in vacuo nullum sit medium, mobilia licet inæqualiter gravia, æqualiter descendent.

Hæc aliaque hujusm. plura eo loci Philosophus affert: quæ tamen si quis animum advertat, deprehendet contra eos dumtaxat concludere, qui non aliam successionis causam in motu agnoscunt, quam medii resistentiam: in qua sententia fuisse videntur veteres Philosophi, contra quos ibi Aristoteles disputat, arguitque non ex suo, sed ex ipsorum sensu, & ad hominem, ut opinatur D. Th. Scotus, & optima Peripateticorum pars.

Ad 1. igitur ut respondeam, noto resistentiam medii, & distantiam extremorum esse duplicem causam retardativam motus, ut singulis sua specialis tarditas correspondeat. dico nunc ad argumentum eandem esse proportionem celeritatis ad celeritatem, quæ est medii ad medium, si loquamur de illa dumtaxat mora, quæ consumitur in superanda medii resistentia, non autem de ea, quæ consumitur in superanda distantia extremorum. quæque reliqua adhuc esset in vacuo.

Ad 2. si mobile gravius in pleno descendit velocius, in vacuo etiam velocius descenderet. nego igitur sequelam, & causalem probationis; ad maiorem enim velocitatem conducit gravitas maior non solum, quia facilius scindit medium, sed etiam quia maiori vi, adeoque celerius distantiam extremorum motus.

P 6 Dico

Dico 2. à pleno ad vacuum nullus posset haberi naturaliter motus.

Prob. qui vacuum impossibile naturaliter astruimus, illud consequenter affirmamus corpora ita invicem connecti, ut nulla vi naturali invicem divelli possint, nisi, separato uno, aliud corpus in locum illius succedat. atqui si à pleno ad vacuum esset motus, mobile deberet à loco divelli absque eo, quod aliud loco ipsius succederet. ergo non posset talis motus naturaliter contingere, si non potest naturaliter contingere vacuum.

Dico 3. motus naturalis à vacuo ad plenum nec posset per naturam contingere.

Prob. talis motus non contingeret, nisi vi gravitatis. at istius certe inclinatio non est ad centrum, punctum scilicet illud, cuius totum esse in concipientis imaginatione habetur, ut dicetur in loco; sed eo solùm spectat, ut corpora invicem circà centrum ità disponat, ut gravius inferiorem, minus grave superiorem locum obtineat. atqui in vacuo non essent plura corpora disponibilia, quæ urgerentur ad obtinendam debitam dispositionem. ergo gravitas in vacuo movere non posset. Neque opponas, quod gravitas urget, etiam facta corporum dispositione; alibi enim gravitatio elementorum in proprio loco afferetur. Nam contra est; quia ut ibi etiam dicetur, gravitatio illa ad dispositionem non inducendam, sed conservandam deservit: quod in casu non contingeret.

Obiic. incredibile dictu est, si cubiculum exhauriatur, & lapis in medio collocetur, illum plane mansurum immotum. talis certe immobilitas non ex defectu motivæ virtutis (maneret siquidem in lapide sua gravitas) sed ex defectu medii resistentis contingeret. quid autem absurdius, quam impediri vim causæ operativam ex defectu resisten-

stentiæ? quod perindè est, ut si dicas impediri causam ex defectu impedimenti.

Resp. immobilitatem lapidis non futuram ex defectu virtutis, sed passi, in quod ea virtus exeratur; effectus enim gravitatis non est motus dumtaxat corporis gravis, sed eiusdem cum reliquis debita dispositio. Medium ergo non est dumtaxat impedimentum, sed etiam subjectum, in quod agere debet ex necessitate gravitas. Simile quid habes in agente calido, cui si desit passum frigidum, actionem calefactivam nullam exercet, cum tamen frigus passi sit calefactionis impedimentum.

Dico 4. motus violentus per proiectionem non à corpore, sed à spiritu factam posset naturaliter in vacuo haberi.

Ratio est; quia impetus habet tantum movere, non disponere, cum potius sæpe dispositionem invertat; quare cum in vacuo præcise qua tali impossibilis absolutè non sit motus, ut est in prima conclusione probatum, concedendum videtur posse in eo corpus moveri vi impetus violenter impressi. sed proiectio à corpore fieri non posset, quod haberetur discontiguatio. posset tamen haberi motus aliquis violentus à motore coniuncto, ut si quis homo in vacuo positus gladium rotaret.

QUÆSTIO QUARTA

De Tempore.

CAPUT I.

Quid sit tempus, & quotuplex.

TEmpus maximè pertinet ad motum, ut mensura ad mensuratum. quapropter eius natu-

naturam tenere non parum cōducit ad naturam motus assequendam. verum quia difficilis per se est temporis notitia, non potest per ipsam motus manifestari, nisi prius ipsa manifestetur per motum; ita enim duo ista sunt in suis notionibus, entitatibusque connexa, ut unum sine altero intelligi nequeat.

Quod ut appareat, videndum unde nam in temporis notitiam intellectus noster deveniat. Est certum, tempus non percipi ab intellectu nihil penitus operante. testatur id Philosophus 4. phys. t. 97. his verbis: *cum ipsi nihil mente mutamur, aut non animadvertimus nos esse mutatos, non videtur nobis tempus fuisse. quemadmodum nec his, quos fabulantur in Sardo dormire apud heroas, cum fuerint experrecti. copulant enim primum nunc posteriori nunc removentes medium propter insensibilitatem.* Ex quo etiam fieri ait, ut cum anima mutationem aliquam, successionemque non percipit, ut accidit, cum ex contemplatione, aut delectatione fixa hæret in uno, tempus non percipiat. Debet ergo, ut tempus intelligatur, motus apprehendi: & si nullus exterior motus cognoscatur, sed esset quis in tenebris constitutus, tunc tempus perciperet ex ipsa variatione, ac successione cogitationum, & phantasmatum, quas in se ipse experiretur.

Ex hoc quod tempus cognosci non possit sine motu, fit quidem connexum ipsum esse cum motu, imo esse aliquid motus, non tamen esse motum. Est aliquid motus, cum sit eius duratio, eiusque naturam sequatur secundum quod prius, & posterius involvit. atque hinc illa proportio, ac subordinatio quod esse, & cognosci temporis, motus, & magnitudinis. ex continuitate enim, ac indivisibilitate magnitudinis nascitur continuitas, & successio motus, qui est magnitudinis acquisitio. ex continuitate motus, & successione oritur conti-

nens temporis fluxus, qui est motus ipsius mensuratio durativa. Non tamen tempus est motus: quod Aristoteles pluribus rationibus probat. 1. motus est tantum in subiecto mobili, & non alibi: at tempus in omnibus est, & ubique, cum omnia naturalia duratione sua intrinseca respondeant primi mobilis successioni (quæ est universale tempus, ut dicetur) ergo tempus non est motus. 2. si tempus idem motui foret, quidquid est in tempore, moveretur, perinde ut movetur, quidquid est in motu. hoc autem est falsum; nam etiam quiescentia sunt in tempore. 3. motus potest esse tardior, ac velocior, adeoque potest maiori, ac minori tempore durare. ergo motus non est tempus, quod certè non potest maiori, ac minori tempore durare. antecedens constat; quia motus solis diurnus, qui 24. horarum spatio completur, potuisset esse duplo velocior, & compleri spatio 12. horarum & potuisset esse duplo tardior, ac compleri spatio 48. horarum.

Jam verò ulterius inquirendum, quo genere habitudinis tempus respiciat motum, à quo distinguitur, & est tamen aliquid ipsius: & dicendum habere ad modum respectum, rationemque numeri, seu mensuræ, quod declarat Philosophus à posteriori, & per signum: quo enim judicamus rei quantitatem secundum plus, & minus, illud est numerus, & mensura eiusdem at tempore judicamus quantitatem motus; stante enim æquali velocitate, plus motus fit in longiori tempore, minus in breviori. rursus tempore mensuramus velocitatem, tarditatemque motus, ut dictum est. ergo tempus est numerus, & mensura motus.

Sed advertendum cum Simplicio. dupliciter posse motum mensurari, ac numerari. primò præcisè secundum quantitatem, seu multitudinem, ut si ego simul ambulem, & augmen-

tet;

ter, & calefiam, dicor tribus motibus moveri. 2. mensuratur motus secundum ordinem prioris & posterioris, suarumque partium ratam successionem. Atque hoc secundo modo tempus est numerus motus. verum quia successio motus est talis vel per denominationem à tempore, cui subiicitur, ut mensuræ, vel per denominationem à spatio, cuius partes ordinatè acquirit; prioritas, & posterioritas motus. ut sit apta sine circulo definire tempus, secundo hoc modo accipi debet.

Ex his omnibus constat, quam recte tempus definiverit Aristoteles numerum motus secundum prius, & posterius. Quæ temporis notio ut magis intelligatur, adverte, tria posse in tempore considerari: 1. quod sit duratio motus. 2. quod possit assumi ad mensurandum motum. 3. quod actu motum mensuret. ex his tertium accidit omninò tempori, cum sit opus animæ numerantis. secundum est propria passio, per quam ut per notionem motus declaratur. primum est quidditas temporis.

Addit Philosophus, tempus esse numerum non numerantem, sed numeratum, quasi dicat, non posse numerare, ac mensurare, nisi numeretur, ac mensuretur. universim enim mensura non potest certificare de quantitate rei mensuratæ, nisi & ipsa certa sit; certa autem esse non potest, nisi reducatur ad primum aliquod ita certum, ut de ipso dubitari non possit, & sit quoad omnes commune, & uniforme. Ut ergo mensuræ temporaneæ motuum quantitates declarent, debent, & ipsæ ad unam primam, certamque revocari. Hæc autem est ipsum Nunc, seu Instans, & Momentum: quod docetur 4. phys. t. 104. ubi hæc habentur; *Ipsum autem Nunc tempus mensurat, secundum quod prius, & posterius est*. Hoc; qua ratione contingat, dicam, si instans, & nunc, quid sit, explicavero.

Ex dictis tempus cognoscimus, atque adeo

etiam

etiam dividimus per successionem operationum. sed non omne tempus possumus ita dividere, cum devenire sit ad temporis partem, in qua non possumus duas successive operationes ponere. atque illa habet apud nos rationem indivisibilis, quam proinde *Nunc* appellamus, instans, & momentum. neque vero in tempore aliud Nunc est mathematicè indivisibile, ut infra conficiam; neque si esset, aptum esset mensurare tempus; ut enim punctum non potest mensurare corpus, ita nec instans huiusmodi tempus, cum mensura præsertim quantitativa debeat esse eiusdem rationis cum mensurato. Hæc pars ita divisibilis quoad se, indivisibilis quoad nos aptissima est ad temporis partes in certam mensuram redigendas; illa enim repetita minutum conficit; minutum repetitum horam; hora diem, & sic de aliis. Atque ista melius intelligentur, ubi hoc ipsum momentum adhibebimus, ut mensuram incœptionis, ac desitionis rerum.

Dividitur deinde tempus in universale, & particulare, primum dicitur absolute tempus, & est mensura motus primi mobilis; cum enim talis motus sit maxime regularis, uniformis, & omnibus notus, duratio ipsius assumpta est in communem mensuram motuum cæterorum. & quamvis alia quoque sint, quibus utimur ad tempora mensuranda, ut horologia; hæc tamen eatenus certa existimamus, quatenus illi adamussim respondent. Alterum est, quod motus particulares mensurat. Hinc Aug. li XI. Conf. c. XXXIII. dixit, si cessarent cæli lumina, & moveretur rota figuli, adhuc tempus futurum, quo metiremur eos gyros, & diceremus, aut æqualibus morulis agi, aut si aliàs tardiùs, aliàs velocius moveretur, alios magis diuturnos esse, alios minus.

CAPUT II.

De Duratione.

Quid sit, & quotuplex, & in quo differat creata ab increata.

DUrare, si potestatem vocis attendas, sonat perseverantiam in esse. quare, si res instanti mathematico producta non retineret deindè esse, durare non diceretur. In præsenti duratio non accipitur in significatione tam stricta, sed stat pro illa determinatione, quam habet res ut existat hoc potius, quam illo tempore; quemadmodum ubicationis nomine sumitur determinatio, quam habet res, ut existat hoc potius, quam illo loco. atque in hoc sensu durare dicitur res, etiam si pro unico indivisibili existat.

Dividitur duratio in Æternitatem, Ævum, & Tempus. Æternitas ad Deum, Ævum, seu æviternitas & Tempus ad creaturas pertinet, sed ævum ad res sempiternas, & secundùm esse intransmutabiles, atque immortales, ut sunt Angeli, & rationales animæ: tempus ad res corruptibiles, ut sunt omnia sublunaria. Hæc autem duo non videntur intrinsecè, & substantialiter differre, ut ex dicendis fiet, sed solum per accidens, & ab extrinseco: ævum enim dicitur vel illa duratio, qua durant ea, quæ naturaliter non possunt desinere, ut Angelus, & anima rationalis, vel quæ ab extrinseco Dei decreto habent, ut ab æterno fuerint, aut in æternum futura sint. tempus vero est duratio rerum corruptibilium principium habens, & finem.

Qua deinde ratione ævum, & tempus ab æternitate secernitur, exponit D. Th. 1. p. q. 10. ar. 4. & 5. dicens, quod æternitas est mensura

entis permanentis essentialiter excludens omnem successionem perfectionum ad rem mensuratam pertinentium. at creata quævis duratio aut necessariò successionem rei durantis importat, ut videre est in successivis, aut saltem importat successionem in perfectionibus, & operationibus rei durantis, ut accidit in permanentibus. Hoc totum videtur desumptum ex definitione, quam de divina æternitate tradidit Boetius de Consol. ubi dixit, *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.*

Ad cuius evidentiam adverto, durationem ex genere esse possessionem; eius enim beneficio substantia quælibet suum esse possidet, suisque perfectionibus fruitur: quod non fit, nisi per operationes, quæ sunt usus quidam, adeoque complementum possessionis substantiæ. ita quemadmodum in possessione denominativa fundi v. g. diuturna possessio æquivalet magnæ, plusque possidet, qui diutius possidet; ita in duratione, quæ est substantiæ, virtutisque possessio, diutior virtus æquipollet maiori, & tantum potest unum agens sub maiori duratione, quantum plura sub duratione minori. Huic perfectioni tres imperfectiones admiscentur in creaturis ortæ ex earundem defectibilitate, ac dependentia omnimoda à Deo. 1. ut duratio sit distincta à substantia rei durantis. 2. ut sit successiva. 3. ut sit terminabilis utrimque. Æternitas autem, quæ est divina duratio, habet communem cum creata perfectionem possessionis, sed excludit triplicem illam creatæ durationis imperfectionem; & primò est perfecta possessio, adeoque per identitatem durationis, & durantis; & secundò est tota simul, adeoque sine ulla successione partium in ipsa possessione, seu duratione: & tertiò est possessio vitæ interminabilis, adeoq; cum essentiali exclusione principii, & finis.

Ex

Ex his habes evidenter, æternitatem divinam secundùm proprium conceptum suum communicabilem creaturæ non esse, nisi velis communicari creaturæ posse totam perfectionem divinitatis, quæ in æternitatis explicatione jam tradita quà supponitur, quà involvitur. Habes iterum manifestè, si creatura ab æterno fuisset, aut in æternum sit futura, non idcircò illi communicandam propriam rationem divinæ æternitatis; adhuc enim in duratione ipsius involverentur tres assignatæ imperfectiones; ut alibi latius concludetur.

CAPUT III.

An Duratio creata distinguatur à substantia rei durantis, & tempore extrinseco, cui correspondet.

Etiam ex iis, qui modos reliquos distinguunt, Nominalibus in duratione neganda subscribunt plurimi, iique magni nominis Philosophi, Suarez, Vasquez, Molina, Valentia, aliique quos refert, & sequitur Oviedus controv. 16. phys. puncto 1. per totum. Contraria sententia communior est inter nostros Recentiores, & mihi omninò verior videtur propter manifestam consequentiam doctrinæ: quam una in hoc capite mihi ostendendam propono; si enim item de duratione, ut de ubicatione philosophandum probavero, reiiciam directè authores modorum existentiam admittentes, indirectè Nominales, in quos redeunt ea omnia, quæ ad probandam ubicationis distinctionem dicta jam sunt.

Probo igitur hanc doctrinæ cohærentiam. Non alio ex capite ubicationem distinctam admittimus, nisi quia dari potest hic locus, & hoc corpus, quin hoc corpus sit intra hunc locum.

cum.

cum. atqui poteſt dari hæc res, & hoc tempus quin hæc res coexiſtat huic tempori. ergo non minus correſpondentia ad hoc tempus importabit formam durationis diſtinctam, & intrinſecam rei, quæ correſpondet.

Reſpondent 1. eſſe diſparitatem in eo, quod poteſt exiſtere corpus, & locus, quin corpus ſit præſens loco. at non poteſt exiſtere res, & tempus, quin res coexiſtat tempori. coexiſtentia enim eſt duorum ſimpliciter dicta, & ſine addito exiſtentia. atqui ut res ſimpliciter exiſtat, non requirit formam ſuperadditam. ergo nec eam requirit, ut alteri coexiſtat.

Sed contra eſt; quia poteſt haberi intra hunc diem v. g. exiſtentia ſimpliciter rei, & horæ, abſque eo quod res horæ coexiſtat; ut mea cogitatio exiſtens prima diei hora, non coexiſtit ſecundæ, & utraque tamen ſimpliciter eſt intra hunc diem. ergo coexiſtentia aliquid addit nudis rei, & temporis exiſtentiis. Neque dicas, quod dum mea cogitatio eſt, ſecunda hora non eſt, ſed erit; nam ut verum hoc ſit, nihil ad rem; quia futuritio ponit exiſtentiam ſimpliciter dictam horæ ſecundæ in tempore ſequenti. redit ergo quod coexiſtentia non ſit illa exiſtentia quomodocumque. Quod ut apertè videas ita ſe habere, urgeo paritatem ubicationis. ut enim ad coexiſtentiam ſecundum locum non ſatis eſt dicere, quod res exiſtat, ubi exiſtit locus, aut quod exiſtentia corporis immediatè ſuccedat exiſtentiæ loci, ita nec ſatis erit, quod res exiſtat, cum exiſtit tempus; utrobique enim æqualiter inquiritur, in loco, quid importet ly *ubi*, in tempore quod importet ly, *cum*.

Manifeſtius id ipſum urgetur in duratione præterita, & futura; ſi enim coexiſtentia rei, & temporis importans nudas ipſorum exiſtentias verificat de præſenti exiſtentiam rei in

tali

tali tempore, idem dicendum de præterito, & de futuro. atqui in his evidenter fallit; neque enim rem fuisse heri est rem fuisse, & heri fuisse; nec rem fore cras, est rem fore, & cras fore, ut constat. ergo rem esse hodie non est rem esse, & hodie esse. quæ consequentia ex eo liquet, quod nihil diversum importat denominatio præterita, aut futura, quod non importat præsens, in ordine ad quam unam illæ denominantur tales. quare si existere corpus, & locum est corpus existere in loco, extitisse corpus, & locum est corpus extitisse in loco, & sic de futuro.

Resp. 2. Hurtadus, ubicationem esse distinctam, quia spatium est quid fixum, ideoque debet fieri mutatio in mobili, quod transit. Oppositum contingit in tempore, quod est fluidum, & res, quæ ipsi correspondet, est fixa: quare satis hic est mutatio in tempore. Sic arbor sita ad fluvii ripam ut diversis aquæ partibus correspondeat, satis est, ut sola aqua mutetur.

Sed contra 1. quia spatium utcumque sit fixum, cum possit & ipsum moveri, debet suam distinctam ubicationem accipere, ut successio localis statuatur inter ipsum, & corpus, quod ubicatur. ergo similiter utcumque res durans sit fixa, seu permanens in sua substantia, quia tamen movetur durativè de tempore in tempus, suam habere debet distinctam durationem. Hinc paritas de arbore retorquetur; arbor enim habet necessariò suam ubicationem distinctam, ratione cuius figitur in uno loco, & fundat correspondentiam cum extrinseco loco: quo variato (non variatur autem per solum aquæ fluxum, ut dictum superius est) variatur etiam intrinseca ubicatio. atqui per fluxum temporis variat res durans tempus simpliciter, nec in se habet, per quod uni potius, quam alteri addicatur. ergo indiget, ut transmute-

mutetur à tempore in tempus, & singulis addicatur, distincta duratione.

Contra 2. quia hic non quærimus correspondentiam tempori extrinseco, quæ est habitudo accidentalis durationi, sed quærimus formam illam determinativam rei, ut sit nunc potius, quam ante, vel post, etiamsi nullum tempus extrinsecum haberetur. omnia hæc constant ex dictis de ubicatione, quam etiam supra statuimus formam absolutam à respectu ad locum extrinsecum.

Obiic. 1. duratio ipsa hodierna per se est indifferens, ut duret, vel non duret hodie, quia potuisset non esse hodie, si hodie non fuisset eius subiectum. aut ergo durat per durationem distinctam; atque ita ibitur in infinitum. aut non; atque itidem asseri de eius subiecto potest.

Resp. totam indifferentiam durationis esse obiectivam, non subiectivam; quia potest non esse hodie ex eo, quod potest non esse; non vero potest esse, & non esse hodie. atqui in metaphysicis ostendetur, obiectivam indifferentiam aptam non esse ad arguendam distinctionem, ut eam arguit indifferentia subjectiva.

Obiic. 2. negatio Antichristi durat etiam suo modo, estque indifferens, ut sit hodie, vel cras. & tamen negatio ista per se durat; quæ enim sit illa forma, à qua negatio denominatur hodierna?

Resp. negationem illam durare hodie per illud ipsum, per quod Antichristus dicitur hodie non durare, h.e. per non esse durationis hodiernæ.

Instabis hodie non solum habetur negatio durationis hodiernæ Antichristi, sed etiam crastinæ, &c. ergo si negatio durationis hodiernæ denominat negationem Antichristi hodie suo modo durantem, negatio crastinæ denominabit

nabit eandem hodie durantem cras: quod repugnat.

Resp. dictum esse, negationem Antichristi denominari durantem per id ipsum formaliter, per quod Antichristus denominabatur non durans hodie; id autem est privatio durationis hodiernæ, quæ simul importat carentiam durationis, & possibilitatem adesse; aliter non denominatur Antichristus contingenter hodie non existens. at hodie carentia durationis crastinæ habet rationem non privationis, sed negationis; cum ita hodie non sit, ut nec possit hodie esse. quare hæc nec denominat Antichristum contingenter non durantem, nec proindè durantem eius negationem.

CAPUT IV.

Utrum omnis creata duratio sit successiva.

QUicumque durationem rei creatæ modum distinctum ab eiusdem substantia statuunt illam pariter volunt intrinsecè fluentem, ac successivam; cum enim quilibet creatus effectus ita sit nunc determinatè, ut possit posteà non esse, ita habet nunc illam formam, à qua determinatur ad existendum nunc, ut non habeat formam, à qua determinatur ad existendum postea; aliter non posset non existere postea; quod est contra rationem creaturæ à divina libertate, ac dominio dependentis, ut semper possit ad eius nutum non existere. Sunt tamen qui asserant, possibilem saltem esse durationem aliquam indivisibilem permanentem v. g. horariam, quæ sit determinatio ad existendum per totam horam, ita ut nec duratio, nec res durans possit intra horam deficere, ac destrui. idem dic de duratione indivisibili annua, imò etiam, si placet, sempiterna. Citatum reperi pro

pro hac sententia P. Suarium disp. 50. met. sec. 5. sed alia omninò est ibi mens Suarii, ut legenti patebit, & constat ex eo, quod ipse durationem à re durante non distinguit. Stat tamen pro ea P. Arriaga disp. 15. Phylos. sec. 2. quam tamen retractat in 2. cursu philos. quia, inquit, multis ea doctrina videtur dura, & minus conformis communi Theologorum sensui.

Dico igitur, omnem durationem esse necessariò successivam, adeoque impossibilem esse durationem distinctam, indivisibilem, & permanentem.

Prob. 1. paritate ubicationis, ex qua superiori capite deducta est durationis distinctio. Quod est natura sua mobile de loco ad locum, non potest in uno tantùm loco existens habere actu determinativum illud ultimum, per quod constitui potest successive in aliis, & aliis locis; ut si existat hic tantùm Neapoli, non potest habere ea determinativa, per quæ natum est successivè existere in toto spatio, quod mediat Neapolim inter, & Romam. ergo quod est mobile de nunc ad nunc, si nunc tantùm est, non potest totam illam formam determinativam habere, per quam natum est temporaliter transferri ab hoc præsenti ad nunc futurum. antecedens, & consequens eandem pariter habent probationē; quia utrumq, mobile cum tali determinativo hic, & nunc tantùm non esset, sed mobile locale esset hic, & alibi; mobile, ut ità dicam, temporaneum esset nunc, & posteà. Subsumo. atqui omnis creatura est mobilis de nunc ad nunc: & dum nunc est, nunc tantùm est; quis enim dicat, quod res nunc existens, existit postea, si verbum *existit*, statum servet? ergo creatura nunc existens non potest indivisibilem durationem accipere, qua ut determinativo ultimo existat non præsenti solum, sed futuro etiam tempore.

Prob. 2. omne contingens ita est mobile de tempore ad tempus, ut ex subiectione, quam essentialiter ad Deum involvit, non possit immobilitari vel simpliciter, vel ad certum tempus quoad esse. atqui duratio indivisibilis immobilitaret subiectum suum contingens pro toto tempore, cui indivisibiliter correspondet: ergo repugnat subiecto contingenti quà tali. maior prob. ex perfectione divini dominii, de cuius ratione est, ut possit Deus de quavis creatura ad nutum in quovis instanti disponere quoad esse, & non-esse. quod dominium cum sit pura perfectio, ea consequenter est, ut nec divinæ libertati subiiciatur, nec possit prædicatum sibi repugnans pati in effectu creato. Et quidem ex hoc capite arguunt contra Durandum Theologi ad probandam necessitatem divini concursus immediatè in omnes operationes creaturarum. Ut ergo quia pertinet ad divini dominii perfectionem, ut Deus creaturæ cooperetur, non potest causæ secundæ addi modus, aut qualitas id petens essentialiter, ut Deus creaturæ non cooperetur: ita quia pertinet à fortiori ad eiusdem dominii perfectionem posse de effectus sui existentia pro quovis instanti disponere, repugnabit pariter effectui modum apponi, qui dispositionem huiusmodi, ac potestatem essentialiter impediat.

Sed hic nota, duplicem suppositionem loqui nos posse, sub qua non possit Deus de creatura disponere: altera est ipsum exercitium suæ libertatis, qua decrevit creaturam non destruere; hac evidens est divinum dominium non violari, ut est evidens universim, principium non destrui actum suum. altera est à tali exercitio distincta penitus, quamvis ad illud consequens; & hunc contendimus dominium violare; quia impotentia, quam trahit in Deo, non est merè consequens, sed etiam

an-

antecedens; quemadmodum si ego mihi pedicas apponam à me deinceps insolubiles; licet sim liber apponendo, necessitas non ambulandi, quæ indè consequitur, non est mere consequens, sed antecedens usum libertatis meæ, in cuius potestate non est amplius pedicas ambulationis impeditivas abiicere.

Dices, non esse contrà Dei dominium, ut non possit durationem indivisibilem horariam v.g. ad semihorariam coarctare, ut non est contra idem dominium, ut non possit ubicationem animæ indivisibilem toti corpori correspondentem ad minus spatium redigere. Et ratio universim est, quia dominium respicit omnes usus possibiles, non impossibiles.

Hæc instantia æquè probat possibilitatem actionis adæquatæ à sola creatura manantis: quæ sane divino dominio non repugnaret, cum hæc esset ipsius natura, ut à causa tantum secunda, & non à prima manaret. probat possibilitatem substantiæ per se ubique, & semper existentis, cuius ea una esset contingentia, ut potuisset non produci. probat possibilitatem creaturæ non solum necessariò conservatæ, sed etiam necessariò productæ, aliaque huiusmodi sexcenta, quæ non nisi absurdè, & inopinabiliter concederentur.

Resp. igitur, Dei potentiam non se extendere ad variandas rerum naturas; neque impossibilem propterea esse hominem, quod non possit Deus ex suo dominio illum creare non rationalem, & sic de ubicatione indivisibili, & aliis omnibus: at verò hæc omnia Deo subesse; ut creata sunt, quoad esse, & non esse; per quod unum Deus in rem contingentem, & in omnia eius prædicata dominatur; quatenus licet non possit ut Dominus facere, ut homo sit, & rationalis non sit, potest ut dominus facere, ut nec homo, nec rationalis sit. at duratio indivisibilis id ipsum Deo aufert; quia semel posita non

potest à Deo fieri, ut non sit & ipsa, & ipsius subiectum: hoc autem est eximi ab illo dominio, quod unum Deus potest exercere in essentias contingentes. Ex qua doctrina innumeræ, nisi fallor, instantiæ, quæ adversus positam rationem urgentur, facile dissolvuntur.

Dices iterum. potest Deus ita decernere, ut omnem actum intentionalem Petri velit æternum perseverantem. hoc deindè decretum aut revelet, aut ostendat Petro, qui vel actu divinę Fidei illi credat, vel illud supernaturali visione intueatur, uterlibet ex his actibus est essentialiter indefectibilis: quia uterlibet est essentialiter verus; uterlibet suam æternam durationem affirmat. ergo non est impossibilis entitas essentialiter indefectibilis.

Plurimi ex iis, qui nobiscum sentiunt circà veritatem stabilitæ conclusionis, admittunt casum, putantque non repugnare entitatem ab intrinseco indefectibilem non quidem per se, & ratione sui, seù, ut loquuntur, ex magnitudine suæ perfectionis, sed ratione essentialis cum divino decreto connexionis. Neque urgeas, indefectibilitatem essentialem actus vel Fidei, vel Visionis in posito casu oriri ex perfectione eorundem actuũ, qui quia non possunt deficere à vero, nec possunt deficere ab esse; id enim, inquiunt, verum est; sed hoc non habent, nisi ab extrinseca conditione objecti, cui connectuntur de sua natura. quare non idcircò hæc cognitio perfectior, quia indefectibilis; cum possit dari cognitio defectibilis, quæ sit longè perfectior ista indefectibili, si sit ad obiectum perfectius, aut perfectiori modo attactum.

Hæc quidem, aliaque huiusmodi ut apparenter, & ingeniose sint excogitata, constat tamen ex jam probatis non dici verè. Ex eo enim quod repugnet creaturæ apponi modum accidentalem, aut prædicatum essentiale, quod il-

illam divino dominio quoad essendi contingentiam subtrahat, fit, ut repugnet talis Fides, aut visio; adeoque ut repugnet, tale decretum à Deo proponi aut credendum aut intuendum, si verum est omnem actum Fidei, & Intuitionis esse essentialiter verum. Neque hoc mirum; similiter enim negandum posse proponi Petro decretum de nullo eiusdem actu intentionali, aut de nullo actu voluntatis producendo; primum quidem, quia propositio non fit, nisi per cognitionem Petri, quam impedire contendit decretum: secundum vero, quia omnis cognitio est virtus per se inductiva amoris; illa autem cognitio, quæ tale decretum attingeret, sivè Fides, sivè Intuitio esset, nullum posset amorem inducere, quod est contra cognitionis essentiam. Ratio à priori, cur in casu non posset decretum conservandi omnem actum intentionalem Petri Petro proponi, est; quia velle hoc decretum proponere est indivisim velle dominio se suo Deum spoliare, quo cognitionem omnem Petri, & Petrum ipsum subiectū sibi necessariò habet quoad essendi, aut non essendi contingentiam. talis autem voluntas multo magis Deo est impossibilis, quam voluntas non concurrendi cum creatura, aut spoliandi se morali dominio in omnia creata.

Dices tertiò difficilius. Datur entitas impossibiliter conservabilis, ut videre est in ipsa entitate durationis: nec propterea diminuitur divinum dominium circà durationem. ergo similiter poterit dari creata entitas necessario conservanda absque eo quod propterea dominium Dei circa eam minuatur.

Nego conseq. & do instantiam. non repugnat divino dominio non posse primo producere A chimæricum. ergo neque repugnabit divino dominio necessitas primò producendi A contingens: quæ consequentia ab omnibus negatur. Directa igitur ratio disparitatis ex

eo est, quod duratio inconservabilis pertinet ad divini dominii perfectionem, eiusque est veluti actus, & exercitium. si enim ea conservabilis esset, necessariò conservaretur, cum sit actuale exercitium; adeoque res, quæ sub tali duratione foret, destrui non posset. cum ergo primum, & directum Dei dominium sit supra rem, & supra modum rei solum ut quò ratione rei; consequens est, ut is modus durandi rei sit tribuendus, quæ ipsam perfecte divinæ potestati subiiciat quoad esse, & non esse, talis est duratio essentialiter successiva, adeoque inconservabilis. ista igitur tantum abest, ut Dei dominium minuat, ut potius ad illud amplificandum sit essentialiter requisita. non sic est duratio essentialiter conservanda, ut patet.

QUÆSTIO QUINTA

De Infinito;

TRactat Philosophus de infinito in 3. phys. Rationem ipse tradit t. 24. *Quia*, inquit, *naturalis scientia est circa magnitudines, & motum, & tempus, quorum unumquodque necesse est aut infinitum, aut finitum esse: conveniens utique erit de natura pertractantem speculari de infinito.* Hanc ergo tractationem in hunc locum distuli ut necessariam ad proxime consequenter dicenda de natura, & compositione Continui, per quam motus localis essentia, ultimo hic intenta, penitus tandem intelligitur, ac declaratur.

CAPUT I.

Quod sit, & quotuplex infinitum.

COmmuniter antiqui infinitum definiebant, Id, cuius nihil est extra. Reiicit hanc notionem Philosophus ut pote non propriam infiniti, sed totius, ac perfecti: quod dicitur illud, cui nulla pars deest debitæ magnitudinis. quare ut nihil hominis sit extra hominem, homo non propterea est infinitus. Potest tamen aliter intelligi hæc notio, ut approprietur infinito, de cujus ratione est omnia absorbere, quæcumque possibilia sunt in ea linea, in qua est infinitum: secundùm quam notionem & infinita multitudo debet continere omnem possibilem multitudinem, & infinita extensio omnem possibilem extensionem, idemque de cæteris. Hoc autem quatenus infiniti sit proprium, infrà declarabitur.

Infinitum ergo ex Aristotele est, cuius secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid extrà accipere. Sensus est. infinitum est illud, ex quo quantumcumque finitum accipias (hoc significat accipere secundum quantitatem, accipere secundum mensuram) semper aliud, & aliud manet ulterius accipiendum, non redeundo ad jam acceptum, ut in circulo; quare infinitum dicitur, quodcumque successivis acceptionibus finitis exhauriri nullátenus posset.

Et hoc est, quod voluit idem Philosophus 3. phys. t.66. dum ait, infinitum habere rationem non totius, sed partis; quia, ut explicat D. Th. non est de ipso accipere, nisi aliquam partem in actu. Propterea etiam dicitur esse in potentia, non in actu, esse ignotum, &c. quæ sunt intelligenda relate ad acceptionem nostram mensuratam, & successivam num-

quam exhauribilem, in qua ut sēper manet plus accipiendum, ita & plus cognoscendum. Hinc recte Mayron. in 1. d. 44. q. 10. ar. 1. contendit intelligendam hanc definitionem relate ad nostrum intellectum; & rursus non quomodocumque, sed clare concipientem, ac distinguentem. Cæterum relate ad intellectum divinum verissimum est, quod ait D. Th. 1. contra Gentes c 69. infinitum ad scientiam divinam se habere, ac si esset finitum.

Sed hic non est prætermittendum hanc infiniti proprietatem verius, quàm essentiam probari per ipsum quid nominis infiniti, quod indivisim est quid rei. Infinitum enim ex vi vocis est excludens finem: quæ notio ut videatur negativa, reipsa est positiva, quia finis formaliter est negatio excursus: negatio autem negationis positivum est aliquid. Ex hoc autem evidenter consequitur, ut successive accipiendo, & numerando semper sit ulterius accipere, & numerare; aliter deveniretur ad terminum, & finem ab infinito essentialiter exclusum. Quod notandum propterea fuit, quod Ariaga infinitum admisit utrimque clausum, ac terminatum, putans salvari sufficienter rationem infiniti in notione Aristotelica; sed de hoc infra.

Ex divisionibus porrò infiniti duas seligo potissimas. Prima est infiniti simpliciter, & secundum quid. Duplex est harum vocum potestas. prima, qua infinitum simpliciter sonat infinitum in omni genere, & ut solet etiam dici, extra genus: quo pacto solus Deus est infinitus. infinitum vero secundum quid sonat infinitum sub certo genere non excurrens ad alterius generis perfectiones: ut infinita multitudo equorum hominis perfectiones non participans. secunda est, qua infinitum simpliciter accipitur pro eo, quod sub certo licet genere, excludit tamen simpliciter terminum,

ut

ut infiniti homines; infinitum vero secundum quid, quod licet in suo genere limitatum, excessu tamen indivisibili superat, & quodammodo complectitur infinita generis inferioris, ut Dei visio excedens infinitas creaturarum cognitiones.

Altera divisio est in infinitum cathegorematicum & syncathegorematicum, quæ, quia & momentum habet ad dicenda, & difficultatem, specialiter tractanda est.

CAPUT II.

Quatenus infinitum cathegorematicum à syncathegorematico distinguatur.

CAthegorema ex summulis est termini in significando determinatio. Syncathegorema est significandi indeterminatio. Infinitum ergo cathegorematicum illud erit ex vi vocis, quod partes omnes, quibus componitur, in unum colligit, ac significat determinate: syncathegorematicum verò illud quod significat partes suas indeterminatè, & confusè; quæ significatio exprimitur iis loquendi modis, quibus infiniti syncathegorema declaramus, dum dicimus, *non tot quin plura, maius, & maius sine termino, &c.* Ex quo est, ut nomen *infinitum* dupliciter supponat: primò determinate pro certa collectione, ac multitudine: secundò confusè, & non verificabiliter de ulla parte determinata; neque enim ulla est pars, aut entitas, quæ possit esse maior, & maior in infinitum; quia nulla potest esse se maior.

Scio aliter ab aliis hæc infinita declarari; sed lubet huic expositioni insistere; est enim communis apud antiquos, & magis inhæret primæ istarum vocum impositioni. Ulterior autem de hac re altercatio inutilis est; ac pro-

indè satis est declarasse, quid per has voces intelligo.

Atque hinc infero 1. infinitum syncathegorematicum non esse definibile. Prob. omnis terminus definibilis pro re aliqua certa, determinata, ac demonstrabili supponit. quid enim definias *hoc vel illud*, v.g. *hominem*, *vel brutum?* at infinitum stans syncathegorematicè pro nulla tali re supponit. ergo non est definibile.

Infero 2. hinc, definitionem Aristotelicam non esse infiniti syncathegorematici, sed cathegorematici, quod per syncathegorematicum definitur; & sit sensus, quod sit illa determinata vel multitudo, vel magnitudo, ex qua plura, & plura accipiendo, nunquam sit ad terminum devenire.

Infero 3. indeterminationem, quæ in infinito syncathegorematico reperitur, totam se tenere ex parte termini, ac modi significandi, & nullatenus ex parte rei significatæ; quæ enim indeterminatio sit in re, quæ determinatè scilicet est, aut determinatè non est, tantaque est, & non maior? Hæc profectò una determinatio fingi in re potest, quod nullā sibi determinat certam, finitamq; acceptionem, præter quam non possit sufficere maiorem: in quo differt à finito, quod essentialiter petiit, ne accipiens ultra certam acceptionem progrediatur.

Infero 4. cathegorema infinitatis non pendere ab eo, quod omnes eius partes simul sint à parte rei, sed ab eo, quod partes habeant tantam, talemq; determinationem, ut possint accipi, & significari simul sub nomine collectivo. Hæc pars secunda constat ex dictis; cum in hoc stet formaliter ratio cathegorematis in infinito. Quod autem secunda hæc pars non pendeat à prima, evidens mihi ex eo est. quod etiam quæ simul esse non possunt, possunt simul accipi,

pi, & significari. exemplum habes manifestum in hora, quæ est nomen collectivum simul significans, quæ nec sunt, nec possunt esse simul. Et quidem nomina significant res non ut in se, sed ut in anima sunt. quare si quæ sunt simul, possunt significari simul, à fortiori, quæ cognoscuntur simul.

Infero 5. omne infinitum cathegorematicum esse syncathegorematicum cõstat ex 2. illatione, in qua dictum est cathegorematicum definiri per syncathegorematicum. & quidem omnis multitudo, & magnitudo infinita etiam actu existens est talis, ut possit significari confusè, significatione nim. cadente non supra totam illam multitudinem, aut supra certam eius partem, sed suprà hanc, vel illam, maiorem nim. vel maiorem in infinitum.

Infero 6. omne infinitum syncathegorematicum esse indivisim cathegorematicum in sensu, quo hæc nomina hactenus usurpavimus. Accipio enim multitudinem rerum possibilium, quę juxtà omnes infinita est saltem syncathegorematicè: & hanc ipsam contendo esse cathegorematicè infinitam, hoc est significabilem, & actu significatam totam simul. quod ita ostendo. Ista propositio, *multitudo infinita possibilium non potest à Deo tota actu poni*, habet sensum verum juxtà adversarios. ergo subiectum debet posse sumi cathegorematice, & collective. ergo significatio determinata, & collectiva non repugnat infinito.

2. Vera hæc propositio, Possibilia à Deo cognita non habent terminū. in hac autem propositione subiectum non stat syncathegorematicè, & in suppositione confusa, sed determinata, & copulata; quia non sit sub eo descensus aut disiunctivus, aut copulativus, ut constat, sed tantum copulatus, seu per propositionem de copulato subiecto. ergo possibilia infinita significantur cathegorematicè, & collectivè.

3. Intellectus noster format collectionem finitorum etiam non collectivè ponibilium, v. g. sexagenarium minutorum in hora. min. ubi singulas horæ partes cognovit, ea deindè una indivisibili cognitione concludit, & colligit collectionem non se tenentem ex parte rei significatæ, sed ex parte modi significandi: in quo stat ratio cathegorematis, atqui similiter omnia possibilia infinita sua cognitione Deus comprehendit, & concludit. ergo format ex iis intentionaliter collectionem nomine collectivo, & cathegorematico significabilem. Hoc argumentum desumo ex D. Thom. 1. contrà ad Gentes, ubi sic arguit: *sicut se habet finitum ad finitum, ita infinitum ad infinitum. si igitur secundùm intelligere nostrum, quod finitum est, finita capere possumus, & Deus secundùm suum intelligere infinitum infinita capere potest*. In quem locum Ferrariensis addit, distinctionem intellectus creati ab increato in ordine ad infiniti cognitionem in hoc stare, quod creatus, quia successive accipit infinitum, semper habet, quod accipiat: increatus vero accipit totum simul. Quod quidem licet sit verum quoad distinctam cognitionem, non tamen quoad confusam, ut dictum est cap. sup.

4. Quæ multitudo, aut magnitudo habet aliquod esse determinatum, quod illi simul convenit, ea est tota simul acceptibilis, & significabilis. hæc enim est ratio, cur tota simul acceptibilis sit possibilium multitudo eo ipso, quod singatur à p. r. simul existens. atqui ea simul existit objectivè in divino intellectu. ergo tota simul acceptibilis est, & cathegorematicè significabilis.

Plura adderem ad id confirmandum, nisi puderet diutius versari in quæstione grammaticali, an liceat scilicet omnia possibilia (do nũc adversariis ea non posse, aut infinita simul,

aut

aut omnia in actu poni) exprimere, ac significare nomine collectivo. quam quidem potestatem quo jure grammaticis auferant, non video; nisi velint difficultates de re, vocibus ad arbitrium usurpatis, vitare. Quid enim sibi volunt, dum propositioni assumenti nomina collectiva ad significandum infinitum, suppositum negant? quia, inquiunt, nomen collectivum infinito appositum significat illud simul simultate obiecti, non cognitionis; adeoque est nomen pro nullo supponens. at quæso, unde hoc habent? an non nomina collectiva tempus significantia, ut hora, dies, annus, simul significant partes non potentes simul existere? Præter hæc dum aiunt, Deum cognoscere omnia possibilia non collective, sed distributive accepta, videntur mihi loqui pugnantia in terminis; cum enim acceptio rerum intentionalis sit ipsa cognitio (nisi nomine acceptionis eam solum intelligant, quæ manu fit) quæ sanè tota simul existit, dicere quod simul cognoscantur, & non simul accipiantur possibilia, est dicere, quod cognoscantur simul, & non simul.

Infero 7. infinitum categorematicum hactenus explicatum esse verè, & propriè infinitum perinde, ut si totum actu existeret à parte rei. Prob. multitudo est multitudo etiam, dum actu non existit, accipiendo ly *est* ampliativè in quo sensu illationem intelligo) secundum quod nomen multitudinis extendimus etiam ad ea, quæ actu non sunt, eaque proindè numeramus, & dicimus tot secula à mundi exordio præteriisse, & si cui id fuerit, revelatum, is dicet tot superesse futura, quamquam neutra de præsenti aliquid sint. Multitudo igitur possibilium collective accepta multitudo est., & non finita simpliciter, neque finita in infinitum; sic enim non collectivè, sed distributivè, non categorematicè,

sed

sed syncategorematicè accipitur. ergo simpliciter infinita.

Cont. si infinita multitudo collectivè per solam cognitionem accepta simpliciter infinita non esset, si ea esset posita in re, ut est accepta in mente, non esset posita multitudo infinita simpliciter; adeoque si omnia possibilia ponerentur, non poneretur infinitum simpliciter: quod, adversariis etiam fatentibus, est falsum. sequelam probo. actualis enim positio non auget, aut minuit multitudinem, sed solum illam à possibilitate ad actualitatem trahit. si ergo ea multitudo in statu obiectivo infinitatem non habet, utcumque transferatur ad statum realem. si eadem illa transfertur, infinitatem non acquiret: ut non acquiret esse realem multitudinem, nisi fuerit multitudo obiectiva.

CAPUT III.

An sit de conceptu infiniti excludere terminum.

MIrabitur fortasse, nec immerito, quisquis hunc titulum leget, quasi adducam in quæstionem per se in suis terminis notissimam veritatem, infinitum scilicet non posse esse finitum. quia tamen ea non modo est vocata in dubium, sed expresse negata à duobus præclaris cæteroqui Recentioribus Arriaga, & Magnano admittentibus infinitum utrinque clausum, probanda in præsenti est. Et primum peto ab his, ut explicent, quid nomine infiniti intelligant, si non intelligunt id, quod caret fine? Respondet Arriaga, infinitum esse, quod finito tempore pertransiri non potest, quatenus incipiendo ab uno termino nunquam sit devenire ad alterum. Respondet Magnanus infinitum esse, quod habet partes nullo

nullo finito numero comprehensibiles. Quod si petas ab ipso, quid sit numerus finitus, per quem definit infinitum, respondet esse quamcumque multitudinem, quæ secundum propriam numeri speciem potest designari, ac numerari.

Uterque se implicat, dum reiectis communibus, ac certissimis notionibus, alias de suo cudere sibi tentat. Quæro igitur prius ab Arriaga, quid sit nunquam devenire? certe, nisi alium hic velit adhibere loquendi abusum, nunquam devenire est nullo tempore devenire. jam ergo si infinita multitudo clausa extendatur per dies æternitatis à parte post, ut singulis diebus singulæ unitates correspondeant, nullus erit dies, cui aliqua unitas non correspondeat; aliter erit aliquod tempus, in quo sit devenire ad terminum, quo clauditur infinitum. hinc autem fit, ut infinitum illud clausum commensuretur æternitati. quare aut æternitas à parte post habebit ultimum, quod negat meritò Arriaga, aut illa infinitas non habebit.

Neque rectius procedit Magnanus: multitudinem enim infinitam explicat per exclusionem numeri finiti, & hunc relinquit inexplicatum, imò & inexplicabilem, nisi hoc sit esse finitum, habere finem. numerus enim est multitudo mensurata per unum, adeoque finita; atque hæc notio supponitur ad explicationem cuiuscumque speciei numeri; quia intelligi non potest species, nisi præintelligatur genus, quod est pars metaphysica speciei. Quid ergo est in numero, ut præcisò à suis speciebus esse finitum? si dicis, hoc esse, in specie aliqua numeri esse, petis perinde principium, ut si explicaturus, quid sit animal, diceres esse illud, quod est in aliqua specie animalis.

Urgeo præterea contra hunc authorem, quod
modo

modo contra Arriagam dicebam de commensuratione huius infiniti clausi cum æternitate à parte post. Sed iste se expedit, admittendo ultimum in æternitate, quam vocat inadæquatam, & dimidiatam. En quo devenimus, ut probandum sit æternitatis non esse ultimum, cum sint, qui docti videri volunt, & hoc negant. Hoc certe nec ipse Arriaga est ausus, nec alius quisquam homo, quem sciam. Profectò quod est aliquando terminandum, æternum non est; at si æternitas in post sit clausa, aliquando est terminanda. ergo æternitas non est. maior si negetur, invertit notiones omnium hominum de æternitate non loquentium nisi per semper, & nunquam cum aliquandò sit adverbium non æternitatis, sed temporis. minor est evidens; quia dies ille certus claudens æternitatem, aliquando erit, cum idem ipse sit aliquod tempus, quod exprimitur per aliquando, quare si ipse claudit æternitatem, manifestum est, quod aliquando terminabitur æternitas.

Arguo deindè. De ratione infiniti est superare, quodcumque finitum. ergo de ratione infiniti est excludere ultimum. antecedens est evidens ex terminis. prob. conseq. Inquirendo, an in numeris finitis maioribus, & maioribus sit progredi sine termino, an sit stare in uno, quo non sit maior secundum non dicent, nisi qui asserant multitudinem infinitam possibilem non esse maiorem numero finito. stat ergo primum, quo posito, sic arguo. pono in una parte collectionem numerorum maiorum, & maiorum sine termino, ex altera multitudinem infinitam cum termino. tum quæro, an illa multitudo sit æqualis alicui numero finito collectionis interminatæ, an quemlibet excedat, an ab aliquo excedatur, si primum, aut tertium dicatur, manifestum erit multitudinem infinitam non superare

quem-

quemlibet numerum finitum. restat ergo secundum, ut quemlibet excedat. Jam vero eo ipso, quod hæc multitudo quamlibet eius collectionis partem excedit; par est illi toti; adeoque terminatum est æquale interminato. Et quidem hoc est collectionem numerorum superare quemlibet numerum, qui est ipsius pars, cuilibet numero dato alium maiorem superaddere; & per hoc formalissimè illa collectio est interminata. atqui illa multitudo eodem pacto ad eosdem numeros comparatur, ergo est æqualis collectioni numerorum, & terminum ipsa quoque non habet.

Arguo iterum, & sumo multitudinem infinitam hominum ordinatam, in qua sit primus & ultimus homo, sed ultimus infinitè distans à primo. inquiro nunc, penultimus infinitè, an finitè distet à primo. si secundum, sequitur, finitum fieri infinitum per unius ultimæ unitatis additionem. si primum, idem peto de antepenultimo, ac reliquis, num singuli infinitè distent à primo, an aliqui finitè, aliqui infinitè. non singuli infinitè; aliter secundus infinitè distaret à primo. restat ergo, ut aliqui finitè, aliqui infinitè à primo distent. & hi quidem certi sunt, ac determinati, quos Deus proinde evidenter distinguit: & rursus cum isti homines sint invicem immediati, videbit Deus collectionem infinitè distantium à primo immediatam collectioni distantium finitè. ubi autem istæ duæ collectiones immediatæ sunt, duos homines est reperire propinquos, quorum alter à primo distat finitè, alter infinitè. adeoque finita collectio finitè distantium per unius additionem infinitè distantis evadet infinita.

Arguo 3. Sit area secundum longitudinem infinita, sed terminata utrinque, & secundum latitudinem palmaris, ut formet parallelogrammum, in quo ducatur diameter dupli-

cem

cem triangulum distinguens basi palmari incumbentem. Nunc sic. duo latera trianguli eo magis inter se distant, quo magis distant à puncto verticis. atqui ab eo puncto infinitè distant per puncta, quibus desinunt in basim. ergo secundum ea puncta infinitè distant. sed ea puncta non distant, nisi palmariter. ergo palmaris distantia est infinita.

Arguo demum 4. si non repugnat infinitum clausum, nec repugnabit circulus infinitus. Sit ergo. Profectò quo maior est circulus, eo minus curvæ sunt ipsius partes, magisque accedunt ad rectam lineam. si ergo circulus sit infinitus, partes ipsius maximè recedent à curvitate, & maximè accedent ad rectitudinem. maximus autem accessus ad rectitudinem est rectitudo, ut evidens est. quare circulus non amplius erit circulus, de cuius essentia est æqualis distantia partium à centro, adeoque curvitas. Quod si hoc etiàm neges, circulum infinitum esse maximum, certè non negabis illum esse maiorem quocumque finito. in circulis autem finitis aut est progredi in plus, & plus sine termino; aut est stare in maximo. hoc secundum non dices, nisi negando possibilitatem circuli infiniti maioris quocumque finito. si primum, redit argumentum; quod cum infinitus circulus superet quemcumque finitum, adeoque accessus ipsius ad lineam rectam sit major quocumque accessu maiore, & maiore finitorum circulorum, erit consequenter maximus accessus ad rectitudinem.

Obiicit Arriaga. inter hominem, & lapidem clauduntur infinitæ animalium species inter se inæquales, respectu quarum homo est ultimus, quia est illarum perfectissimus, & lapis est primus, quia est illarum imperfectissimus. Alia exempla affert disp. 13. phys. sec. 1. num. 4. quibus putat intentum suum se conficere evidenter, sed quæ evidenter ostendunt in-

telle-

tellectum accedentem ad infiniti cognitionem finitudinis phantasmatis occupatum; ut constabit ex dicendis.

Præsens autem exemplum ita est extra rem, ut nihil supra. species animalium, ut dentur infinitæ possibiles inter hominem: & lapidem, non sunt tamen infinitæ secundum perfectionem, & extra genus, sed secundum multitudinem, & intra genus animalis; quare secundum hanc possunt claudi, licet non secundum illam. sic partes continui finitæ secundum magnitudinem utrinque clauduntur, infinitæ secundum multitudinem terminum essentialiter excludunt.

CAPUT IV.

Præcipua infiniti proprietates ex dictis deducuntur.

PRima infiniti proprietas est, quod non sit numerabilis. Vt hæc probetur de infinito, videndum, quid sit. Numeratio est actus intellectus plura successivè accipientis cum quadam reflexione supra res acceptas, quas eas in certam mensuram, ac summam redigit. quare non satis est ad numerationem successiva plurium cognitio, cum multa successive cognoscimus, de quibus interrogati non possumus respondere, quot sint, requiritur ergo reflexio, nec quæcumque, sed in certam summam redigens cognita, ut possimus respondere interroganti, quot sint, per certum aliquem numerum v. gr. decem, centum, mille &c. Est ergo numerationis proprium in numeratis primum, & ultimum reperire, per quod multitudo mensuram accipit. hinc numerus vulgò dicitur. multitudo mensurata per unum: Hæc autem omnia infinito ex dictis repugnant.

Alte-

Altera proprietas infiniti est, ut sit incapax loci, & figuræ. utrumque enim ex his terminat corpus: infinitum autem omnis termini est incapax.

3. Proprietas est, ut pertransiri non possit: hæc tamen est limitanda; non enim admitto omnem transitum repugnare infinito, sed illum unum, qui ponit in eo primum, & ultimum. Atqui non omnem transitum ponere in infinito primum, & ultimum, certissimum mihi primo est ex iis, quæ sequenti quæstione ostendam de infinitis partibus continui proportionalibus actu pertransitis per quemcumque motum. Deinde puto etiam posse pertransiri finito tempore v. g. hora spatium, & magnitudinem infinitam, si solum supponantur partes horæ proportionales actu infinitæ, & mobile ita moveri, ut in quacumque parte proportionali horæ acquirat duplo maiorem velocitatem. Sic enim in primo quadrante unum milliare, alterum conficiet in proximo semiquadrante, & sic de aliis; atque adeo in instanti extrinseco horæ terminativo infinita milliaria confecit. In quo casu nihil aliud video, quod opponi possit, nisi illud, quod in instanti terminante horam mobile esset ultra totum spatium infinitum, adeoque illud clauderet, ac terminaret. Sed occurritur facile dicendo, quod mobile post motum cum esse nullibi non possit, aut destrui deberet, aut alibi à Deo poni.

4. Proprietas infiniti est, ut sit non semel, aut bis, &c. sed infinities infinitum. quare non est possibilis multitudo infinita habens infinitas unitates, & non infinitos binarios, ternarios, &c. Prob. aliter ex finito bis, aut ter replicato constitueretur infinitum: quod fieri evidenter non potest. sequela prob. in infinito semel infinito si tot essent unitates, quot binarii, multitudo finita esset: at si essent

duplo

duplo plures, esset infinita multitudo, qualis ponitur ab adversariis. eodem argumento probabis in quolibet infinito esse infinitos ternarios, quaternarios, &c. Rursus in æternitate à parte post aut est infinitas dierum semel talis, aut non est. si primum, illa est terminata, ubi exceditur ab alia maiori. si secundum; sumo multitudinem hominum semel infinitam, & illam æternitati coextendo; vel ergo tota toti correspondet; atque ita contra suppositum illa multitudo non est semel infinita. aut non correspondet toti, sed exceditur per partem; & ubi exceditur, terminatur. Responsio, quæ potest dari, negando casum, infra erit manifestè impugnanda.

Hinc fit, ut ex qualibet infinita multitudine possint plura, & plura in infinitum, non solum finita, sed etiam infinita detrahi; si enim sunt in ea infiniti binarii, potest inde accipi una infinita multitudo unitatum, alia relicta, & quia in hac etiam infiniti sunt binarii, potest alia infinitas unitatum detrahi, atque ita sine termino. Ex hoc autem unum infero satis mirabile (sed quid non mirabile nobis finitis in infinito?) quod si sint infiniti lapides hinc versus orientem dispositi, possunt aliter à Deo disponi, ut occupent spatium infinitum, & versus Orientem, & versus Occidentem, imò ut occupent spatium infinitum ex omni parte, adeoque immensum. Ratio descendit ex modo dictis. Infinitum lapidum continet in se lapides infinities infinitos. quare poterit Deus omnes eiusmodi infinitas infinitates dividere, & singulas disponere quodammodo in gyrum, ut omne penitus spatium impleant, neque enim potest spatium remanere, quod divisione infinitatum in alias infinitates repleri non possit. Quod quidem quamvis difficile intellectu est, dandum id tamen non impossibilitate obiecti, sed magnitudini, cui ni-

hil est commune cum iis, quibus cognoscendis assuetus ab incunabulis est intellectus humanus. Adducendum ergo in rem præsentem est celebre dictum Aug. ep. 3. ad Volusianum: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

5. Proprietas infiniti, eaque non parum inter authores controversa est, ut infinito nil possit esse majus. Hæc quidem communius à Scolasticis infinito tribuitur, præsertim à Scoto in 2. d. 1. qu. 3. Aureolo, Mayrono, Ferrariensi, Richatdo, Ariminensi, Suario, Vasquio, Conimbr. aliisque multis apud Fasolum 1. p. q. 7. art. 3. dub. 5, num. 3. mens D. Th. est dubia.

Prob. tamen hæc de infinito proprietas 1. ratione Scoti. Minus est, quod exceditur. nullum infinitum potest excedi. ergo nullum infinitum potest esse minus. min. prob. excedi est pertingere ad certum terminum, & mensuram, ultra quam excedens progreditur. at in infinito nullus est terminus, nulla mensura. ergo infinitum non potest excedi.

Prob. 2. quodlibet infinitum cuilibet infinito posset congruere. ergo nullum infinitum est alio maius, antecedens prob. ex nuper ostensis de quolibet infinito infinities infinito. sint homines infiniti, quibus singulis centum sint annuli, adeoque juxta hypothesim, quam impugno, infinitum hominum minus sit infinito annulorum. jam vero iidem illi annuli infiniti possunt singuli singulis hominibus correspondere; ideò enim non possent, quia sunt infiniti annulorum centenarii, & hominum infinitæ unitates; atqui in his sunt etiam infiniti centenarii hominum. ergo possunt his centenariis annulorum centenarii respondere, & congruere.

Prob. 3. nullum infinitum potest esse clausum. infinitum minus necessario esset clausum.

sum. ergo nullum infinitum potest esse minus: prob.min. 1. in infinita successione durativa, in qua si infinitum cogitationum minus infinito dierum illi coextendatur, erit aliquis dies, cui nulla correspondeat cogitatio, adeoque infinitum cogitationum erit clausum inter primum, & ultimum diem. 2. idem constat in infinita extensione; sint enim infiniti lapides nigri pauciores infinitis albis; tum si utrique hinc versus orientem infinitè extendantur; certè non congruent; adeoque in parte, qua unum ab alio exceditur, manifestè terminabitur. 3. ex his idem dicendum infertur de infinita quavis multitudine, si cum alia quavis comparetur, & cum illa coordinetur.

Neque dicas, casus istos impossibiles esse, neque inde inferri impossibilitatem infiniti minoris, sed minoris cum maiori coordinati. Nam contra est, ordo enim partium non est natus augere, aut minuere earum multitudinem, neque apponere illis, aut detrahere terminum, sed solum ostendere earum quantitatem, aut terminationem. si ergo ista coordinatio infinitorum inæqualium est impossibilis, & non aliunde, nisi quia minus maiori correspondens apparet terminatum, erat consequenter terminatum ante hunc ordinem; quamquam per ordinem ostendatur eius terminatio.

Conf. 1. ex communi sensu Theologorum; quem testatur Suarius tom. I. in 3. p. disp. 4. sec. 4. §. *hinc tertio fit*, infinitatem simpliciter valoris in Christi operibus agnoscentium, & ex hoc asserentium non plus meruisse Christum per multa, quam per unum opus, idque ex hoc ipso, quod infinitum magis, & minus non suscipit.

Conf. 2. quod est in omni ratione infinitum in nulla ratione potest habere maius. ergo quod est in una ratione infinitum non potest in illa

illa maius habere, conseq. ex eo evincitur, quod ut se habet infinitum in omni ratione ad excludendum maius in omni ratione, ita infinitum in una ad excludendum maius in illa antec. vero constat in Deo, qui in omni linea infinitus, nihil habet se maius, quare ex additione creaturæ non crescit, nec cum illa constituit complexum æstimabilius, & perfectius. hinc D. Th. 1. 2. q. 34. ar. 3. ad 2. docet, *Optimum simpliciter, per cuius participationem omnia sunt bona, ut est Deus: nullius boni additione fieri melius.*

CAPUT V.

Utrum in effectibus possibilibus sit procedere in infinitum.

Resolutio affirmativa est communissima contra Arriagam, qui admittit possibilem effectum creatum omnium maximum, adeoque ultimum, & sic negat revera infinitum progressum in maius in possibilibus creaturis.

Prob. resolutio argumento desumpto ex D. Thoma 2. contra Gentes c. 26. quod sic formo. Infinitum participabile non potest à finitis in certa mensura participari. atqui Deus est infinitum participabile. ergo non potest dari numerus certus, aut certa perfectio creaturæ, quæ ita Deum participet, ut non sit ulterius participabilis; adeoque in creatis effectibus secundum numerum, & perfectionem est progredi in infinitum. minor indubitabilis est ex ipsa ratione Deitatis, cui nulla perfectio competit non illimitata. maior prob. ut enim pertransibile infinitum nunquam potest ita finitè pertransiri, ut non maneat ulterius pertransibile. & infinitum numerabile numquam potest ita numerari, ut post quamcumque numerationem

maior

maior alia non maneat; ita & participabile infinitum numquam potest ita participari, ut post quamlibet finitam participationem alia ulterior non supersit. Et quidem hoc est de essentia cuiuslibet infiniti, ut accipientibus semper sit ulterius accipere.

Conf. dato enim in creaturis perfectioribus termino, vix, & ne vix quidem explicari potest infinitas divinæ participabilitatis, & potentiæ productivæ ad extrà, quæ scilicet intra certos limites coercetur, ut possit ad tot creaturas progredi, & non ultrà.

Obiicit Arriaga, possibilem esse creaturam omnium creabilium perfectissimam. hæc autem esset ultima. ergo in creaturis possibilibus non est progredi sine termino. maiorem probat 1. quia nulla traditur eius creaturæ repugnantia. 2. in tota possibilium collectione est devenire necessario ad perfectissimam; ut enim in creaturis productis est devenire ad primam immediate à Deo productam, ita in progressu possibilium est devenire ad primam Deo immediatam. 3. collectio possibilium creaturarum summè accedit ad Deum, cum inter ipsam, & Deum nihil mediet. sed non accedit ratione singularum imperfectiorum. ergo ratione unius perfectissimæ. 4. Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest: quæ propositio innegabilis est, cum sit identica. demus igitur, quod creaturam talem producat, manifestum est non posse jam producere aliam perfectiorem; aliter non produxisset perfectissimam.

Nego maiorem; ad cuius primam probationem dico 1. repugnantiam traditam esse in nostræ resolutionis probatione. dico 2. ineptè quæri à nobis istam repugnantiam; creatura enim perfectissima duo dicit; alterum quod sit tantæ, & non maioris perfectionis: alterum quod non sit possibilis alia, quæ illam ex-

excedat, de hoc autem secundo est quæstio præsens. cum ergo à nobis quæritur, cur repugnet creatura perfectissima, id re ipsa quæritur, cur repugnet repugnare creaturam perfectiorem. jam vero qui repugnantiam asserit non repugnantis, incumbit ipsi, qui limites statuit divinæ potentiæ, positive probare repugnantiam.

Ad 2. nego assumptum, quod quidem verificari deberet in speciebus numerorum maioribus in infinitum nihilò minus, ac in speciebus entitatum perfectioribus; cum tamen numerum maximum Arriaga non admiserit. Paritas verò adducta assumit falsum, non posse scilicet dari progressum infinitum in creaturis producentibus, & productis. Quod si quis hunc progressum neget, aliunde petere debet repugnantiam, quam ex ordine præciso infinita disponente.

Ad 3. accessus collectionis ad Deum non est ratione unius partis determinatæ, inter quam, & Deum semper alia pars mediat, neque ratione singularum partium distributivè, sed ratione totius indivisibiliter acceptæ possibilium multitudinis. ita sequenti quæstione dicemus haberi contactum inter corpora.

Ad 4. similiter quis probaret possibilem esse chimæram; nam ista pariter erit identica, Deus potest producere chimæram perfectissimam, quam potest. probaret possibilem esse numerum maximum; quia hæc etiam identica erit, Intellectus numerando potest attingere numerum maximum, quem potest. Directe dico valdè mihi esse mirum, illam propositionem, ut jacet, vocari ab Arriaga identicam, cum subiectum illius sit, *Deus*, prædicatum verò *potens producere*: quæ voces synonimæ non sunt. Itaque propositio potest dupliciter intelligi. 1. sic. Deus potest producere creaturam perfectissimam omnium, quas potest producere: & in hoc

hoc sensu propositio nec identica est, nec vera; cum petat principium. 2. sic. Deus potest producere creaturam perfectissimam; quam creaturam potest Deus producere, & hęc rursus potest accipi absolute; atque ita non est, nisi inutilis repetitio eiusdem propositionis falsæ: & potest accipi conditionatè, ut sensus sit, potest, si potest; atque ita est propositio vera, sed quia habet conditionem impurificabilem, nihil probat.

CAPUT VI.

An possit Deus infinitum creatum in actu categorematicum producere.

INter oppositas super hac re sententias, quarum authores videri possunt apud Fasolum 1.p.q.7.ar.3.dubit.12. affirmantem eligo, pro qua Philosophum stare contendit ibidem Fasolus dubit.2. Certe 6. Top. c.3. reiicit Aristoteles eam lineæ rectæ definitionem, cuius medium non exit ab extremis. propterea, quod lineæ infinitæ non convenit. atqui, ut advertit Bassolus, non improbatur definitio, quia non convenit chimæræ. linea ergo infinita non est Aristoteli chimæra.

Sed dum infinitum creatum possibile pronuncio, non intelligo infinitatem in essentia, & extrà genus, qualis Deo competit; eadem enim argumenta, quæ demonstrant Deum esse, & unum esse, demonstrant nihil à Deo distinctum posse esse in essentia infinitum; quidquid enim à Deo distinguitur, contingens est, adeoque defectibile, & defectuosum: nihil autem tale est infinitum in essentia. Intelligo igitur infinitatem accidentalem, & intra genus, quæ trifariam dividitur, in magnitudinem scilicet, multitudinem, & intensionem infinitam. sed infinitum in multitudine est primum,

ex cuius possibilitate reliqua pendent, cum in reliquis includatur; magnitudo enim est multitudo corporum juxta se positorum: intensio est multitudo graduum qualitatis intra se positorum, eidemque parti subiecti correspondentium. Sed non eo ipso, quod possibilis statuitur infinita multitudo, sequuntur possibiles reliquæ infinitates; in quibus potest specialis repugnantia nasci vel ab extensione partium ordinatarum in spatio, vel à virtute, & activitate graduum intensionem perficientium in subiecto.

Jam vero infiniti possibilitatem probo primo ad hominem. Nemo enim fermè est ex contrariæ sententiæ authoribus, qui non aliquod infinitum creatum admittat, aut ex cohærentia doctrinæ admittere non teneatur. Quod primo ostenditur contrà D. Th. & Thomistas admittentes mundum ab æterno possibilem cum successivis rerum generationibus, ut nunc est; essent enim in ea hypothesi producti nunc infiniti homines, & infinitæ rationales animæ: quæ nisi mortales statuantur, aut ad Pythagoricam transmigrationem recurratur, essent nunc actu infinitæ. Nec valet admonitio Cajetani ad Thomistas, ut cautiores sint, & in concedenda mundi æternitate semper excipiant generationes humanas. videtur enim apertissima fuga, cum ex terminis non minus potuerit Deus ab æterno equos, quam homines producere. Deindè produxerit tantum equos; quid prohibet equos ab æterno successive genitos categorematicè infinitos appellare, ut, sunt anni præteriti categorematicè quinquies, aut sexies mille? certe nec successio categorematî obstat, ut dictum superius est, & patet in annis exactis, nec potentialitas, aut indeterminatio, quæ nulla esset, cum unusquisque in sua temporis differentia actu determinatè esset. Quod si successio temporum cate-

gorema infinitatis impediret, quid ni pariter successio locorum?

2. Idem ostenditur contrà Scotum, qui in 1. d. 2. q. 2. §. *ostenso proposito*, tenet, & probat ex professo, quod *intelligibilia sunt infinita, & hoc actu in intellectu omnia intelligente*: quod idem concedunt D. Th. Durandus, Capreolus. aliique veteres Theologi satis communiter. Atqui nihil est, quod contrà infinitum actu existens obiiciatur, quod æquali, imo & eadem vi non redeat contra infinitum actu intellectum. nihil ergo est, cur hoc admisso, negetur illud. minorem facile per se quisque experietur. Indico hic tantùm retorsionem argumenti celeberrimi, quo inferunt, totum futurū æquale parti: quod, nisi fallor, evidenter impugnat infinitum actu intellectum. Videat enim Deus infinitam hominum multitudinem, quæ ex probatis infinities infinita est, adeoque plures continens multitudines infinitas, vel ergo videt Deus infinitatem contentam esse parem continenti, vel minorem. Si minorem, infinitum erit minus infinito. si parem, totum erit æquale parti.

Eandem infiniti possibilitatem probo 2. multa infinita in actu sunt concedenda. nam principio continuum, ut sequenti quæstione probabitur, constat ex partibus infinitis actu distinctis, adeoque categorematice infinitis. Idem pariter asserendum de continuo successivo, motu nim. & tempore, quæ duo permanenti continuo in partium compositione proportionantur. Præter hæc in materia tot sunt actu privationes, quot in potentia formæ. formæ autem in potentia sunt infinitæ. ergo privationes sunt infinitæ in actu. Quod argumentum, ut habeat vim etiam contra eos, qui privationes entia esse abusiva non concedunt, sic formo. Entia, quæ actu non sunt, & sunt multa, & non sunt finita, nec finita in infinitum.

sunt multa, accipiendo ly *sunt* abusivè, & ampliative; numeramus enim non existentia, nec numeramus, nisi multa. non sunt finita; quia tot non sunt, quot esse possunt, & nondum existentiam accepere: possunt autem esse infinita. non sunt finita in infinitum; ut enim si, quæ non sunt, actu essent, finita in infinitum non essent, sed actu infinita; quia scilicet haberent determinationem actualem essendi; ita, quæ non sunt, quia habent determinationem actualem non essendi. Profectò quemadmodum esse est actualis determinatio essendi potius, quam non essendi; item non esse est actualis determinatio non essendi potius, quam essendi. Quod si potentialitas, quam habet res non existens ad existendum, tolleret ab ea determinationem simpliciter, etiam potentialitas, quam habet res existens ad non existendum, tolleret ab ea determinationem simpliciter.

Potissima tamen huius sententiæ probatio desumenda est ex solutione implicantiarum, quæ quidem cum innumeræ obiiciantur, mihi sane, qui brevitati, quoad possum, studeo, potissimæ seligendæ sunt, quæque difficultatem solidam contineant; si enim omnia proponere vellem, quæ hactenus excogitata ab authoribus sunt, plures paginas non valdè utiliter implerem.

§. I.

Primum argumentum contra infiniti possibilitatem desumptum à maioritate totius supra partes proponitur, & solvitur.

Vix est hoc tempore Recentior, qui neget infinitum, & non putet paratum sibi in hoc principio evidenti præsentissimum asylum, omne totum est maius sua par-

parte : ex quo uno multipliciter arguunt.

Primo sic. omnis additio facit maius : omnis detractio facit minus. infinito potest fieri additio, & detractio. ergo infinitum fieri potest maius, & minus. aliundè probatum est superius non posse. ergo potest, & non potest, adeoque est impossibile. minor est certa ; quis enim neget, data hominum infinita multitudine, posse Deum centum ex iis, aut mille destruere, destructos iterum producere ? jam prob. maior. multitudo remanens post detractionem se habet ad præexistentem ut pars ad totum, ut constat. atqui est per se notum, partem esse minorem toto. ergo multitudo remanens minor est præexistente, adeoque infinitum infinito est minus.

2. Si dicatur, illud principium in infinito locum non habere, reclamant adversarii, destrui à nobis Philosophiam: negari principia per se nota: rationis lumen everti. quid enim, si quis pariter negaret, illud habere locum infinito? quid, si negaret, primum principium, idem non potest simul esse, & non esse, in infinito locum habere?

3. Quæ ex hoc consequuntur, sunt adeo inintelligibilia, ut jure videatur dixisse Fasolus l. cit. dub. 6. suavius se capere hyrcocervos, & hippocentauros ; quid enim absurdius, quam esse primùm infinitos homines cum singulis, quemque annulis, tum posse singulos homines centum annulos, mille annulos, imò, &, si superis placet, infinitos annulos accipere ? quid inintelligibilius, quam infinitos lapides hinc tantùm versus orientem dispositos, posse aliter coordinari, ut occupent spatium utrinque infinitum, imo & si placet, infinitum quaqua versum, adeoque immensum ? Sic enim arguitur. tantumdem præstaret nova partium coordinatio in tali casu, quantum nova productio. hoc autem est im-

possibile; quia actio ordinis, & perfectionis inferioris non potest præstare illud idem, quod præstat actio ordinis, & perfectionis superioris. actio autem ordinativa est inferior productiva.

Resp. principium illud, omne totum est majus sua parte, quod est per se notum in finito, locum nullatenus habere in infinito. Quod tripliciter ostendo, authoritate Doctorum, instantiis, ratione.

Et primò negant, hoc principium in infinito verum esse Arim.in. in 1. d.42. q.4.ar.2. ad 2. quamquam ibi adhibeat quamdam distinctionem, quæ reverà in idem recidit, quamquam modestius loquatur; Holkot in 2. q.2.ar.5. ad 5. ubi adhibet exemplum compositi ex Verbo, & Humanitate, quod non est maius una parte nim: Verbo: Jo: de Bassolis in 2. d.1.p.5. art.3. ubi negat, in mundo ab æterno plures futuras fuisse menstruas Lunæ, quam annuas solis revolutiones: Jo: Maior in 1. d.44. qu.3. ubi approbat responsionem Gregorii: Aegidius in 2. d.1.q.4. ar.1.§. *Tertia difficultas, vel tertia deceptio*: Ferrariensis 8. phys. qu.2. ubi ait nōn esse inconveniens; dicere, quod dies æternitatis sint annis æquales, hoc est non plures, quamvis, inquit, inconveniens hoc esset acceptis annis, diebusque finitis. Jo: Capreolus in 2. d.1. qu.1. ad 6. Durandi, ubi hæc habet: *Ulterius dico, quod ubi totum non addit parti signata aliquam aliam partem, qua se habeat in certa proportione ad primam partem, non oportet, quod pars sit minor toto*. quod probat ex D. Th. de malo qu.2. ar.2. ad 8. ostendente, quomodo non semper quantum additum quanto facit maius, *potissime, quando illud, quod additur, non est quantum secundum eandem rationem, qua illud; cui additur, vel non habet proportionem ad ipsum*. Idem repetit Soncinas in epitome Capreoli, Idem habet Capreolus

ibidem in responsione ad 6. Aureoli, ubi inter cætera hæc ait, quæ transcribenda sunt, ut videant adversarii, quod argumentum demonstrativum appellant: *Sic ergo patet, quod argumentum illud de æqualitate partis ad totum est sophisma, nec sufficienter improbaret quamcumque infinitatem; quia si aliquam improbaret, eadem, aut tanta facilitate improbaret infinitatem partium proportionalium magnitudinis, & motus, & temporis*. Postremo adduci huc possunt omnes antiquiores, qui possibile infinitum concedunt, & negant infinitum esse maius infinito, Adam, Gabriel, Mayronus, & alii: inter quos speciali mentione dignus est Albertus de Saxonia, qui 3. phys. qu.14. hanc ponit in terminis conclusionem: *Non sunt plures partes in toto, quam in eius medietate, nec in cælo, quam in grano milii*. & paulò infrà ait, quod in æternitate mundi (si ea fuisset) non plures præcessissent dies, quam anni.

Accedit ex Recc. P. Vasquez 1. p. disp. 26. cap.3. num.10. ubi, *Concedendum est*, inquit, *posse esse infinitam aliquam multitudinem, quæ intra se non contineat omnia, quæ sunt, aut fieri possunt, cui si alia adderentur, non diceretur plura habere, sed alia*. Ex quo apertissimum est, negari à Vasquez istam propositionem, *Plura sunt in tota multitudine, quam in eius parte*; adeoque & negari istam, *tota multitudo est maior sua parte*. Sed expressius Conimbr. 3. phys. cap.8. qu.2. ar.4. ad 2. sic habent: *Effatum illud, omne totum est maius sua parte, non in numero infinito, sed finitis tantum locum habet*. His possum annumerare plurimos, egregiosque Recentiores in hac nostra Academia, quibus jam communior est hic sensus.

Quæ cum ita sint, si pergant adversarii reclamare contra nos, quasi negemus principium

per se notum, cuius scilicet nolunt, quia non possunt, rationem reddere, respondemus non esse de facili pronunciandum, tot tamque præclaros authores negasse principium per se notum; quod quia tale est, ut solis terminis intellectis, extorqueat assensum, quid est hoc aliud, quàm asserere, quod terminos non intellexerint?

Instantiis deindè manifestis hoc idem evincitur 1. Ut se habet totum in quantitate molis ad suas partes, ità & totum in quantitate virtutis ad suas. atqui in hoc si una pars sit infinita, non est opus, ut sit minor suo toto. ergo nec in illo. minor est certa apud omnes Theol. quorum est commune dictum, complexum ex Deo, & creatis perfectionibus non esse quid perfectius, aliter Christus Deus, & Homo melior esset, & perfectior Patre, & Spiritu Sancto: quod asserere, ad minimum periculosum est. Hoc idem dicitur de meritis Christi, quod non sit plus valoris in pluribus, quam in uno, quamvis plura sint totum, & unum pars. 2. Linea, & punctum possunt accipi per modum unius complexi, cuius punctum est pars. atqui hoc complexum non est maius sola linea. ergo totum non est maius sua parte. Neq; dicas, punctum non esse natum facere maius; nam ita & nos dicimus, infinitum non esse natum suscipere maius. quemadmodum ergo in complexo ex puncto, & linea ex defectu puncti, quod additur, non habetur totum maius parte. ità in infinito ex defectu, seù verius excessu rei, cui fit additio, non habetur totum maius parte. 3. instantia est in æternitate à parte post. certum est apud Theologos paribus peccatis parem pœnam à Deo constitui. par autem existimatur pœna, quamvis unus multò antè alium peccaverit, & punitus fuerit. sic si supponatur par in Caino, & Iuda peccatum, par etiam est

pœ-

pœna, quamvis Cainus quadraginta ante secu-lis in inferno fuerit; quia scilicet uterq; æternum punitur. adeoque æternitas, & infinitas est talis, ut additione non maioretur. 4. instantia est in infinito per divinum intuitum comprehenso, ut superius est deductum.

Ratio etiam hoc idem persuadet; cum enim excedere in rigore sit progredi ultrà mensuram, & terminum alterius; & infinito mensura, ac terminus non sit, constat, quod quantumvis infinitum unum comparetur ad aliud ut totum ad partem, non potest illo esse maius. tantùm ergo abest, ut illud principium, omne totum est maius sua parte, sit per se notum in infinito, ut potius sit per se falsum. est per se notum in finito, quia intellectis terminis, *maius*; *& minus*, *totum finitum*, *& pars*, constat, quod totum excedit partem, quatenus ultra partis terminos progreditur. at ex hoc ipso est per se falsum in infinito, in quo nulli sunt termini. Egregie igitur, ut aliàs semper, Fa. solus l.cit.dub. 12. num. 50. advertit, *adversarios minus constanter philosophari; nam cum rectè velint infinitum maioritatem, & minoritatem essentialiter respuere; deinde, infinito in rebus posito, statim infiniti natura obliti, & rerum finitarum imaginibus delusi, maius, & minus in infinitum intrudunt.*

Ex his facile est respondere argumentis propositis. ad. 1. nego universaliter maiorem, ad cuius scilicet veritatem requiritur, ut id, quod additur, sit natum facere incrementum: ex cuius defectu, punctum additum lineæ non facit maius; & præterea ut id, cui additur, sit natum accipere incrementum: ex cuius defectu creatura addita Deo non facit perfectius. ad probationem maioris jam est dictum, illud principium non habere locum in infinito.

Ad 2. illa satis ex vano obiiciuntur, ut constat ex modo dictis, postremum verò est ful-

gur ex vitro ; ut enim ostendimus, infinitum ex communi conceptu maius, & minus non suscipit ; & ex hoc principium illud, Omne totum est maius sua parte, in ipso non habet locum : ità pariter ut principium primum. Impossibile est idem simul esse, & non esse, non habeat locum in infinito, deberent adversarii probare, non pertinere ad infinitum illos terminos ; quod patet indubitanter esse falsum ; cum ii sint termini trancendentes ; & idcircò illud principium limitationem non admittit, ut admittere possunt alia principia particularia quantumvis per se nota.

Ad 3. de eo, quod dixerit Fasolus, nihil curo ; cum ex infiniti proprietates magnis Authoribus placuerint, & rationi consentiant. non capit ista Fasolus. at capit Arimin. capit Maior. capit Vasquez ; capiunt Conimbr. &c. capiunt omnes, quicumque accedentes ad cognitionem infiniti, finitum tantisper cogitare desinunt quare nec moror, quod ait Comptonus disput. 46. phys. sec. 6. num. 3. satius esse millies negare infinitum. quam ex illius concessione in eas angustias redigi, ut cogatur quis principio per se, & lumine naturæ noto refragari. multo minus moror, quod alii communiter urgent, dum argumenta sua vident sola admiratione pugnare, esse scilicet contrà lumen rationis, quæ nos dicimus de infinito. libenter enim eorum me miseret, qui alia non habent validiora, quæ afferant, & idcircò imaginationem pro ratione habentes, clamoribus, & contumeliis rem agunt, quam conficere argumentis desperant.

Venio igitur ad obiectionem, qua urgebatur, futurum ut dispositio, quæ est ordinis inferioris actio, æquivaleat productioni, quæ est actio ordinis superioris ; & dico duas eiusm. actiones posse quoad aliqua æquivalere,

lere, licet non quoad omnia. sic adductio est actio productione imperfectior; & tamen quoad effectum implendi famem perinde est sive panis adducatur, sive producatur: similiter dispositio nova, & productio in hoc, quod est efficere occupationem novi spatii per lapides, æqualiter se habent: differunt tamen; nam productio id præstat per lapides existentes de novo: dispositio id præstat per lapides præexistentes.

Neque instes, intelligi hoc non posse. fateor enim libenter; sed nunquid ex hoc infinitum impossibile, quia intelligibile à nobis omnino finitis?

§. II.

Secundum non minus celebre argumentum adducitur, & solvitur.

EX hoc à plurimis demonstrari videtur impossibilitas infiniti, quia inde arguitur possibilitas infiniti clausi: nullum autem possibile potest possibilitare chimæram. ergo infinitum non est possibile. tota difficultas est in probatione maioris.

Primò igitur ea probatur in extensione infinita. Sint enim duæ lineæ infinitæ ab eodem puncto protractæ, quo magis lineæ distant à puncto anguli, eo magis distant inter se. atqui à puncto anguli distant infinitè. ergo infinitè distant inter se: distantia igitur infinita intercipitur, & clauditur utrinque inter duas illas infinitas lineas.

2. Idem ostenditur in multitudine infinita: supponamus dari infinitos Angelos cum ea in gradibus gratiæ sanctificantis proportione, ut in primo Angelo sit unus gradus gratiæ; in secundo duplex; & sic in infinitum augendo, aut Arithmeticè, aut Geometricè procedatur.

Jam.

Jam vero quantum crescit multitudo Angelorum, tantumdem crescunt gradus gratiæ in quolibet Angelo contenti. at multitudo Angelorum crescit infinitè. ergo gradus gratiæ in aliquo Angelo contenti sunt infiniti. hic autem Angelus esset ultimus, &, ut dicunt, infinitesimus ergo multitudo infinita esset utrinque clausa.

3. Idem argumentum adhibent Recentiores quidam ad improbandam infinitatem partium proportionalium in continuo, in quo sunt infinite series ordinatæ partium, ut in prima serie sint duæ medietates, 4. quartæ in secunda, 8. octavæ in tertia, &c. Jam vero crescente numero serierum, crescit numerus partium in qualibet serie contentarum. atqui series crescunt infinitè. ergo numerus partium in aliqua serie contentarum est infinitus. hæc autem series erit ultima.

Resp. argumentum, in quo plus justo sibi plaudunt Recentiores, esse evidenter sophisma, quod æque est solvendum ab ipsis; eadem enim arguendi forma probo numerum maximum, & creaturam perfectissimam. quantum enim crescit multitudo specierum numeri, tantum crescit multitudo unitatum in qualibet specie contentarum. illa vero crescit infinite; & rursus tota est actu in mente omnia cognoscentis. ergo ibidem est aliqua species numeri infinitas unitates in se continens. quæ erit ultima. Similiter in speciebus creaturarum perfectiorum, & perfectiorum, quanto eæ multiplicantur in numero, tantum augetur perfectio in qualibet specie; & sic procedendo erit devenire ad creaturam perfectissimam, & infinitam.

Pro responsione directa aliqui negant casus positos, sed immeritò; est enim aperta, & non necessaria fuga. Dico igitur, in ea forma arguendi variari semper suppositionem, ac propterea nihil concludi. quod ut ostendam, ad

ad formam argumenti respond. negando majorem.

Ad primam prob. admitto casum, & ad syllogismum adiectum, concessa maiore, & minore, nego consequ. maior enim facit sensum syncategorematicum, & distributivum, ac fit comparatio inter partes lineæ seorsim sumptas cum distantiis item seorsim sumptis inter eas partes interceptis. ita enim procedit proportio, ut si angulus sit, qualis in triangulo æquilatero, puncta terminantia duos linearum palmos per palmum etiam distent inter se, & eadem semper proportione de aliis. At in minore partes lineæ sumuntur collectivè, & cathegorematicè; aliter est falsa, quia nulla est pars lineę certa infinitè distans à puncto anguli. conseq. igitur nulla est.

Hoc ut melius intelligas, adverte, quod quælibet certa distantia inter eas lineas proportionatur longitudini lineæ versus punctum anguli ex parte, qua linea est finita. Ut ergo in linea sunt alia puncta, & alia magis, magisque distantia à puncto anguli, ita magis, magisque distantia inter se. sed quia nullum est in linea punctum infinite distans à puncto anguli, nulla est finita distantia punctorum inter se. dum ergo lineæ dicuntur infinitè distare à puncto anguli, distantia stat pro longitudine, & elongatione, quæ in nullo puncto determinato habetur, quia nullum est in linea infinita ultimum punctum, nisi in sententia Arriagæ claudentis utrinque infinitum, contra quem hoc ipsum argumentum capite 3. inculcavi. Et hinc ulterius fit, ut non concludatur infinita distantia clausa, nisi assumendo infinitas lineas clausas. Propter hæc non potui non mirari, dum hæc legi apud acutum cæteroqui Recentiorem: *Potest ab una ad aliam partem, ex qua distant infinitè ista lineæ, duci linea transversalis, quæ procul dubio erit infinita, quia ma-*

the-

thematici demonstrant posse à puncto ad alium punctum duci lineam rectam. Pulchre; sed ubi hoc punctum infinite distans à puncto? Illusio hæc est phantasmatum à finiti speciebus deceptorum.

In secunda probatione eiusdem maioris habetur item fallacia; quia à suppositione confusa fit transitus ad determinatam; dum enim dicitur in maiore, crescente &c. crescunt gradus gratiæ in quolibet Angelo, Angelus stat confusè, & pro nullo determinato supponit, & est sensus, quod in uno sunt duo gradus, in altero tres, & sic de aliis sine termino: at in consequenti supponit determinatè pro infinitesimo. Præterea in maiori multitudo Angelorum stat distributivè; in minori copulatè. Hoc idem dic ad tertiam probationem.

§. III.

Reliqua argumenta dissolvuntur.

PRimum sit ex Durando. Repugnat divinæ potentiæ, tot creaturas producere, quibus productis nihil remaneat producendum. ergo repugnat divinæ potentiæ infinitas creaturas producere. consequ. est evidens. existere enim infinitos homines, & non posse alium produci reciprocantur. 1. quia infinitum non est maius infinito. 2. quia infiniti homines sunt, quotquot possunt existere. antecedens prob. tum quia secus esset exhausta divina potentia. tum quia res creata non perfectè participat, nec perfectè repræsentat divinum esse; debet proindè post quamcumque creaturam alia posse produci, quæ melius, & perfectius divinum esse repræsentet, ac participet.

Resp. 1. nego antecedens. ad primam probationem negò exhauriendam ex hoc divinam potentiam; quia nulla potentia exhauritur, sed actua-

actuatur per positionem termini adæquati, ut videre est in potentia Patris generativa ad intra & in divino intellectu non exhausto per cognitionem omnium possibilium. ad secundam dico, probari tantum imagines creatas non esse finitas, sed infinitas. cæterum ut Deus cognoscendo omnia possibilia, videt non posse aliud præter illa; ita producendo omnia, non posset aliud præter illa; quia non est aliud præter omnia. neque verò est maius inconveniens, quod Deus producat omnes homines possibiles, quam quod producat unum Angelum, qui in sua specie est omnis Angelus juxta Thomistas.

Resp. 2. nego consequ. falsissimum n. est infinitos homines esse omnes homines, oppositum certè constat ex ipsa natura multitudinis infinitæ, quæ ex quavis detractione finita partium debet remanere infinita. facta ergo hominum detractione, multitudo, quæ remanet, est infinita, & non est omnes homines. Neque instes, infinitum eo ipso, quod non continet omnia, limitari per non excursum ad aliqua. Etenim ut ad omnia infinitum materialiter non excurrat, excurrit tamen ad omnia formaliter in sua linea. non excurrit materialiter, quia multitudini possunt deesse hæ, & illæ unitates. excurrit formaliter, quia nullus potest deesse numerus. quare etiam dum non excurrit ad entitates, excurrit ad numerum entitatum, & quoad correspondentiam tantum potest cum illis, quantum sine illis.

Secundum sit ex Cabeo to. 4. meteor. tex. 9. q. 12. Omne ens creatum est finitum. Omnis multitudo infinita est ens creatum. ergo est simul finita. nec juvat dicere, quod sit finita secundum essentiam, infinita secundum multiplicationem. nam multiplicatio ipsa essentia quædam est, adeoque finita.

Hoc argumentum Cajet. 1. p. qu. 7. ar. 3. merito appel-

appellat *dubium novitiorum mentem turbans*. Resp. igitur, ut respondetur in argumento: & ad id, quod opponitur, primum dico multiplicationem non esse essentiam, sed essentias. secundò, ut sit essentia, est tamen infinita in certa specie, v. g. in specie humana, cuius omnem perfectionem absorbet; sed non egreditur, nec excurrit ad perfectiones omnium generum, quod est in rigore esse infinitum in essentia.

Tertium fit ex Aversa q.24. sec.6. in qualibet infinitate sunt plures, imo etiam infinitæ infinitates. in infinito autem ordinato secundum extensionem explicabile non est, quo pacto illæ se habeant. vel enim una sequitur post aliam; atque ita una claudetur ab alia. vel quælibet est in infinitum protensa, atque ita quælibet se sola implet totum spatium, nec locum aliis relinquit.

Hoc eodem argumento utitur Maignanus in Appendice 1. ad Philosophiam sacram §. x. nu. 11. in successione æternitatis anterioris ad probandum infinitum clausum: quia, inquit, in uno infinito sunt plures infinitates, consequens est unam esse ante aliam, & unam esse inter duas inconfusè, quatenus impossibile est existere simul duas: imò impossibile est existere aliquid unius cum aliquo alterius, quemadmodum impossibile est existere simul duos annos, vel duos dies duorum annorum, &c.

Resp. in una qualibet infinitate esse infinitas infinitates non actu, sed potentia; actu enim non sunt nisi una extensio infinita, quæ hinc incipit, & nusquam definit. Vel dic, illas infinitates esse actu, dispositas tamen secundum suas partes alternatim; ut si una sit ex lapidibus albis, alia ex nigris, debent ita ordinari lapides, ut alternentur albi cum nigris; si enim soli nigri, aut soli albi immediati mutuò

tuō collocentur, non erit ſpatium ab aliis occupabile.

Idem prorſus reſpondeo ad imaginationem Maignani, quod infinitæ infinitatesann orum ſunt una infinitas, quæ non deſinit, ſed nunquam incipit. Quod ſi vult conſiderare pluralitatem infinitatum, debet alternatim partes ſumere; atque ita erit progredi ſine initio. ſed in æterna duratione illud eſt ſpeciale, quod partes propter eſſentialem additionem non poſſunt aliter diſponi.

Quartum ſit. Detur linea à puncto A in infinitum producta. nunc quæritur, an aliquis palmus diſtet infinitè à puncto A, an nullus? ſi nullus, ergo non eſt infinita; eſt enim ex terminis evidens lineam illam non eſſe infinitam, cuius nulla pars à primo puncto diſtat infinitè. Si aliquis, iam linea, ut conſtat, eſt clauſa. Dicere autem nullum palmum aſſignari poſſe in linea prædicta infinitè diſtantem à primo, eſt irrationabile, cum linea illa ponatur infinita. Hæc Recentior ingenioſus, & ingenuus, ut idem quod prius appellaverat evidens ex terminis, in ſe deinde reverſus appellaverit ſolum rationabile.

At certe ne rationabile quidem hoc eſt, ſed falſum evidenter, & ex terminis. in linea infinita eo ipſo, quod eſt infinita, nullus eſt palmus infinitè diſtans à primo, cum ex terminis ſit manifeſtum, infinitum non poſſe claudi. Infinitas ergo lineæ in hoc abſolvitur, quod licet ſinguli palmi finitè diſtent à primo, ſinguli tamen alium poſt ſe habent finitè etiam, ſed magis diſtantem à primo: & quia in his non eſt dare ultimum, linea eſt ſine ultimo, adeoque infinita.

Quintum ſit ex Card. Pallav. in ſuis aſſertionibus Theol. Producat Deus duas hominum infinitas multitudines, alteram alborum, alteram nigrorum, & mihi revelet, Petrum eſſe

in altera. Mihi sane æquè credibile est, Petrum esse inter albos, atque inter nigros. Finge præterea multos ex albis nigrescere, & ad nigros proinde transire quæritur, an sit adhuc æque credibile Petrum esse inter albos, & inter nigros, si negas; contra est; prius enim erat æquè credibile; quia utraque multitudo erat æquè infinita: quæ ratio adhuc perseverat. Si affirmas; contra est; nam quod Petrus esset inter albos, poterat verificari antea per omnes illos albos, qui nunc sunt, & præterea per eos, qui ex albis nunc facti sunt nigri. ergo probabilitas obiectiva, quod Petrus sit inter albos, est diminuta, & est aucta probabilitas, quod sit inter nigros.

Resp. quod si probabilitas in hoc casu fundetur in sola multitudine maiori, & minori, etiam facto illo transitu, probabilitas eadem manet; quia utraque multitudo manet infinita citra ullam æqualitatem simpliciter. Vel si hoc non placet, dic variari probabilitatem; ex illo enim transitu ingeritur intellectui suspicio, quod fortassè Petrus sit unus ex iis multis, qui ex albis migrarunt ad nigros: quæ suspicio minuit probabilitatem, quod Petrus sit inter albos. quare multitudo transiens, quamvis non minuat albos reliquos infinitos, minuit probabilitatem finitam. Sed si me audies, neutrum dices; sed dices manere nunc æquè improbabile ut antea, quod Petrus in alterutra multitudine sit; neque enim hoc pendet à finita, vel infinita multitudine, sed à mero arbitrio Dei relate ad quod nulla est ratio suadens voluisse potius in hac vel in illa, finita, aut infinita, maiori, aut minori multitudine Petrum collocare.

6. Sit ex Alberto de Saxonia retorquente illud argumentum Gregorii, quod posset scilicet Deus in qualibet parte proportionali temporis unum lapidem palmarem producere, & alteri

alteri apponere: in instanti autem temporis illius terminativo producta esset infinita extensio. Atqui hoc modo arguendi probatur possibile infinitum clausum. Sit enim hic punctum A fixum, & incipiat hinc Deus producere lapides palmares, sed hac ratione, ut primus lapis palmaris producatur in prima parte proportionali horæ tangens punctum A in secunda parte proportionali producatur alter lapis, removendo primum, & inter ipsum, ac punctum A collocando secundum. tum utrumque ulterius promoveatur, ac tertius lapis constituatur inter illos, ac punctum A; & sic de aliis per totam horam constat, quod in instanti terminativo horæ producti sunt infiniti lapides inter primum lapidem, & punctum A; adeoque infinitum clausum.

Admitto casum, & nego esse productum infinitum clausum. singuli enim lapides in fine horæ percurrissent infinitum spatium; adeoque esset casus capite huius quæstionis 4. descriptus & admissus, ubi probatum est, & explicatum, qua ratione sit impertransibile infinitum. Lapides ergo illi in termino horæ non possent perseverare, ubi fuerunt intra horam; quia singuli deberent esse ultra spatium infinitum: quod repugnat.

QUÆSTIO SEXTA

De Continui Compositione.

Cum motus sit de genere continuorum, pergimus continui naturam, structuramque investigare. Continuum autem duplex, aliud permanens, ut moles; aliud successivum, ut motus, & tempus, quia verò natura successivi per naturam permanentis innotescit (tem-

pus

pus enim motui, & motus spatio proportionatur) prius de continuo permanente inquiram, ut gradus inde pateat ad successivum.

CAPUT I.

An continuum permanens componatur ex Mathematicis indivisibilibus.

NOstra resolutio est negativa cum Aristotele 6.phys. & omnibus Peripateticis contra Zenonem. Ex duplici capite eam probo. 1. ex motu, cujus maior, minorque velocitas in Zenonis sententia est inexplicabilis, imo & impossibilis. 2. ex contactu, & locatione puncti. Mitto argumenta ex Mathematicis petita; quia possunt videri apud authores passim: neque est in omnibus tanta fortasse efficacitas, quanta vulgo existimatur.

§. I.

Ex majori, & minori velocitate motus ostenditur continuum permanens non componi ex punctis.

SI enim ita componeretur spatium, quod per motum acquiritur, tanta velocitate moveretur aquila, quanta movetur testudo. incipiant enim simul moveri supra spatium constans v. g. centum punctis; dum Aquila acquirit primum punctum, testudo si movetur, ut supponitur, punctum etiam acquirit, cum non possit puncti indivisibilis dimidium acquirere. similiter in secundo, & tertio instanti quælibet movetur, & acquirit consequenter secundum, & tertium punctum; atque ita usque ad centesimum, adeoque idem spatium æquali velocitate percurrunt.

Res.

Respondent 1. Zenonistæ argumentum pariter solvendum à Peripateticis; totidem enim sunt partes in magnitudine maiori, quot in minori; quia in utraque sunt infinitæ. ergo in tempore æquali tot partes spatii percurrit aquila, quot testudo, & per consequens æqualiter moventur.

Inepta instantia. partes spatii maioris, & minoris sunt æquales æqualitate impropriè dicta, & secundum multitudinem infinitam partium proportionalium. cæterum secundum magnitudinem finitam sunt inæquales: quod satis est, ut inæquali velocitate dicatur moveri aquila, & testudo.

Respondent 2. directè, mobile tardum aliquando quiescere in suo motu, adeoque non moveri continue, sed discretè; & pro maiori, aut minori tarditate pluribus, aut paucioribus morulis spatii acquisitionem successivam interrumpere. Itaque juxta ipsos motus nunquam interruptus est velocissimus, quo autem plus admiscet de interruptione, eo plus de tarditate, quæ unicè à morulis interrumpentibus mensuratur.

Hæc responsio validissimè impugnatur ex motu circulari rotæ. sit enim rota ferrea, in qua signentur duo circuli concentrici, & à centro ad circumferentiam ducatur linea recta; tum moveatur circulariter: Profectò circulus exterior remotior à centro velocius movetur, quam interior centro vicinior. necesse est ergo juxta responsionem, ut puncta interioris circuli aliquando quiescant. Quo dato necesse est lineam rectam in rota signata flecti; quia puncta ipsius non ampliùs servant eandem proportionem, quàm antea, si exterius movetur, interiore immoto. at quis credat, in ferro solidissimo ex tenui impulsu haberi partium variationem, & flexionem? Præterea in solidis corporibus contingere non potest, quod una

pars

pars moveatur, altera propinqua immota, nisi discontinuentur. & quidem totus circulus exterior deberet mutare situm relatè ad interiorem, & proinde ab eo discontinuari.

Est autem evidenter falsum, quod nonnulli dicunt, partes rotæ discontinuari per motum, sed in quiete continuitatem pristinam illico recuperare. Etenim quis credat partes ferri adversus repetitos malleorum ictus omninò contumaces cedere levissimæ agitationi? Deindè undenam illæ partes semel discontinuatæ iterum continuantur? certè ferrum non se habet ad ferrum, ut aqua ad aquam, quæ divisa, per se iterum facile unitur. Postremò si moveretur circulariter tabella ferrea quadrata, in cuius angulis extremis aliqua fieret partium discontinuatio, eæ deberent per motum diici, & à reliquis longius proiici.

Non minus validè eadem responsio impugnatur à P. Mauro l.3. qq. philos. q. 37. si eiusmodi morulæ haberentur in motu, eæque tarditatem efficerent, deberent deprehendi per sensum in quovis motu velocissimo, qui apud nos contingit; quandoquidem quies interjecta motui longè incomparabiliter maior esset motu ipso, adeoque sensibilior. sit enim navis, quæ remis, velisque tam velociter moveatur, ut intra horam 25. nostra milliaria conficiat; ex dictis adversarii fit, ut si hora in decies centena partium millia dividatur in una tantum ex iis moveatur navis, & in reliquis quiescat. Ut enim docent Astronomi, stellæ fixæ intra horam conficiunt spatium plus quam per millionem vicium maius spatio 29. milliarium. Ut ergo dum mobile velox per horam conficit milliare, & tardum semimilliare, necesse est ut tardum quiescat per semihoram, ita & facta proportione in casu. universim enim in hac sententia eadem est proportio morularum ad motum, quæ est punctorum spatii à mobili

velocissimo acquisiti ad puncta spatii acquisiti à mobili tardiore.

Ex hoc pariter fieret, ut pila è bombarda explosa, cuius motus ad motum fixarum comparatur fermè cum proportione ea, quam habet unum ad centum millia, deberet, si hora in centum millia partium dividitur, in una tantum ex iis moveri, in reliquis quiescere. Quod quidem ex eo etiam patet esse falsissimum, quod nunquam posset ad scopum rectè collimare; dum enim quiescit, debet descendere vi nativæ gravitatis prævalentis impulsui, qui tunc vim movendi non habet. quare cum quies maior sit, quam motus, magis debet descendere, quàm progredi. Præter hæc non est causa impediens vim motivam pilæ, ut quæ semel movet, debeat deindè otiari; tum iterum movere; cum tamen in instanti quietis æquè corpus sit mobile, æque vis sit motiva.

Respondent 2. recurrendo ad motum factum per saltus, quasi mobile velox à puncto primo ad 4. vel 5. ex hoc ad 8. aut nonum transeat, dum tardum à primo transit ad secundum, à secundo ad tertium.

Sed hæc responsio præterquamquod assumit possibilitatem naturalem transitus instantanei ab extremo ad extremum, non pertransitis intermediis, quem constat esse naturaliter impossibilem; nisi iterum recurrat ad morulas, confutatur evidenter in motu rotæ, quæ quantumcumque ingens deberet quatuor, aut sex instantibus totam circulationem conficere; quia circulus intimus centro proximus, quatuor aut sex punctis constans, 4. item aut sex instantibus debet (si morulæ in motu nullæ sunt) perficere circulationem suam.

Respondent 3. mobile in motu esse in spatio maiori se, quod est dictum familiare Peripateticis: sed non rectè usurpatur à Zenoni-

stis ; deberet enim punctum mobile in uno instanti poni per motum in duplici puncto spatii : quod fieri non potest sine replicatione, ut constat ex terminis.

§. II.

Ex contactu, & locatione puncti conficitur impossibilitas continui ex punctis conflati.

HOc est potissimum Aristotelis argumentum ex ipsa indivisibilitate puncti conficientis a priori impossibilitatem constantis ex punctis continui. Sic igitur arguo 1. Puncta ut sint apta componere magnitudinem, debent posse unum post aliud locari, ut faciant extreitatem : atqui ex hoc, quod indivisibilia sunt, ità locari non possunt : si enim se contingant, tota, & totaliter se contingunt. hoc autem est esse non tantum immediata, sed penetrata ; quia penetratio non est, nisi duorum se totis, ac totaliter immediatorum contactus.

Conf. sint tria puncta immediata A B C lineam rectam constituentia, jam vero punctum A tangens B, tangit necessariò C. ergo penetratur cum B. conseq. est evidens ; uno enim hoc pacto punctum B potest non tollere immediationem inter A, & C. antec. prob. punctum A tangit punctum B secundum omnem ipsius partem, superiorem, inferiorem, dexteram, sinistram, &c. quia istæ in puncto non distinguunt, ergo tangit punctum B ex parte etiam, qua hoc tangitur à puncto C ; adeoque necessè est, ut tangat etiam punctum C. quemadmodùm si sit corpus A tangens corpus B ad dexteram, ubi tangitur à corpore C, necesse est, ut A quoque tangat C.

Respondent ad hoc adversarii, in puncto non esse plures partes, & latera intrinseca, pos-

posse tamen in eo distingui dexterum, & sinistrum, ante, & retro, suprà, & deorsum non intrinsecè, sed extrinsecè. sic in dato exemplo de tribus punctis A B C, quamvis B medium non habeat aliud in se, per quod sit dexterum, & aliud, per quod sit sinistrum; locus tamen A, qui est ipsi extrinsecus, dicitur dexter, & locus B sinister.

Hæc responsio, nisi fallor, est manifesta petitio principii; respondet enim obtrudendo quæstionem novis duntaxat vocibus involutam; quandoquidem perindè est, punctum habere plura latera extrinseca, ac habere ad latus alia puncta, quæ faciunt cum ipso extreitatem, & extensionem. Dum ergo arguitur; punctum A tangit totum, & totaliter punctum B, adeoque etiam ex parte, ac latere, quo tangitur à C; qui distinguit sic, *tangit totum intrinsecè, Conc. extrinsecè, nego*; ponit in distinctione antecedentis consequens à nobis contrà ipsos deductum. Profectò enim argumentum ex eo, quod puncto nulla sint latera intrinseca, infert nulla esse extrinseca.

Arguo 2. & promoveo prius argumentum: Punctum vel habet locum extrinsecum, à quo circumscribitur, indivisibilem, & punctualem, vel extensum, & divisibilem. si dicatur primum, sequitur punctum cum puncto necessario penetratum. punctum enim locatum si est intra punctum locans, est illi sanè compenetratum .. cohærenter autem debet dici, quod punctum locans sit in alio puncto locante, adeoque illi etiam compenetratum, & sic de reliquis. secundum vero dici non potest, quin contra ea, quæ superius qu. 2. c. 1. demonstrata sunt, locus asseratur locato maior, aut unum punctum pluribus punctis dicatur congruere, & coæquari.

Conf. peto enim ut assignetur punctorum

numerus punctum locantium, ac circumscribentium. Communiter sex assignantur juxta sex loci differentias. sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum. Nunc ita arguo. Unum punctum continetur adæquatè, ut à proprio, & commensurato loco à sex punctis. ergo sex puncta continentur ut in proprio loco à punctis 36. eamdem enim proportionem habet unum ad 6. ac 6. ad 36. Præter hæc 36. puncta continentur à punctis 216. & hæc à punctis 1296. &c. atque hinc ulterius fiet, ut circulus habens palmarem convexam circumferentiam ambiatur ut à loco proprio à circulo habente circumferentiam concavam minimum quadripalmarem. quæ omnia evidenter sunt falsa.

Arguo 3. & multa congero absurda consequentia ex contactu punctorum, qui penetratio non sit. 1. sint duo puncta A B immediata, aut potest adiici tertium, quod cum iis formet triangulum, aut non potest. Si potest; punctum hoc tertium secabit insecabilia, cum locatio ipsius sit inter punctum, & punctum, inter quæ signat extrinsecè spatium successive acquisibile à mobili migrante de puncto in punctum. Si non potest; at poterit saltem, si quartum adiiciatur, componi quadratum A B at in hoc idem
C D
inconveniens incurris; punctum enim B secat eodem pacto extrinsecè A D immediata. 2. Puncta aut possunt collocari immediatè per lineam rectam, aut non possunt. secundum non potest dici, nisi asserendo impossibilitatem lineæ rectæ: quod contrà communem omnium sensum satis arbitrariè fingeretur. sed neque potest dici primum; sint enim tria puncta per rectam lineam constituta; tum his adiice 6. alia puncta, ut perfectum quadratum ex novem punctis existat hoc pacto ⁝⁝⁝. Iam ostendo, quod pro quadrato posuisti circulum, adeoque li-

linea, quæ ſupponebatur recta, eſt curva. quæ enim figura habet extrema æquè diſtantia à medio, ea eſt circularis. atqui in data figura puncta omnia extrema æquè diſtant à puncto medio, quia omnia æque illud contingunt. hinc autem fit prætereà, ut per nullam potentiam continuum conſtitui poſſit aliter, quam ex ſphærulis compoſitum, quòd aliam figuram conſtituere puncta apta non ſint; adeoque omne continuum eſſentialiter habet vacua admiſcere: quod certe nec ipſi volunt vacui aſſertores. 3. nulla linea recta poſſet evadere circularis; ſit enim linea recta 10. punctorum; in ea decimum à primo per octo intermedia diſtat. at ſi curvetur linea, plus certe diſtabit per arcum, quam per ſubtendentem, ut eſt evidens in omni circulo, qui per ſubtendentem commenſuratur minori circulo, per arcum maiori: & ſimul æquè diſtabit, quia utrinque diſtabit per eadem octo puncta intermedia. 4. hinc etiam probabis aliter, & fortaſſe efficacius, quam communiter ſolet, circulum interiorem concentricum æqualem eſſe exteriori; ſint enim tres circuli immediati A B C. nunc ſit. A, & C congruunt eidem tertio, nimirum B, illique ſunt æquales. ergo congruunt, & ſunt æquales inter ſe.

Ex hactenus probatis eſt manifeſtum, non poſſe continuum componi ex punctis infinitis. quod enim eſt per ſe ineptum componere extenſionem, quantumcumque multiplicetur in infinitum, extenſionem componere nunquam poterit. Eiuſmodi autem ineptitudo oſtenſa in punctis ſufficienter eſt.

CAPUT II.

An componatur continuum ex punctis inflatis, aut minimis naturalibus.

Opinio conſtituens quantum ex punctis inflatis, quam primus ex Hiſpania in Italiam invexit noſter Cardinalis de Lugo, à Recentioribus Romanis laudatur, quod licet non attingat veritatem, non multum tamen à veritate aberret, ac viam indicet, qua procedendo, poſſit veritas inveniri. Ad minima ſcilicet naturalia, in quibus juxta ipſos compoſitionis continui veritas eſt veriſſima, per hæc inventa deveniendum erat; ita providente natura, ut puncta inflarentur, ac conciperent, quò fœtum expectatiſſimum, minima tandem parerent. Incedit autem hæc opinio media inter Ariſtotelem, & Zenonem; atque ab hoc puncta finita, quibus quantitatem componit, ab illo ſpatii diviſibilitatem infinitam mutuatur, quam tamen è formali in virtualem commutat. Ait ergo, quod puncta omninò in ſe indiviſibilia, ubicantur tamen diviſibiliter per ubicationem ſine termino æquivalenter tantùm diviſibilem, quatenus ubicationibus minoribus, & minoribus in infinitum æquivalet. Talis eſt ubicatio Angelica, quæ ita eſt forma indiviſibiliter occupans ſpatium Angelo proportionatum, unius v.g. milliaris, ut poſſint dari duo ubi minora, quibus duo Angeli imperfectiores ſingulis ſemimilliare occupent; & ſic minorando in infinitum.

Hæc ſententia argumentis ſuprà adverſus Zenonem inſtructis oppugnari non poteſt; ut videre eſt apud P. Maurum l. cit. qu. 39. Aliundè tamen eſt improbabilis omninò, & reiicienda. Negato enim in entitate pun-

cti omni exercitio virtualis divisibilitatis, non video, quo pacto possit illi apponi ubicatio virtualiter extensa, nisi aut replicando punctum, aut ponendo ubicationem, quæ est forma puncti, extra subiectum suum. primum ex his est contra ea, quæ omnes sumimus, ut physicè evidentia. atque etiam eo transmisso, ut naturaliter possibili, adhuc remanet essentialis improportio inter punctum, eiusque ubicationem; quemadmodum enim si punctum infinities replicetur, non potest vel minimam extensionem perficere, ita nec poterit vel minimæ extensioni correspondere. secundum verò & manifeste sequitur ex ista positione, & est manifestè absurdum. sequitur; quia est evidens; si quantitas palmaris manens palmaris, & non replicata accipiat ubicationem bipalmarem, alicubi esse ubicationem, & ibidem non esse corpus ubicatum: quod idem à fortiori valet in casu. est absurdum; tum quia ubicatio est actuale exercitium essendi in loco, & correspondendi spatio; repugnat igitur hic esse ubicationem, & hic non esse ubicatum, tum quia similiter dicere quis posset Angelum, & animam rationalem entitativè omninò indivisibiles esse; totam vero divisibilitatem esse in ipsorum ubicatione quod si oppositum omnes sumimus; ex eo id est; quia non videtur possibile extendi locationem rei nullatenus extensæ, cum locatio sit passio consequens entitatem, ut si entitas sit formaliter, aut virtualiter divisibilis, eiusmodi etiam sit proportionaliter eiusdem locatio.

Hoc autem, quod est in sententia de punctis inflatis omninò vitiosum, emendat alia sententia, quæ minimis naturalibus quantitatem componit; sunt enim minima naturalia puncta quidem, & indivisibilia non mathematicè, sed physicè. cæterum suam habent extensionem, ac divisibilitatem infini-

tam non formaliter, sed æquivalenter talem, eo prorsus pacto, quo ubicationem punctorum statuunt, qui ea instant.

Hæc mihi sententia nec vera videtur, nec Peripatecica. Non est vera; quia ponit in rebus materialibus eam perfectionem virtualis divisibilitatis, quam in metaphysicis ostendam esse propriam differentiam rei spiritualis à materiali: & quidem sine ulla prorsus necessitate; ex quo enim capite sit hæc necessitas? an quia repugnat infinitum? at oppositum ostendimus tota quæstione superiori. an quia si quantum ex infinitis partibus constaret, & esset infinitè extensum, & esset per motum impertransibile? at sanè utrumque esse falsum, infrà demonstrabimus. & si sit verum, utrumque est evidenter solvendum à minimistis. primum quidem; quia si partes infinitæ actu infinitam habent extensionem, minimum, quod illis æquivalet; non potest habere extensionem finitam. secundum verò; quia si infinitæ partes proportionales faciunt motum infinitè simpliciter extensum, etiam facient infinitè extensam quantitatem permanentem: quod tenentur minimistæ negare. Sed de his fusius infrà.

Deindè tempus debet constare ex divisibilibus infinitis. ergo etiam motus. ergo etiam magnitudo. ambæ istæ consequentiæ inferius ostendentur; nec negantur ab adversariis: anteced. prob. duratio constans ex divisibilibus infinitis non est duratio chimærica, ut porrò pergens probatum invenies. aliundè hæc una est debita: imò una est possibilis enti creato dicenti omnimodam possibilem subjectionem divinæ potentiæ, & arbitrio quoad esse, & non esse. si enim duratio creata ex minimis constet virtualiter solum divisibilibus, ponit in creatura necessitatem essendi per totum minimum: adeoque si alia essent

essent minima minora, non posset Deus in uno istorum creaturam conservare, & in alio destruere, sed necessariò deberet per omnia illa in infinitum minora, si essent, creaturam in suo esse incolumem tueri, quod quæst. 4. cap.8. ostensum est impossibile. Perindè autem est ad rem præsentem, sivè magna sit, sivè parva duratio indivisibilis; differunt enim per hoc quod magis, aut minus, non per hoc, quod nihil imminuant divinum in res creatas dominium, aliter cum duratio quævis temporanea minima sit relate ad æternam, hæc una indivisibilis repugnabit.

Præter hæc utcumque explicet hæc sententia maiorem, & minorem motus localis velocitatem, non tamen potest explicare majorem, & minorem velocitatem motus alterationis. suppono enim ex dicendis, ubi de ortu, & interitu, alterationem esse successivam: & posse eandem diutiore, aut breviore tempore perfici pro maiore, aut minore agentis alterativi efficacia, & activitate. Jam vero ut hæc opinio consequenter loquatur, debet ut continuum successive acquisibile minimis ex. tensis, ita & qualitatem successivè producibilem minimis intensis componere. Atqui ut minima extensionis propter virtualem divisibilitatem possunt successivè pertransiri; non sic possunt minima intensionis successivè produci; cum enim nullam habeant partium distinctionem, si producuntur, tota, & totaliter producuntur; ut ibi ostendemus contrà Thomisticam radicationem. Superest ergo ad salvandam successionem alterationis in hac sententia, ut statuatur motus non continuus, sed discretus, ac per morulas interruptus. atqui morulæ in alteratione ex eodem capite sunt impossibiles, ex quo sunt impossibiles in latione; quia scilicet in iis debet agens expeditum, & rite approximatum pro-

portionato susceptivo plane otiari, quod est æque incredibile, ac est incredibile, gravissimum corpus in descensu suspendi identidem à motu, & in aere medio libratum quiescere.

Confirmatur, & explicatur magis argumenti efficacia. Suppono (quod & ab his authoribus conceditur) alterationem esse motum successivum continuum. ostendo nunc id esse impossibile, data minimorum sententia. In eo enim, in quo partes componentes successionem sunt plane indivisibiles tum formaliter, tum virtualiter, impossibile est, ut continuam successionem constituant. atqui minima quantitatis indivisibilia sunt etiam virtualiter quoad produci; adeoque eorum productiones sunt omninò indivisibiles. ergo non possunt unam continuam successionem constituere.

Maiorem hujus syllogismi ostendo dupliciter. 1. quia est certum in sententia Peripatetica nullum continuum sive permanens, sive successivum posse ex mathematicis indivisibilibus constare. 2. quia utcumque id ipsum possibile admittatur, certe in systemate dato alterationis id est evidenter impossibile. supponitur enim prima productio primi minimi quantitatis correspondens primo minimo temporis. 2. 2. & sic de aliis, jam ergo si productiones sunt indivisibiles omninò, & minima temporis sunt virtualiter divisibilia, dum illæ seorsim sub his disponuntur, & singulæ singulis correspondent, evidens est non continuari, ut est evidens non continuari instantia, vel puncta (quamvis ea cæteroqui continuabilia supponantur) si disponantur hoc pacto, ut singula instantia singulis horis temporaneè, & singula puncta singulis palmis localiter correspondeant.

Ostendo jam minorem principalis syllogismi. Quæ nullam habent in se distinctionem ex parte rei, eo ipso, quod sunt, aut

pro-

producuntur, tota & totaliter sunt, ac producuntur. ergo quoad esse, & produci nullum habent virtualis divisibilitatis exercitium. antec. prob. si enim tota, & non totaliter producerentur, cum ly *totaliter* nihil importet distinctum à ly *tota*, tota producerentur, & non producerentur. Et quidem virtualem divisibilitatem non explicamus, neque admittimus absolutè, sed respectivè per correspondentiam ad minora secundum perfectionem, aut quantitativam, aut entitativam: quo salvamus facile contradictionem. Sic anima dicitur tota correspondere, & non totaliter pedi, quatenus correspondet parti non æquanti totam perfectionem localem rationalis animæ. quare dum negatur de anima correspondentia totalis relatè ad pedem, non negatur illa correspondentia jam affirmata, sed alia, quæ haberetur relatè ad corpus totam animæ localem perfectionem commensurans. At dum sumus in prædicatis absolutis, ut sunt esse, & produci, si admittatur totum esse, & non totaliter esse; manifesta contradictio involvitur.

Sed neque est Peripatetica hæc sententia; immò vero est ipsissima Epicuri, qui quidem atomos cuiusque corporis constitutivas non mathematicè, sed physicè individuas voluit, quare & magnitudinem iis, & figuram attribuit, ut videre est late expositum à Gassendo phys. l. 3. sec. 1. cap. 6. Et quidem Aristoteles 6. phys. t. 3. ait, *quod omne continuum divisibile est in semper divisibilia*. quod non habetur in minimis, quæ ut æquivaleant minimis minoribus, non tamen rectè dicuntur dividi posse in illa; ut non rectè dicitur Angelus perfectior dividi posse in imperfectiores, nec Deus in creaturas propter æquivalentiam. 5. etiam met. cap. 13. dicitur quantum divisibile in ea, quæ insunt: magnitudo ve-

rò semper in continua. minima autem continua non sunt, quia iis non est continuatio, sed identitas, nec possunt proindè dividi in ea, quæ insunt. Audiatur D. Th. in hunc locum lec. 15. *Quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quæ insunt; quod quidem dicitur ad differentiam divisionis mixtorum; nam corpus mixtum resolvitur in elementa, quæ non sunt actu in mixto, sed virtute tantum.*

At enim 8. phys. t. 98. ait, in continuo esse infinita dimidia non actu, sed potentia. Sed eum textum, qui ex contextu pensat, pro comperto habet, alia omnia ibi Philosophum voluisse, quàm minima istæc, quæ sane ne somniavit quidem. Sed quia in eo textu affertur solutio ad celebre Zenonis argumentum de impertransibilitate infiniti, ubi nos hanc ipsam solutionem infrà dabimus, mentem Philosophi perpendemus iis verbis latentem, quæ, ut constabit, à minimorum sententia longissimè abest.

CAPUT III.

An sint in continuo partes actu distincta.

PRo sententia admittente in continui partibus identitatem quamdam, ut vocant, quantitativam, physicam, & amissibilem, citantur ex veteribus innumeri, omnes fere antiqui Aristotelis interpretes, itam Capreolus, Aureolus, Henricus, Albertus, D. Thomas, quos reperies apud Suarium Lusitanum in phys. tract. 4. disp. 1. sec. 1. §. 3. sed utrùm bona fide citatos, equidem ignoro. ii certe nullum verbũ de identitate continuativa, quæ sine dubio est Recentiorum commentum abutentiũ vocabulis identitatis ad continuationem, quæ unio reverà est, exprimendam; atque ita

ac-

accersito è vocibus patrocinio, vitare contendentium difficultates reales è continui compositione pullulantes. Profectò quo sensu veteres negarint partes actu in continuo, declarat D. Thom. iis ipsis verbis, quibus identitatem continuativam asseruisse visus est Lusitano. 8. igitur phys. sic habet D. Thom. *Pars in toto non est in actu, sed in potentia, maximè in continuis. sic enim aliquid est ens, sicut & unum: unum autem est, quod est in se indivisum, & ab aliis divisum: pars autem prout est in toto, non est divisa actu sed in potentia tantum.* Ex his primò apparet, loqui D. Thom. de omnibus composit s, etiam physicis, & substantialibus; deinde explicat partes in potentia non per ordinem ad distinctionem, sed divisionem. quare qui ex hoc textu Div. Thomam sibi pro sententia quantitativæ identitatis vindicat, eodem modo Hurtadum, & Arriagam potuisset pro se citare, quorum alter fatuam, & fœdam, alter antiquatam hujusmodi opinionem appellat. Equidem missa authoritate, & multò magis convicio, eam à ratione multipliciter refello.

Primùm sumo de partibus continui actualibus verificari prædicata contradictoria; nam præterquam quod de uno palmo potest verificari, quod sit albus, dum de alio id ipsum negatur, aliaque huiusmodi; certum est, quod palmus A coniunctus cum palmo B est distinguibilis aliquando à palmo B, & in nullo eventu est distinguibilis à palmo A, hoc est à se ipso: jam verò posse distingui à palmo A, & non posse distingui à palmo A sunt prædicata sine dubio contradictoria, quorum primum dicitur de palmo B, alterum de palmo A, etiam dum isti continuati sunt.

Ex his ita arguo 1. impossibile est retineri formam distinctionis, non retenta distinctione: at palmi formam distinctionis, quam habent

bent divisi, retinent continuati. ergo continuati retinent distinctionem. min. prob. 1. quia forma distinctionis non est, nisi contradictio; distinctio enim in veritate primi principii fundatur, idem non potest simul esse, & non esse, h. e. idem non potest verificare contradictoria. quare perinde est dicere *idem*, ac non verificans contradictoria; perinde est dicere *distinctum*, ac verificans contradictoria. Contradictio igitur est unica forma distinctionis. quod si negetur, nihil prohibet, quin palmos etiam divisos dicamus identificatos.

Probo iterum eamdem minorem. partes divisæ sunt distinctæ formaliter per suas entitates positivas, non verò per negationes aliquas contingentes, quæ per continuationem deperdantur. ergo cum istæ entitates retineantur in continuo, retinebitur consequenter forma distinctionis. antec. prob. in priori ad omne negativum contingens est in palmo, per quod distinguatur à palmo. tum quia omne ens per id distinguitur, per quod constituitur. at palmus per sua prædicata metaphysicè, per suas partes quantitativas physicè constituitur. ergo per eadem distinguitur. tum quia per id, per quod palmus est in priori ad negationem illam contingentem, & ab ea distinguitur, distinguitur sufficienter ab alio palmo, dum est ab eo divisus.

Arguo 2. ex iisdem. palmus in recto negabilis de palmo est palmus actu distinctus à palmo; quid enim est, hoc distingui ab illo, nisi hoc non esse illud? atqui palmus etiam continuatus est in recto negabilis de alio palmo. ergo est ab eo actu distinctus. probo min. redeundo ad assumptum de contradictoriis in continuo verificatis. sit ergo verum, quod palmus A sit albus, palmus B non sit albus: in hac secunda propositione, in qua album vere negatur de palmo B, simul de palmo B negatur palmus A;

adeo

adeoque palmus de palmo verè negatur in recto. Profectò enim in eodem sensu, in quo verificatur propositio de extremo universali stante in suppositione distributiva, verificatur propositio de quolibet singulari, suprà quod cadit distributio, ut est ex summulis manifestum. atqui in hac propositione, palmus B non est albus, prædicatum stat in suppositione distributiva, ut constat ex iisdem summulis, apud quas illa est solemnis regula, quod negatio negans facit supponere distributivè terminum, quem mediatè, vel immediatè afficit. ergo quidquid est sub albo, negatur eodem pacto verè de palmo B, sed palmus A est albus. ergo palmus A negatur verè de palmo B.

Arguo 3. ex absurdo communiter contra hanc sententiam illato de simili identitate inter partes substantiales physici compositi, animam v. gr. & corpus in homine, constituenda. Neque vero satisfaciunt adversarii, dum aiunt, materiam, & formam esse entitates heterogeneas; identitatem verò materialem, & amissibilem solùm posse inter homogenea intercedere. Mirabile enim mihi accidit vehementer, quòd post eversam distinctionem ex contradictoriis ortam, recurratur ad diversitatem rationum, quasi vero facilius multo non sit rationes diversas tum specificas, tum genericas in eamdem rem coincidere, quam contradicentia prædicata.

Arguo demum 4. specialiter contra eiusmodi identitatem admissam in continuo successivo. Tempus hodiernum aut est idem hesterno, aut ab eo re distinctum. hoc secundum est intentum: quod tamen adversarii ex duplici capite reformidant. 1. quia cogerenrur tempus componere ex partibus actu infinitis. 2. quia non facile datur disparitas inter tempus, & spatium utrobique enim habetur continuitas, quæ juxta ipsorum

sorum doctrinam est formalis ratio non unionis, sed identitatis. Primum verò illud dici non potest sine destructione primi principii; cum enim tempus hesternum hodie non sit quod non est, idem esset cum eo, quod est: adeoque idem esset, & non esset.

Resp. quod est continuativè idem, posse esse, & non esse, quamvis non possit, quod est essentialiter idem, de quo uno loquitur primum principium. Sed hæc responsio vel ludit verbis, & abutitur vocabulo, *idem*, vel evidenter est nulla. Eadem sunt, quæ sunt invicem affirmabilia: distincta, quæ negabilia. aut ergo tempus hesternum non est affirmabile de hodierno: & jam abuteris vocibus, dum unionem, immediationem, continuationem appellas identitatem. aut est affirmabile; & hoc dico esse destructivum primi principii, & luminis naturæ, ut quod est, sit verè affirmabile de eo, quod non est; quia sic non esse verè affirmatur deesse, adeoque non esse est esse: quod est chimæricum.

Dices. homogenea non complentur per suam essentiam, sed per aliquid superadditum essentiæ, & amissibile per continuationem; aliter non possent invicem coniungi ad componendum per se unum. ergo per continuationem identificantur.

Homogeneum completum potest appellare naturam, & entitatem; atque ita omne homogeneum est essentialiter completum. ad hoc autem ut faciant per se unum, satis est, si sint incompleta in ea ratione, in qua faciunt unum. sic palmus est completissimus palmus, sed ad quantitatem bipalmarem comparatur ut incompletus. & potest appellare suppositum; atque ita homogeneum, dum est divisum, est completum, & totum: dum est coniunctum, est incompletum, & pars.

Dices iterum, si partes omnes essent actu divi-

divisæ, essent actu indivisibiles. ergo essent indivisibiles, si essent omnes actu distinctæ. antecedens vulgo admittitur. conf. prob. quia divisio totalis non tollit entitatem partium, sed unionem: unio autem coniungit partes juxta ipsarum naturam præsuppositam. quare si ablata omni unione, partes sunt indivisibiles, & puncta, tales etiam sunt cum unione.

Puto equidem hoc argumentum æquè solvendum, quamvis admittatur identitas in partibus continuativa. hæc enim non est entitas ipsa partium; aliter ut partes non possunt amittere entitatem, nec possent amittere identitatem. & quidem palmus constituitur in sua entitate in priori ad continuationem cum alio palmo, & sic reliquæ partes. hinc autem fit pariter, ut si amissa omni continuatione, partes debeant remanere indivisibiles, etiam continuatione retenta indivisibiles sint juxta modum arguendi adversariorum:

Directe igitur resp. negando antecedens, de quo infrà ex professo.

CAPUT IV.

An continuum componatur ex partibus infinitis.

§. I.

Nonnulla prænotantur.

1 Partes continui aliæ sunt entitativæ, aliæ integrales. entitativæ sunt partes secundum rem inter se distinctæ, & capaces suscipiendi extensionem. integrales dicuntur eædem, ut sunt extensæ in spatio.

2. Partes, quibus quantitas integratur, aliæ sunt

sunt æquales, aliæ proportionales. æquales sunt, quæ habent eamdem mensuram, ut palmus, & palmus in quanto bipalmari. Proportionales sunt, quæ habent proportionem eamdem, ut duo semipalmi comparati ad palmum, & duæ quartæ comparatæ ad semipalmum, & duæ octavæ comparatæ ad quartam, &c. in his enim semper servatur eadem proportio dupla.

Ex quo infers 1. æquales, & proportionales partes non esse duo genera partium secundùm rem, sed solum secundum rationem distinctarum; idem enim semipalmus, qui est pars æqualis semipalmo, est proportionalis cum palmo, & cum quarta comparatus. Infers 2. partes proportionales respicere quantum finitum formaliter quà finitum; ab infinito enim nullæ huiusmodi partes accipi possunt, cum in eo nulla sit medietas, & nulla proportio.

3. Medietates istiusmodi, in quas divisibile est proportionaliter continuum, appellantur series, existentes vi possibilium divisionum. Sic in palmo duo semipalmi sunt prima series: quatuor quartæ secunda series: 8. octavæ tertia &c. In his seriebus duo sunt consideranda. 1. quod quælibet constat ex partibus æqualibus uni certæ, & finitis. Secund. quod procedendo ulterius quælibet habet maiorem numerum partium, & minorem in singulis quantitatem.

4. Hinc consequens est veritas communis dicti, non plures partes proportionales esse in toto cælo, quam in grano milii, quamvis in cælo sint maiores, quam in grano, quod est verum non solum, quia in utroque series sunt infinitæ, & infinito nihil est majus; sed etiam quia evidens est, quantitatem licet ingentem non habere plures medietates, quam duas, nec plures quartas, quam 4. & sic de reliquis.

discri-

discrimen est autem, quod medietates corporis magni maiores sunt medietatibus parvi.

5. Partes continui prætereà dividuntur in communicantes, & non communicantes. Primi generis illæ sunt, quæ, facta divisione, aut extrinseca designatione continui, in aliquo communicant, quod est pars utriusque. v. gr. sit continuum ABCD. si dividatur in duas partes, quarum altera sit ABC, altera sit BCD, eiusmodi partes communicantes dicuntur; habent enim BC commune. Alterius generis sunt, quæ nihil habent commune, sed sunt invicem adæquatè distinctè, ut si dictum continuum dividatur in AB, & CD.

Hæc porrò divisio locum habet non solum in partibus æqualibus, sed etiam proportionalibus; quia non solum cum palmo, sed etiam cum semipalmo potest palmus communem partem habere: & ut à palmo, ita à semipalmo potest adæquatè distingui. Atqui eo ipso, quod in continuo v. g palmari sunt partes proportionales infinitæ intrinsecè ipsum constituentes, sunt indivisim partes proportionales infinitæ non communicantes (& hoc debet diligenter notari) sumo enim primum semipalmum; cui addo dimidium alterius semipalmi, & huic addo dimidium alterius dimidii: & sic procedo sine termino: istæ partes adduntur secundum proportionem infinitæ, & sunt adæquatè distinctæ à primo semipalmo, cui adduntur.

6 Demum omnes partes æquales inclusæ in certa qualibet serie appellantur aliquotæ: quo nomine significatur pars, quæ aliquoties repetita adæquat, ac mensurat totum, ad differentiam partis aliquantæ, quæ aliquoties repetita, aut excedit totum, aut exceditur à toto. sic semipalmus est pars aliquota continui bipalmaris; quater enim repetitus illud adæquat: sed quantitas tripalmaris est aliquanta relate ad ulnam;

bis

bis enim accepta exceditur ab ulna; ter accepta exceditulnam;

§. II.

Ostenditur, continuum componi ex divisibilibus in semper divisibilia actu infinitis.

Quæcumque hic dicam, consectaria sunt ad jam dicta. Et primò ex probatis c. 1. constat quantitatem non componi ex indivisibilibus seu finitis, seu infinitis. ex probatis c. 2. constat non componi ex indivisibilibus inflatis, aut minimis physicis virtualiter tantum divisibilibus. Restat ergo, ut componatur ex partibus formaliter divisibilibus in infinitum. Rursus ex ostensis c. 3. apparet eiusmodi partes non esse potentia, sed actu omnes inter se distinctas: ex quo jam infero in præsenti esse actu categorematicè infinitas. Quæ est sententia omnium ferè veterum Peripateticorum, ita ut Capreolus superiori proxima quæstione c. 6. §. 1. relatus, eam instantiam attulerit ad argumentum desumptum ab æqualitate totius, & partis, quo aliqui putant demonstrare impossibilitatem infiniti, quod nim. inde improbaretur infinitas partium proportionalium magnitudinis, & motus, & temporis.

Hæc illatio constabit manifestè, si unum illud prius probo, partes continuum componentes esse actu multitudinem. quod primum ostendo ex Philosopho 1. phys. t. 17. ubi arguens adversus eos, qui omnia dicebant esse unum, ait, omne unum aut esse unum per indivisibilitatem, aut per continuationem: unum verò per continuationem, inquit, *multa est id quod est; infinitum enim divisibile est continuum*. Ex quo apparet inanem esse quorumdam evasionem

nem dicentium, Aristotelem hoc sumere ex sensu non suo, sed adversariorum; quid enim hoc sumeret ex eorum sensu, qui omnia unum esse asseverabant? Rursus 5. met. t. 31. ait *continuum finitum ex pluribus inexistentibus unum quid esse*. in una igitur quantitate plura sunt componentia. & 10. met. t. 9. sic habet: *Opponuntur autem unum, & multa multis modis, quorum uno unum, & multitudo, ut indivisibile, & divisibile; quod enim aut divisum, aut divisibile, multitudo quædam dicitur: quod verò indivisibile, aut non divisum, unum*. quibus verbis duo asserit de divisibili, & quod est unum, si non divisum, & quod est multa. quia divisibile. quod proinde est, ut si diceret, divisibile non divisum esse unum totum multas partes.

Id ipsum prob. ubi est distinctio, non est unitas simpliciter, sed multitudo entium: nihil enim est à se distinctum; imo id proprium est distinctionis facere unum, & alterum. quod ipsum in metaphysicis constabit, ubi conceptum identitatis ostendemus dicere de materiali unitatem simpliciter dictam, cui superaddit relationem affirmabilitatis: conceptum verò distinctionis dicere de materiali multiplicitatem, cui superaddit relationem negabilitatis. Atqui inter partes continui ante divisionem est distinctio. ergo & multiplicitas.

Dices. numerus non resultat ex distinctione, sed ex divisione continui. ergo ubi partes continuatæ sunt, numerum, ac multitudinem non faciunt.

Antecedens ut sit verum, debet intelligi de numero non quocumque. sed eorum, quæ sunt per se demonstrabilia, & quorum quodlibet est unum hoc aliquid. cæterum esse aliquem numerum, & non in quantis divisis, fusè ostendit Aureolus in 1. d. 24. art. 3. &

est

est manifestum ex vulgari etiam Scripturarum locutione, quæ pluralitatem Angelis tribuit; & partes substantiales compositi physici duas dicimus; & qui ab illis totum distinguunt, tertiam entitatem appellant.

Post hæc facilè ostenditur, quod partes continui sunt infinitæ, ostenso, quod sunt multæ. si enim finitæ essent, devenire tandem esset ad ultimam divisionem, adeoque ad indivisibilia. Si verò finitæ in infinitum, aut non essent omnes actu, aut non omnes actu distinctæ essent. restat ergo ut sint infinitæ. & quidem multitudo quæ habet omnes suas partes actu, à qua aliæ, & aliæ partes acceptibiles sunt sine termino, non potest non esse categorematicè infinita, nisi vocabulis ad libitum abutamur.

Quod autem ait Aversa qu. 22. sec. 8. infinitatem partibus continui non competere certis, & determinatis, sed minoribus semper & minoribus, quod non satis est ad categorematicam infinitatem certis, ac determinatis partibus constantem, equidem non intelligo. nam ut partes sint minores, & minores, certissimæ tamen sunt secundum entitatem, quamvis non sint certæ secundum mensuram, quam communem nullam habent. Hic autem non consideramus mensuram, & extensionem partium, secundum quam sunt finitæ, sed solam entitatem, & multitudinem, secundum quam contendimus esse certas, multas, & infinitas.

§. III.

§. III.

Solvitur argumentum, & ostenditur infinitam multitudinem partium proportionalium non ferre infinitam extensionem.

DIfficillimum id quidem videtur, imò vero plane imperceptibile, qua ratione infinitæ partes sua quæque extensione, ác mole præditæ in infinitum non protendantur, sed intra limites, finesque consistant. Profecto infinitas extensiones unám extensionem componentes non posse illam finitam conficere, h. e. concludere terminis, quibus carent, per se notum videtur.

Conf. 1. quælibet ex his partibus infinitis maior est puncto. at puncta si quantitatem componunt, infinita constituunt infinitam. à fortiori ergo infinitam conflabunt molem, infinitæ si sunt partes.

Conf. 2. infinitæ partes non communicantes æquales uni certæ infinitam sine dubio faciunt extensionem. ergo à fortiori partes infinitæ maiores una certa. atqui in quantitate sunt infinitæ partes, quarum quælibet maior est puncto.

Hoc argumentum non solvitur ab iis, qui negant actualem partium infinitatem, & potentialem admittunt, aut per identitatem in actu, & distinctionem in potentia, aut per æquivalentiam pluribus, minoribusque distinctis. tam enim infinita est illa quantitas, quæ habet actu palmos infinitos, quam quæ tantam habet extensionem, ut vel formaliter, vel per æquivalentiam accipi ab ea possint finiti in infinitum palmi. si ergo actualitas partium infinitarum extensionis infinitatem arguat, quid ni eamdem pariter arguet, si ea sit extensio, ex

qua

qua finitæ in infinitum partes accipi possunt?

Dicendum ergo partium infinitatem, quæ proportionales sint, minoresque, & minores in infinitum, infinitam extensionem componere non posse. Quod ita ostendo. Multiplicatio partium proportionalium secundum numerum extensionem quantitatis non auget; neque enim duo semipalmi plus habent molis quam palmus, quia illi sunt duo, & palmus unus, nec quatuor quartæ plus, quam duo semipalmi, quia illæ sunt quatuor, & isti duo: nec nisi ineptè, ac ridiculè numerus iste maior afferretur in argumentum quantitatis maioris.

Porrò si plus multitudinis non sit natum facere plus molis, infinitum multitudinis nec erit natum facere infinitum molis; quod quidem evidens est; quia infinitum molis continet plus, & plus molis; quod ergo per sui multiplicationem ineptum est facere plus, & plus molis, per sui infinitatem nec poterit molem infinitam construere. Conf. omne infinitum in ea ratione, qua infinitum est, habeat oportet partes usque, & usque sine termino maiores, ut superiori quæstione probatum est. at partes quantitatis non sunt maiores, sed minores in infinitum. Per quæ respondetur argumento, quod totum uni nititur admirationi.

Ad 1. conf. ut respondeam, noto systemata Zenonis, & Aristotelis super continui compositione ita se habere, ut alterum admissum trahat alterius impossibilitatem. finge enim duas quantitates palmares, quarum altera punctis finitis, decem v. g. altera partibus sine fine dividuis constet; certè in hac secunda decem sunt partes, quæ possunt in viginti, & hæ in quadraginta; rursumque hæ sine termino dividi in partes, quarum quælibet maior est puncto. ergo palmus hic secundus magis, magisque ul-

trà

trà primum extenditur, adeoque illi æqualis non est contra suppositum. Atque, id unum est, quod facto argumento conficitur.

Resp. igitur, nego maiorem, in qua instituitur comparatio inter partes componentes quantitatem reales, & chimæricas; & fit deinde in consequenti transitus à statu conditionali impossibili ad realem absolutum: qui quidem chimæricus evadit eo ipso, quod supponitur prior status. quare ut arguere adversus Zenonistas non licet ex suppositione Aristotelici continui. ita nec adversus Aristotelicos ex suppositione continui Zenonistici; cum verissimum sit unum trahere impossibilitatem alterius ex suppositione; quæ nisi probetur realis, nihil evincitur.

Ad 2. Conf. constat ex modo dictis responsio. partes infinitæ maiores una certa, quæ nata sit extensionem facere, infinitam certe molem constituunt. at punctum, cui partes comparantur, est plane ineptum extensioni ut constituendæ, ita & mensurandæ.

§. IV.

Solvuntur reliqua argumenta.

1. OBiic. aut omni parte continui est aliqua minor, aut non omni parte continui est aliqua minor. si dicatur primum; ergo datur pars continui, quæ sit minor omni alia parte. hæc autem divisibilis esse non potest, aliter esset minor parte sua. dicatur secundum; ergo aliqua parte continui non est alia minor, adeoque aliqua est indivisibilis; hæc enim una est, qua non est minor.

Resp. omni parte continui esse minorem; sumendo *omni* syncategorematicè, & *aliqua* confusè; ut sensus sit, quacumque parte data esse aliam semper minorem. at verò non re-

ƈte hinc conficitur dari partem, quæ ſit minor omni alia; quia ſic ſumitur *omni alia* categorematicè, & *pars* determinatè. Exemplum habes in æternitate à parte poſt, in qua, quòd omni die ſit alius poſterior, non concludit diem omni alio poſteriorem.

2. Obiic. ſit columna bipedalis in qua ſi ſunt infinitæ partes proportionales, duci poteſt linea gyrativa per partes æquales ſecundum craſſitiem, & proportionales ſecundum longitudinem. Hæc autem linea eſſet infinita ſimpliciter, quia conſtaret partibus infinitis æqualibus non communicantibus, ut patet conſideranti: & non eſſet ſimpliciter infinita, quia eſſet clauſa intra terminos columnæ.

Reſp. cum Alberto de Saxonia 3. phyſ. qu. 2. omnem dimenſionem capiendam eſſe ſecundùm lineam rectam, ut dicitur 10. met. hinc lineam curva propriè non dicitur longitudo, niſi in quantum reduci poteſt ad rectam. ſic arcum dicimus chorda longiorem; quia ſi arcus rectificetur longior eſt chorda. Dico nunc, quod linea illa gyrativa eſt infinita ſimpliciter non in actu, quia eſt complicata, ſed in potentia, quatenus ſi explicetur, & rectificetur, occupabit longitudinem ſpatii ſimpliciter infinitam. Hoc etiam pacto ſe habent partes proportionales cujuſcumque magnitudinis, quæ ſi diſponantur ſecundùm unam dimenſionem, addendo ſcilicet huic, quod fuerit ab altera dimenſione detractum, occupabunt infinitam ſimpliciter longitudinem. ſed quia corporum menſura ſecundum lineam rectam eſt, tam linea illa gyrativa, quam partes finitæ ſunt actu, & clauſæ.

3. Obiic. In rerum principiis non eſt procedere in infinitum. ſic in genere efficientis cauſæ devenire eſt tandem ad primam, quæ ita ſit cauſa, ut non ſit cauſata. in genere fi-

nium

nium dari debet ultimus, qui sub fine, & ad finem non sit. atque idem omnes fatentur in genere causæ materialis, ac formalis. Sed rerum, quæ componuntur ex partibus, principia sunt ipsæ partes componentes. ergo in his etiam devenire est ad partes ita componentes, ut non sint compositæ, sed simplices, & indivisibiles. Ut enim pendent effectus ab efficiente tanquam ab aliquo priore secundum naturam, ita & totum à suis partibus. Si igitur propter dependentiam in serie producentium non est procedere in infinitum, nec erit in infinitum procedere in serie componentium.

Resp. in efficientibus veniendum ad efficiens primum propter effectuum contingentium insufficientiam, quæ aliundè, quam ab ipsis etiam omnibus, supplenda est. in finibus veniendum ad ultimum; aliter voluntas nihil posset agere; agit enim propter quietem, quæ in ultimo tantùm est. Hæc quidem adversus processum infinitum in partibus continui non valent. quod enim additur de dependentia, nihil est; quia non quicumque infinitus progressus in effectibus causisque repugnat, ut alibi ostendam, ubi de mundi æternitate, sed is tantum, cuius nulla sit causa extra seriem contingentium. In causis deinde materiali, ac formali negamus posse sine termino procedi ex hoc ipso, quia potest non procedi, adeoq; processus esset in essentialiter superfluis. At verò specialiter ostēditur necessitas progrediendi in infinitū in compositione integrali. Mitto alia, quæ congerit Philosophus 1. phys. t. 50. ad probandum physica principia non esse infinita, ex quibus nonnulla attuli initio huius operis, & possunt in disparitatem adduci.

4. Obii. si partes quantitatis essent infinitæ, non possent pertransiri tempore finito. sed de facto pertranseuntur finito tempore. ergo infinitæ non sunt.

Resp. partes infinitas quantitatis finitæ pertransiri partibus infinitis temporis finiti. quod si urgeas, non posse tempus finiri, aut motum, eo ipso, quod partibus constet infinitis, adeoque non habeant primum & ultimum, nec incipiant proinde, nec desinant; huic instantiæ faciam satis infrà, ubi de continui successivi compositione.

CAPUT V.

Qua ratione continuetur, ac terminetur continuum.

DIco 1. Partes continui copulantur per continuativam unionem modaliter distinctam ab ipsis. Ratio est illa ipsa, qua reliquos modos, unionem, actionem, ubicationem supra probavimus.

Dico 2. Partes continui duplici unione copulantur. Ratio est; quia cum partes ita uniantur, ut una sit juxta, non intrà locum alterius, si unica unione coniungerentur, aut hæc in una tantum parte reciperetur; & non est maior ratio, cur in hac potius, quàm in illa: vel in utraque; atque ita esset localiter replicata. Hinc est disparitas inter unionem continuativam, & substantialem, quæ est inter materiam, & formam, quæque unica est propterea, quod partes nectit penetratas, & est maior ratio, cur materiæ potius, quam formæ insit. Adde, quod in unione substantiali partes sunt, quæ se invicem perficiunt intrinsecè. at in continuativa partes perficiuntur intrinsecè ab unione; & cum duplex sit in duplici parte intrinseca perfectibilitas, duplici unione opus est.

Dico 3. Continuum sufficientissimè terminatur per solam negationem unionis, & excursus ad aliud continuum. Prob. terminari est habere

bere ultimum. ultimum illud dicitur, ante quod omnia, post quod nihil. pars igitur quanti est, & dicitur ultima in quanto, quia nullam habet post se partem, cui continuetur. & quidem per hunc unum negativum conceptum satis intelligitur continui terminatio, absque eo quod sit opus aliquod positivum indivisibile addi.

Hinc patet 1. quid dicendum de punctis continuativis. vel enim ista sunt aliquid præter uniones continuantes; & superflue ponuntur. vel sunt uniones ipsæ, & non recte statuuntur puncta, & indivisibilia. omnis enim unio porportionari debet extremis, quorum est forma, & quibus debet proinde coextendi. Et sanè tam est proportionata unio indivisibilis subiecto, & extremo divisibili, quam unio divisibilis subiecto, & extremo indivisibili. quemadmodum ergo nemo somniat, in sententia Zenonis puncta debere extensa unione coniungi; ita nec par est Peripateticas partes punctuali unione copulari.

Patet 2. nil opus esse punctis terminativis ad finiendum continuum, quod satis clauditur parte negante excursum ulteriorem. Neque vero punctis istiusmodi est opus ad corporum contactum; sic enim arguo. Per id se corpora formaliter contingunt, per quod sunt formaliter immediata. at sunt immediata per medii negationem tum actualem, tum potentialem. ergo per hanc unam formaliter se contingunt. Rursus aut puncta sunt intra, aut extra corpus. non extra; hoc enim æque repugnat, ut repugnat punctum esse extrà punctum. non intra; tum quia hinc fit, contactum haberi immediate inter corpora, adeoque frustrà ad hoc poni puncta; tum quia occuparent spatium; quod fieri nequit sine exercitio virtualis divisibilitatis. Neque dicant, punctum neque intra es-

se, neque extra partes; hoc enim perindè est, ut si dicant, punctum nusquam esse. Præter hæc quid est esse extrà, nisi hoc ipsum non esse intra? Profectò puncta ab his statuuntur ut immediatio corporum inter se, hoc autem est punctum ponere non rem, sed modum, & formam, quæ debet proinde recipi in parte, ut in subiecto, adeoque debet esse intra partem.

Patet 3. non dari in continuo lineam, aut superficiem, quarum prima sit omninò secundùm latitudinem individua, altera sit individua secundùm profunditatem. Ratio est eadem; ut enim ad terminandam lineam non requiritur punctum, ità nec ad terminandam superficiem requiritur linea, nec ad terminandum corpus requiritur superficies.

His tamen non obstantibus, admittimus in quantitate hæc nomina, *punctum, linea, superficies*, quæ quidem nihil importent realiter à quantitate distinctum, sed sint ipsa quantitas secundùm alias dimensionum acceptiones. eadem enim quantitas secundùm unam dimensionem dicitur longa, & sortitur nomen lineæ; secundùm aliam dicitur lata, & habet nomen superficiei: secundum omnem vero dimensionem accepta corpus appellatur. Punctum vero in continuo est, ubi fingitur concursus linearum: & omnis excluditur magnitudo. Hinc habes verum sensum quarundam propositionum, quæ videntur in hac materia difficultatem creare. 1. Locus est superficies, non profunditas corporis. 2. corpora se tangunt secundum solas superficies. 3. corpora secundum solas superficies videntur: aliæqne huiusmodi, sensus enim primæ est, corpus esse locum non in quantum profundum, sed in quantum latum; quo significatur profunditatem materialiter se habere ad locandum? quacumque enim certa pro-

profunditate data, semper satis est ad locandum minor. Idem est sensus secundæ, & tertiæ. Rursus in his aliisque duplex potest esse significatio. una est, quod aliqua res lata, & non profunda locat, tangitur, videtur: & hoc sane est falsum. altera est, quod istæ denominationes dicuntur de corpore ut lato, non ut profundo: & hoc est verum, sed non arguit, aliam rem esse in corpore latitudinem à profunditate; ut non sequitur aliam rem esse in homine animal à rationali, quia homo cognoscitur ut animal, non ut rationalis.

Obiic. 1. Philosophum definientem continua, quorum extrema sunt unum: contigua vero, quorum extrema sunt simul. supponit ergo dari extrema, h. e. puncta in continuo.

Greg. in 2. dis. 2. quæst. 2. ar. 1. ad 1. contra 3. concl. contendit Philosophum ibi loquutum non ex proprio sensu, sed juxta celebrem, quæ suo tempore vigebat, opinionem. At non est opus ad id recurrere, cum etiam in nostra sententia exponi possit de extremo non simpliciter tali, quale est punctum, sed de extremo negative tali, h. e. de parte sumpta cum negatione excursus ulterioris; sensus ergo est, continua esse, quorum extrema sunt unum hoc aliquid, quod constituunt media continuatione. Contigua verò esse, quorum extrema sunt simul, hoc est, immediata secundùm locum.

Obiic. 2. omnis negatio fundatur in positivo, ergo negatio excursus in ultimo positivo debet fundari, quod est punctum; entitas enim partis indifferens est, ut excurrat, & non excurrat ad aliam.

Resp. negationem illam fundari in positivo partis, quæ quidem indifferens licet sit, determinatur tamen efficienter à dividente, formaliter à negatione.

Obiic. 3. Dum palmus A continuatur cum palmo B. per unionem extensam, vel unio ista recipitur indivisibiliter in toto palmo, aut in una eius parte. non recte dicitur hoc secundum; cum enim nulla sit pars simpliciter ultima, non est maior ratio de una, quàm de alia. nec primum; sequitur enim, ut facta divisione in parte qualibet palmi A, tota prior unio palmi cum palmo deberet destrui, & alia de novo produci: imò infinitæ uniones deberent destrui, & infinitæ denuò produci; ut enim palmus palmo, ita & quælibet cuilibet pars indivisibiliter unitur.

Argumentum est pariter solvendum ab adversariis admittentibus puncta, in quibus statuunt indivisibiles uniones, quæ quidem divisibiles partes coniungunt. vel ergo illas coniungunt divisibiliter, coniungendo unam partem præ alia; & contingere id non potest, cum maior ratio pro una non militet. vel indivisibiliter; & redit idem absurdum. Directe resp. posse illud absurdum probabiliter vitari admittendo in quantitate partes quasdam, quæ per nullam naturalem potentiam dividi possunt. istæ autem partes immediatè, & indivisibiliter uniuntur. cum ergo ista dividi naturaliter non contingat, non sequitur, ut ad cuiuslibet partis divisionem debeant infinitæ uniones destrui, & infinitæ produci.

Obiic. 4. Perfectum sphæricum potest tangere perfectum planum. sed non nisi in puncto: ergo dantur puncta in quantitate. prob. min. aliter tangeret in parte divisibili, secundùm quam consequenter plano commensuraretur: quod est impossibile. Eodem modo probabis dari lineas ex contactu perfecti cylindri cum plano.

Resp. 1. argumentum solvendum ab adversariis; dato enim contactu sphærici cum plano in

in puncto, pars divisibilis immediate sequens aut tangit ipsa quoque planum; atque ita redit contra adversarios sua difficultas: aut non tangit, atque ita fateantur oportet duo quanta, inter quæ non mediat, nisi punctum, non se tangere: quod est impossibile; tum quia punctum nullum est spatium, tum quia contactus corporum, qui fit per adversarios secundum indivisibiles superficies, fieret per eorumdem distantiam.

Respondetur 2. directe negando possibilem eiusmodi contactum; de conceptu enim perfecti sphærici est perfectè, adeoque prorsus recedere à plano. non stat autem contactus cum omnimodo recessu. Pertinet deinde ad naturæ authorem determinare quantitatem spatii intermedii. Hæc quidem fuga potius est quam responsio; constabit enim ex dicendis, qua ratione recessus iste stare possit cum contactu.

Resp. 3. sphæricum perfectum non esse possibile, nisi in mathematicorum imaginatione: quare maior argumenti erit de subjecto non supponente. Hæc videtur fuisse Aristotelis sententia 3. met. t.8. ubi, *Nec enim*, inquit, *sensibiles lineæ tales sunt, quales Geometria dicit; nihil enim sensibilium ita rectum, atque rotundum*. Quod idem probari potest; ut enim arguit nobilis Recentior, non potest esse æqualis omninò recessus à medio; qualis requiritur in sphærico perfecto. ubi medium non est simpliciter medium, sed medium simul, & extrema. atqui in quantitate nullum est medium, quod non sit medium simul, & extrema; quia quidquid est in quantitate, est divisibile. ergo non potest esse in sphæra æqualis omninò recessus à medio. Potest idipsum confirmari; quod enim est in aliqua ratione ulterius perfectibile, non potest esse in tali ratione perfectum. atqui omnis linea est ulte-

rius semper ulteriusque curvabilis per accessum maiorem, maioremque ad centrum. ergo nulla linea est perfectè curva,

Sed huic equidem responsioni non fido; ad argumentum enim respondetur facilè negando minorem; datur enim medium perfectum non positivum, sed negativum, ubi scilicet lineæ à circumferentia ductæ concurrunt in nullum spatium. Sic in linea bipalmari datur medium perfectum, ubi duæ lineæ palmares coeunt, & omne spatium excludunt. Ad confirmat. vero resp. facilius; curvitatem esse æqualem partium recessum à medio, jam vero ut magis, minusque recipiat curvitas secundum rationem recessus, non tamen secundum rationem æqualitatis in recessu repertæ, secundum quam ita potest esse perfecta curvitas major, ut minor,

Resp. igitur 4 sphæricum perfectum tangere planum, quod interea detur summa approximatio naturaliter possibilis, salvis figuris; si enim daretur approximatio maior, aut tolleretur perfectio figuræ, aut non esset contactus, sed penetratio. Ita post Greg. in 2. d. 2. quæst. 2. ar. 1. ad 5. contra 3. concl. Albertinus in prædic. quantitatis disp. 3. qu. 7. num. 12. Hoc ut intelligas adverte, contactum esse duplicem, adæquatum seu commensurativum, inadæquatum, seù incommensurabilem; & hunc rursus incommensurabilem aut secundùm unam dimensionem, aut secundùm omnem. prior contactus habetur, cum corpora ita invicem proximantur, ut possit concipi superficies unius, & alterius immediata; quo pacto se tangunt plana: contactus inadæquatus secundùm unam dimensionem habetur, cum corpora ita sunt proxima, ut possit concipi sola longitudo, secundum quam se commensurent: quo pacto tangitur à perfecto cylindro planum. Contactus demum secundum omnem dimen-

sio.

sionem inadæquatus, & incommensurabil's est, cum corpora ita sunt secundùm totum immediata, seu verius proxima, ut acceptam quamvis longitudinem, aut latitudinem vel minimam ipsorum semper aliud corpus intermediet, sed ita, ut non possit mediare minus; & per hoc ea corpora dicuntur proxima; quia non possunt esse propiora. Hæc proximitas contactus dicitur, & quidem contactus in puncto; quia licet fiat per divisibile, non tamen divisibiliter, & commensurativè.

Dices, inter sphæricum, & planum se tangentia vel mediat aer, vel non mediat. si secundum; ergo se tangunt in parte divisibili determinata, qualis sit apta ad aerem disconti. nuandum, & excludendum. si primum, ergo non sunt proxima; cum enim sit aer in infinitum divisibilis, & attenuabilis, possunt magis; magisque accedere.

Resp. mediare aerem inter partes sphærici, & plani omnes distributivè acceptas; quælibet enim pars sphærici distat à plano; sed si minus distaret, aut verteretur ad eam partem sphæricum, aut eadem curvitas non servaretur. Hæc ergo est natura contactus immensurabilis, quique fit in puncto, hoc est revera in nullo spatio, ut non tollat omninò medium, sed tale ponat, ut salvis figuris, minus esse non possit.

CAPUT VI.

Quanta divisio sit possibilis in partibus continui.

§. I.

Possibilis est infinita categorematicè divisio continui.

EX dictis manifestum est quanti divisionem esse possibilem infinitam syncategorematicè. Rursus constat non esse possibilem infinitam categorematicè quāti divisionem in partes æquales; nam eiusmodi non sunt infinitæ in quantitate finita. Solum igitur pronuncio possibilem actu infinitam continui divisionem in partes proportionales eas, quas non communicantes, & adæquate inter se distinctas c.4. §.1. ostendi. Quid enim tollat huius divisionis possibilitatem? an quia essent actu infinita divisa, atqui hoc tā repugnat, quam esse actu infinita coniuncta. an quia partes redigerentur ad indivisibilia? hoc autem est falsum; tum quia nulla esset pars, qua non esset alia minor, adeoque nulla esset pars non divisibilis in minores. tum quia si partes illæ divisæ indivisibiles essent, etiam coniunctæ essent indivisibiles; sunt enim omnes non inadæquatè, sed adæquatè distinctæ.

Obiic. sit palmus A contiguus palmo B, & dividatur in partes porportionales infinitas, servando eamdem contiguitatem cum palmo B. vel ergo ubi tangit palmum B, accipi potest una pars ipsius à reliquis discontinuata, vel non potest. si potest; ea pars erit ultima. Si non potest; ergo partes non sunt omnes divisæ; ubi enim partes ita se habeant, ut non possit una sumi, quin sumantur infini-

finitæ, non possunt dici omnes divisæ: hoc enim præstat divisio, ut divisum sumi possit sine iis, à quibus est divisum.

Resp. sumi unam partem ex infinitis divisis, facere duplicem sensum. 1. est; quod cum singulæ illæ partes sint à reliquis avulsæ, possunt singulæ accipi sine reliquis; atque hic sensus est verus. quare potest accipi semipalmus, quarta, octava &c. 2. est, quod possit accipi una pars palmi A discontinuati versus palmum B, h. e. quæ sit ita proxima palmo B, ut inter ipsam, & palmum B nihil mediet; atque hic sensus est falsus, & impossibilis, non quia partes non essent actu divisæ, ut frustra contenditur ab arguente, sed quia essent infinitæ, adeoque sine ultima. quælibet ergo earum partium posset accipi seorsim ratione divisionis, imo & ratione adæquatæ distinctionis à reliquis, quam habet in priori ad omnem divisionem; sed una, quæ sit post omnes, h. e. ultima accipi non potest ratione infinitatis, cui ultimum est impossibile.

Instabis: inintelligibile est, quod palmus B continguus iis partibus divisis, easque tangens, nullam tamen ex iis certam, determinatamque tangat, quæ ut à reliquis contradistincta sit illi immediata.

Sed hæc instantia manifestè retorquetur in partibus continuatis, in quibus ita, & non aliter fieri potest contactus, si vera sunt, quæ hactenus sunt dicta de natura continui. Ut vero mirum id non appareat, est aptum exemplum in omnium fermè sententia admissum, in quo infinita collectio distinctorum est immediata termino cuipiam extrinseco, quin tamen ulla pars collectionis sit eidem termino immediata. hoc enim accidit omnibus iis entibus, quæ propter ordinis superioritatem excedunt indivisibiliter infinitas species inferiores. sic visio Dei intuitiva excedens suapte

per-

perfectione omnium creaturarum cognitiones, toti cognitionum istiusmodi collectioni est immediata, cum tamen inter quamlibet inferiorem cognitionem, & visionem Dei mediet alia cognitio illa perfectior, imperfectior hac. sic etiam inter collectionem omnium creaturarum, & Deum nihil mediat; mediat tamen semper aliquid inter quamlibet partem illius collectionis, & Deum.

§. II.

Gregorii sententia de possibili omnimoda continui divisione proponitur, & eligitur.

POssibilem continui divisionem omnimodam primus, quod sciam, Ariminensis asseruit in 2.d.2.q.2. ar.1. in responsione ad 5. contra 1.concl. & in 1.d.35.q.un. ar.1.ad 7. ubi paucis totam rem istam cæteroqui difficillimam complectitur, ac comprehendit, ut nihil addi posse videatur, nisi aliquanto plus claritatis, aliudque distinctius loquendi genus. Hanc ipsam sententiam innuit potius, quam tuetur, P. Richardus Lynceus to. 2. philos. schol. lib. 3 tr.7.c.4. in resp.ad 2.

In hac vero re illud omnino difficillimum primò intuentibus occurrit, qua ratione asserta totalis isthæc divisio non inferat quantitatem redactam ad indivisibilia, ut hactenus creditum est evidenter probatum contra imaginationem Gregorii. ita enim arguitur. Facta totali divisione, aut manent partes quantitatis ulterius divisibiles, aut non. si non: ergo manent indivisibiles: & rursus, ergo prius etiam erant indivisibiles; istæ enim ipsæ entitates, quæ nunc sunt divisæ, erant prius continuatæ. ex iis vero quodlibet totum componitur, in quæ resolvitur. Si manent

divi-

divisibiles; ergo contra suppositum non est facta totalis divisio.

Respondet Gregorius, dupliciter posse intelligi totalem divisionem quantitatis in actu positam. primo ut sint aliquæ partes ita divisæ ab aliis, ut non sint resolutæ in alias: & si hoc pacto divideretur totaliter quantitas, manifestè redigeretur ad puncta. secundo ut sit divisio totalis proportionata totali continuationi; ut quemadmodum nulla est pars in continuo, quæ cum alia non componat, & ex aliis non componatur; ita in divisione nulla sit pars, quæ ab alia non sit divisa, & non sit divisa in alias. atque hic modus totalis divisionis manifeste quantitatem ad puncta non redigit; punctum enim ita potest ab alio dividi, ut non possit dividi in alia.

Pro responsione autem directa ait dupliciter dici indivisibile, primo illud, quod quibuscumque caret partibus tum continuatis, tum divisis; atque hoc indivisibile est punctum, quod in continuo nullum est, secundo illud, quod licet habeat partes, eæ tamen sunt omnes actu divisæ, & propterea ulteriorem divisionem non suscipiunt. hoc autem indivisibile non est punctum, quod nullas habet partes, neque coniunctas, neque divisas. Dum ergo quæris, utrum quantitas post divisionem omnimodam sit divisibilis, an indivisibilis; respondet esse indivisibilem secundo, non primo modo. tum concludit: *Unde dico, quod quamcumque partem quantumcumque parvam sumpseris, illa includit partes actu divisas, imo infinitas; nec aliquam potes sumere, quin sumas infinitas. & sicut de facto quodlibet continuum habet infinitas partes potentiales, & qualibet quantumlibet parva includit infinitas: nec aliqua sumi potest, quin sumantur tales partes potentiales infinitæ; sic dico, quod continuum est actu divisum in partes, quarum qualibet etiam est actu totaliter divisa,*

visa, & includit infinitas actu divisas. Ex his autem patet, quod non sequitur, quod continuum componitur ex indivisibilibus primo modo, sicut intendit argumentum deducere: Hæc Gregorius, quæ quidem valde miror ab authoribus oppositæ sententiæ non impugnari, nec adduci, cum & ingeniosa sint, & solida. Restat nunc, ut eamdem doctrinam distinctius proponam, promoveam, probem, atque à difficultatibus expediam: quæ omnia sequentibus propositionibus præstabo.

§. III.

Totalis continui divisio possibilis defenditur.

Sit 1. Prop. Duplicem in continuo divisibilitatem distinguere est, radicalem alteram, alteram formalem. Explicatur prop. In omni toto divisibili in partes considerari potest distinctio, & unio partium. distinctio ponit capacitatem unionis; idem enim sibi uniri non potest. unio reddit totum formaliter divisibile; quia non dividuntur, nisi unita. distinctio autem prior est unione, eiusque radix, sed non sola, cum simul requiratur proportio distinctorum. Divisibilitas ergo & distinctionem dicit, & unionem, illam in priori, hanc in posteriori. illa radicalem facit divisibilitatem, hæc formalem.

2. Prop. Radicalis divisibilitas propria continui est distinctio adæquata essentialiter admiscens inadæquatam. Prob. essentia continui excludit à sui compositione indivisibilia, ut supponimus. ergo quælibet pars ita distinguitur ab alia, cum qua componit, ut possit simul distingui in alias, ex quibus componitur, & à quibus distinguitur inadæquatè. omnis ergo distinctio adæquata partis à comparte involvit

inad-

inadæquatam partis habentis rationem totius ad alias partes. Atque ex hoc consequens est, ut unio continuativa partibus ita distinctis superveniens ita quamlibet partem faciat componentem, ut eamdem simul reddat compositam. sequitur enim unio naturam extremorum. quare si extrema sint solum adæquatè distincta, ea solum facit esse componentia. at si sint adæquatè ab unis distincta, & inadæquatè ab aliis, ea reddit simul partes, & tota, componentia, & composita.

3. Prop. Radicalis ista continui divisibilitas habetur per propriam ipsius essentiam in priori ad omnem modum sive unionis, sive ubicationis superadditum. Prob. radicalis ista divisibilitas est ipsa distinctio partium continui explicata. atqui distinctio partium haberi non potest, nisi per essentiam partium: nec fieri potest, ut modus, vel accidens distinguat, ut fieri non potest, ut constituat. Conf. & promovetur vis argumenti. Pars non potest distingui a comparte per modum aliquem superadditum; in priori enim ad omnem unionem, & ubicationem palmus à palmo adæquatè distinguitur: ergo in priori ad omnem modum pars à suis partibus distinguitur inadæquatè. conseq. prob. quia totum à suis partibus distinguitur inadæquatè per illud idem, per quod partes ipsius adæquatè inter se distinguuntur.

Confirm. propositio. Ita uniones, & ubicationes pertinent ad essentiam quantitatis, ut pertinent ad essentiam materiæ. continuum enim, de quo in præsenti genus est ad utramque, ut constabit ex iis, quæ in metaphysicis dicam, ubi compositionem integralem propriam esse corporis qua talis ostendam. atqui essentia materiæ primæ absolvitur tota in priori ad omnem modum unionis, & ubicationis. ergo item essentia quantitatis & cu-

jusli-

juslibet continui. prob. minor. dicitur enim de materia, quod creetur: quod sane dici de ea non posset, si in sua essentia uniones, ubicationesve includeret; istæ enim ex generali modi conditione creari non possunt: totum vero, quod in sua essentia constitutivum eductum involuit, creari non dicitur, ut patet in homine, qui propter inclusionem solius unionis eductæ non creatur, sed generatur.

4. Prop. Possibilis est omnimoda divisio continui per destructionem omnium unionum continuativarum. Prob. ex hoc ista divisio fieri non posset, quod continuum ad indivisibilia redigeret. at non redigeret. tum quia uniones ex jam probatis non sunt essentia, sed ad summum passio realiter adæquatè à continuo distincta. quare ita destruitur continuum ad destructionem unionum, ut ignis ad destructionem caloris. tum quia, ut dictum est ex Gregorio, totalis ista divisio statuitur proportionalis ad præsuppositam continuationem; ut quemadmodum nulla erat pars non composita ex aliis, item nulla fit pars non resoluta in alias, talis autem resolutio evidenter non ponit indivisibile, cum indivisibile in nullas partes sit resolutum, aut resolubile.

Remaneret ergo post unionum omnium ablationem radicalis continui divisibilitas illa, quæ antecedit omnem unionem, omnemque modum superadditum: & ratione hujus divisibilitatis excluderet quantitas indivisibilia, haberetque, ut nihil possit ex ea accipi, quin accipiantur eo ipso infinita; quia semper, ac unum accipitur sine alio, à quo distinguitur adæquatè, non tamen sine aliis, à quibus distinguitur inadæquatè.

5. Prop. si præscindamus ab eo, quod universim repugnat creaturæ separari ab omni ubicatione, nulla est specialis in natura continui repugnantia, ratione cujus spoliari omni distin-

cta

cta ubicatione non possit. Prob. eodem prorsus argumento; quia scilicet omni ubicatione sublata, quæ posterior est continui essentia, maneret hæc cum tota sua radicali divisibilitate: Partes autem ipsius tunc neque distantes essent positivè; neque indistantes; distantia enim, & indistantia positivæ relationes sunt fundatæ in ubicationibus, & consequentes locum. retinerent tamen suam essentiam, à qua habent, ut eo ipso, quod redderentur loco, immediationem simul acciperent. Addo, quod in isto casu possent retinere uniones continuativas; ut & partes essentiales substantialem suam unionem; unio enim non constituitur per localem immediationem, aut penetrationem intimam, sed per exigentiam essentialem, ut eo ipso, quod sua corpori restituitur ubicatio, necessariò debeat talis restitui, quæ partes constituat aut immediatas, aut penetratas pro unionis natura, seu continuativæ, seu substantialis.

6. Prop. Impossibilis est omnimoda localis divisio continui per positivam localem distantiam partium inter se. Prob. divisio enim ista continuum ad indivisibilia redigeret. sit enim facta talis partium distantificatio, ut quælibet à qualibet distet per palmum; jam in primo spatio palmari esset una, non plures partes; si enim plures ibi essent partes, non quælibet à qualibet per palmum distaret. ubi autem est pars, & non partes, ibi est pars indivisibilis.

7. Prop. Hinc continuum in sua essentia, & in priori ad omnem modum superadditum constituitur per quamdam indistantiam negativam hoc est per essentialem exclusionem omnimodæ localis distantiæ. Prob. omnis essentia per se ipsam excludit quodcumque immediatum sui destructivum: neque enim immediatè destruit essentiam, nisi quod tollit aliquod essentiæ constitutivum. atqui essentialis divisibilitas

quan-

quantitatis immediatè tollitur per omnimodam localem distantiam; neque enim tollitur per hoc, quod tollatur positiva immediatio, ut dictum est prop. 5. ergo essentia quantitatis se ipsa excludit omnimodam localem positivam distantiam; adeoque eiusmodi exclusio formaliter spectat ad quantitatis essentiam.

Et quidem in hac re non aliundè negotium facessi potest, quam ex eo, quod eadem localis positiva distantia excluderetur per duplicem formam, per essentiam scilicet continui, & rursus per indistantiam positivam. est enim dictum Philosophi in oppositum, quòd unum uni contrarium. Sed intelligendum id est de contrariis rigorosis, quæ sub eodem scilicet genere maximè distant. cæterum posse idem ab eadem essentia excludi per se ipsam, & iterum per formam accidentalem superadditam, in multis contingit. nam unio ipsa est essentialis exclusio positivæ inter extrema distantiæ, & rursus eamdem distantiam excludit per indistantiam positivam, quam exigit: & Gratia sanctificans se ipsa excludit peccatum, idemque excludit per actum amoris Dei: & amor se ipso tollit odium, idemque tollit per odii negationem, quam trahit.

8. Prop. Quamvis repugnet omnimoda localis distantia partium continui in facto esse, non tamen ea repugnare videtur in fieri. Prob. faciat enim Deus in prima parte proportionali horæ distare localiter duas primas continui medietates: in secunda parte proportionali horæ faciat distare quartas, in tertia octavas, & ita in infinitum; certe intra horam, in qua distantificatio eiusmodi est in fieri, puto nihil dum esse contra essentiam quantitatis; intra horam enim semper manet in infinitum distantificabilis, adeoque in infinitum divisibilis; ut enim non est assignare partem ultimam horæ proportionalem, ita nec partem ultimam continui,

tinui, in qua sit completa distantificatio totalis. Quod si urgeas, in instanti extrinseco terminativo horæ nonne remansuram quantitatem omninò distantificatam totaliter? Resp. in eo instanti, aut non mansuram quantitatem, sed à Deo destruendam, aut, si maneat, reddendam illi necessariò localem partium immediationem.

Aliquid simile in aliis casibus item possibilibus haberetur. Unum & alterum affero. Dividat Deus in prima horæ parte proportionali palmum, in secunda continuet; tum denuo dividat in tertia, & continuet in quarta; atque ita alternatim procedat dividendo, ac continuando per omnes partes proportionales horæ. Hoc certe quod fit successivè, in instanti horæ terminativo haberi simul non potest; aliter tunc palmus coniunctus simul esset, ac divisus. Rursus in prima parte proportionali horæ producatur triangulus, cuius quodlibet latus sit palmare. hic idem destruatur in secunda parte horæ, & producatur triangulus duplò major; atque ita procedatur per omnes horæ partes infinitas. certè ex vi huius modi producendi nihil posset remanere in instanti terminativo; si quod enim tunc maneret, certe triangulus infinitus maneret, & infinitorum ultimus: quod repugnat.

Hæc habui, quæ in hanc rem afferrem; quæ quidem ea mihi videntur, ut si penetrentur intime ab eo, qui continui Aristotelici naturam apprimè calleat, vix erit difficultas, quam non inveniet in superioribus occupatam.

CAPUT VII.

De compositione continui successivi.

§. I.

Ostenditur in successivo, ac permanenti continuo uniformem debere esse compositionem.

DICO 1. si continuum permanens ex mathematicis constituatur indivisibilibus, ex iisdem constabit necessariò successivum. Prob. sit magnitudo constans tribus punctis ABC, & motus per illam factus constet tribus partibus DEF. quæ supponantur divisibiles juxta hypothesim, quam reiicio. habet ergo pars D motus suas medietates, in quarum prima totum punctum A acquiratur oportet, cum non possit acquiri eius dimidium, quo caret, ergo altera medietas partis D nihil acquiret: quod est contra essentiam motus, qui nihil est aliud, quam acquisitio novi spatii. Idem dic de medietate illius medietatis, &c. Quod verò dictum de motu est, nullo negotio applicari tempori potest, per quod motus ipse mensuratur.

Dico 2. si continuum permanens constet ex semper divisibilibus, ex iis componatur oportet successivum. Prob. sit magnitudo ABC constituta ex semper divisibilibus, quæ percurratur partibus motus DEF, quæ quidem ex hypothesi hic reiicienda supponantur indivisibiles; jam verò unum ex his tribus sequatur necesse est, vel quod mobile replicetur, vel quod unica pars motus correspondeat successivè pluribus partibus magnitudinis, vel quod mobile transeat ab extremo ad extremum, non pertransito medio. prob. hæc sequela. vel enim mobi-

mobile in primo sui motus instanti correspondet toti parti divisibili magnitudinis; atque ita replicari necesse est. vel illud indivisibile motus trahitur per partem divisibilem magnitudinis; atque ita illi successivè respondet: quod est contra naturam actualis exercitii. vel mobile in prima sui motus parte uni, in altera alteri parti seiunctæ spatii correspondet; atque ita motus fit per saltus, intacto medio. quæ omnia aut evidenter falsa, aut certe sunt inopinabilia.

Et quia tertium ex his Recentioribus olim placuit in hac nostra Academia ingeniosis, lubet illud fusius aliquanto reiicere. Et primò motus iste per saltus est contra manifestam experientiam nihilò minus, ac replicatio, & penetratio. Neque dicant fieri saltus eiusmodi in parte imperceptibili! Nam primò idem dici de replicatione, ac penetratione posset. 2. hinc sequitur, ut fiat etiam in parte perceptibili; quanto enim magis crescit mobile secundùm velocitatem, tanto maior, ac perceptibilior est pars, quæ transilitur. at corpora cælestia celerrimè moventur, & quidem ultra fidem, moremque sublunarium. ergo in iis saltem pars media, quæ relinquitur, perceptibilis est. 3. si iste transitus admittitur naturaliter possibilis in parte, qui probabitur esse impossibilem in toto? præsertim cum illa pars, quæ saltat in toto, poterit saltare à toto avulsa.

Quartò duplex absurdum ex hac sententia colligo. primum, quod mobile velocius, & minus velox æquale spatium eodem tempore acquirent, imo plus spatii acquiret minus velox eo tempore, quo mobile magis velox acquirit minus spatii. secundum, quod mobile dum velocissimè movetur, tunc quiescit. Probo primum. Sit rota ABCDEF. tum mobile existens in A, moveatur circulariter per instans pri-

primum, & saltet ad C. aliud vero mobile si duplò velocius esset, eodem instanti saltaret ad E. jam verò æqualiter moverentur; quia termini ad quem acquisiti per motum æqualiter distant ab A termino à quo motus. Rursus si mobile minus velox in uno instanti ab A saltaret ad D, velocius saltare deberet ad E, vel F. adeoque minus spatii acquireret, cum E, & F. minus distent ab A, quam D. Probo secundum. moveatur in instanti mobile ab A in D. crescat deinde duplo velocitas. tunc autem maiori velocitate moveretur, & tamen quiesceret; quia scilicet ab A saltaret ad A, qui saltus non est, sed quies; nam mobile quod in hoc instanti est in loco, ubi fuerat in instanti antecedenti, non movetur, sed quiescit.

Quintò. ita se habent ex dictis systemata Zenonis, & Aristotelis super continui compositione, ut ex uno admisso sequatur eo ipso alterius impossibilitas. Jam verò motus, & tempus composita ex semper divisibilibus stant cum sensibili experientia; tollunt enim motum illum per saltus, qui ab omnibus pene Philosophis censetur impossibilis in corporibus, & vix à paucis admittitur in Angelis. quare adversario incumbit ostendere impossibilitatem huius motus; & quousque id præstet, motum ego in infinitum divisibilem meo jure possibilem asseram, constantem verò ex indivisibilibus impossibilem.

Dico 3. Continuum successivum componi ex indivisibilibus non potest, adeoque nec motus ex mutatis esse, nec tempus ex instantibus, sed utrumque constat ex partibus divisibilibus in semper divisibilia. Sequitur ex dictis, & ulterius ostenditur argumento à priori, quo puncta probavimus nata apta non esse, ut faciant extensionem; eodem enim probatur indivisibilia motus, & temporis non facere successionem; quia scilicet universim indivisibile addi-

additum indivisibili non facit extrà.

Neque dicas, aliam esse rationem de indivisibilibus permanentibus, quæ cum sibi invicem coexistant, & se realiter tangant, consequens est ut penetrentur: aliam de successivis, quæ sibi invicem succedunt, & unum est, quando non est aliud. Hæc enim responsio. si qua alia, ineptissima est: assumit enim ut certum illud cujus oppositum est in nostra consequentia, nec aliud ab illo affert in rationem disparitatis. quid enim nos contendimus, dum negamus instantia immediata posse facere successionem, nisi quod ea, si sunt immediata, sibi necessario coexistunt? Ut enim puncta immediata secundùm locum sibi coexistunt secundum locum, & unum consequenter est, ubi est aliud: quæ est penetratio localis; item instantia immediata secundùm tempus sibi coexistent secundùm tempus, & unum consequenter erit, quando est aliud: quæ est penetratio temporanea.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Obiic. 1. celebre Zenonis argumentum. infinitum est impertransibile. partes quantitatis successivè pertranseundæ sunt infinitæ. ergo sunt impertransibiles. maior est certa; quod enim pertransitur, transitu finitur: finiri autem non potest infinitum, præsertim partium, quod primo, & ultimo caret, adeoque nec incipere potest earum transitus, nec desinere.

Hoc argumentum inquit Maurus in phys. quæst. 38 apud se vim demonstrationis habere; imò & Aristoteli etiam visam demonstrationem, qui propterea negavit infinitas actu partes in continuo, & solum admisit partes in

potentia. dum enim id ipsum argumentum solvit 8. phys. tex.68. sic habet post multa: *quare ad interrogationem, si fieri potest, ut in tempore, aut longitudine transeat quispiam infinita, partim posse, partim fieri non posse dicamus oportet. si enim infinita sint actu, fieri nequit: si verò potentia, fieri potest.*

Equidem tria in præsenti præstabo 1. ostendam Aristotelem nihil minus, quam partes actu infinitas negasse, ut Zenoni responderet. 2. argumentum in adversarios, qui se Peripateticos faciunt, retorquebo. 3. directam, facilemque argumenti solutionem dabo.

Quoad primum, mirum est tam multa ab auihoribus circa huius textus interpretationem variari, cum Philosophus ipse satis explicet, quid sit apud ipsum quantitatem habere infinita dimidia actu, quid potentia. textu igitur 64. hoc contendit Aristoteles, solum motum circularem posse esse continuum, & perpetuum; motus enim rectus in spatio finito, quale de facto datur, necessariò finitur; quia quamvis possit reflectere, motus tamen reflexus continuus non est, sed interruptus in puncto reflexionis, ad quod probandum assumit, quod cum tria sint in quantitate, principium, medium, & finis, ex his medium unum est re, duo ratione; nam relate ad finem est principium, relate ad principium est finis. Rursus ista possunt esse actu talia, & possunt esse talia solù in potentia. tum explicans, quid sit esse medium in potentia, sic ait: *actu non est medium, si non id, quod fertur. eam diviserit, constiteritque; atque incœpit rursus moveri*. tunc ergo juxtà Philosophum dicitur dimidium actu, cum mobile in puncto spatii stat, motumque interrumpit; quia tunc medium illud fit actu finis prioris motus, & initium posterioris. Addit t. 68.

quod

quod qui hoc modò dividit motum, se habet, ut qui numerat; uterque enim incipit ab aliquo, & in aliquod desinit; qui numerat quidem, quia numeratio est comprehensio finitę multitudinis; qui dividit verò in media, quia semper accipit aliquod punctum, à quo incipit, & aliud, in quod desinit motus.

Ex his arrepta occasione, accedit ad solvendum argumentum Zenonis, aitque infinita dimidia actu pertransiri non posse, ut nec possunt numerari; quia & numeratio, & pertransitio per interruptionem omnium mediorum repugnat infinito, quod terminis claudi non potest. Cæterum infinita dimidia, quæ in potentia solum sint talia, posse pertransiri. sic enim pertransitur multitudo infinita non per se, sed per accidens, cum per se non percurratur nisi magnitudo finita. sensus est; quod cum eadem magnitudo sit etiam multitudo, formaliter & per se sumpta ut magnitudo pertransitur per motum; cum multitudo formaliter, & per se percurratur per numerationem: motus ergo, qui numeratio non est, multitudinem non transit nisi materialiter, & per accidens, quemadmodum materialiter, & per accidens cognitio animalis dicitur attingere rationale, cui animal identificatur in homine. Atque hæc est communis veterum Peripateticorum responsio ad Zenonis argumentum; dum aiunt, infinitum pertransiri posse per motum, adeoque per accidens; non per numerationem, & per se. Quæ hactenus dicta sunt, manifesta erunt pensanti textum Philosophi ex toto contextu; ut opus certe non sit, tam vetusto cortici novitiam de suo medullam supponere.

Quoad secundum, quotquot continuum admittunt in infinitum divisibile sive actu sive potentia, tenentur admittere, ex eo præcisè quod in continuo sint partes secundum propo-

tionem minoritatis actu infinitæ, non idcircò haberi extensionem infinitam. Rationem suprà dedimus. Ex hoc autem ita arguo. Quantitas permanens ex hoc quod habeat partes actu infinitas, non habet extensionem infinitam; & si ex hoc haberet extensionem infinitam, composita etiam ex partibus identificatis, aut virtualiter tantum divisibilibus, esset infinitè extensa. ergo quantitas successiva per hoc, quod constet infinitis proportionaliter partibus, non habet infinitam simpliciter successionem: aut si habeat, etiam constans ex partibus in infinitum divisibilibus non actu, sed potentia, infinitàm simpliciter successionem habebit. hæc mihi conseq. est evidens propter rationis omnimodam identitatem; eadem enim, quæ probant partes proportionales molis infinitas molem infinitam non constituere, probant partes proportionales motus & temporis infinitas, infinitum motum, & tempus non conflare; ut enim in mole licet nulla sit prima, & ultima positivè pars proportionalis, est tamen prima, & ultima negativè pars æqualis, & ex hoc moles est finita; item omnino in motu, & tempore.

Quoad tertium responsio directa ad argumentum constat ex dictis. repugnat transitus infinito non quicumque, sed qui fit numeratio, aut similis numerationi, quæ quidem non repugnat infinito, quia fit successivè, sed quia incipit à primo, & desinit in ultimum. at vero transitus, qui fit per motum non ità incipit, ac desinit, nisi per primum, & ultimum negativè tale, non positivè, seù per partes primas, & ultimas æquales, non proportionales. In hoc autem quæ repugnantia ex natura infiniti? si enim suprà demonstratum est, & non potest ab ullo Peripatetico negari, continuum permanens, nil obstante partium infinitate, finitum simpliciter esse, & clausum utrimque; qui

qui poterit similis infinitas partium in successivo obstare, quo minus finiatur utrimque simpliciter, & claudatur?

Obiic. 2. tempus (idem dic de motu) est ens reale. ergo debet componi ex partibus realibus; cum ex terminis sit notum, reale non componi ex non realibus. at tempus compositum ex semper divisibilibus est compositum ex non realibus. ergo non potest sic componi. subsumpta prob. neque præteritum, neque futurum est ens reale; quia præteritum non est, sed fuit; futurum non est, sed erit. at tempus in hac sententia ex solis præterito, & futuro componeretur; pars enim illa, quæ præsens dicitur, cum ipsa quoque divisibilis sit, non habet nisi præteritum, & futurum.

Confirm. non potest esse præteritum, quod numquam fuit præsens, nec futurum, quod numquam erit præsens. atqui in tempore sic constituto daretur præteritum, & futurum sine præsenti. ergo non potest tempus sic constitui. min. prob. quod enim in tali tempore dicitur præsens, revera non est nisi mixtum ex præterito, & futuro.

Omissis, quæ alii respondent de præsentia partium in instanti, & per instans, respondeo, partes temporis posse accipi, ut omninò præteritas, & omninò futuras; & ex his nego componi tempus præsens. sic dies, qui modò transit, potest comparari ad hesternum, qui habet meram rationem præteriti, & ad crastinum, qui habet meram rationem futuri; atque ex his dies hodiernus constitui nequaquam potest. possunt verò accipi partes temporis, ut actu prætereuntes, & ut sunt in fieri; atque ita habent veram rationem entis realis non permanentis, sed successivi, & sunt aptæ, ut ex iis constet tempus præsens præsentia reali successiva, non permanente. Et hoc est, quod dixit Aug. 11. de Civ. c. 86. apud Suarium in-

met. disp. 50. sec. 6. n. 22. *Tempus metior: scio sed non metior futurum, quod nondum est: non metior præsens* (scilicet instans) *quia nullo spatio tenditur: non metior præteritum; quia jam non est. quid ergo metior? an prætereuntia tempora, non præterita?*

Nego igitur subsumptam. ad prob. nego min. pars enim illa, quæ dicitur præsens, v. g. hora non constat præteritis, & futuris, sed præsentibus intra ipsam: quæ tamen præsentia non simultanea est, ac permanens, sed successiva, & fluens. successio autem non rectè dicitur constare ex præterito, & futuro, sed ex priori, & posteriori juxta id, quod habetur in temporis definitione, quod est numerus motus secundum prius, & posterius.

Ad conf. responde ex modo dictis. Adverte autem, quod dum accipimus in tempore præsens, partem semper divisibilem accipimus; ut enim à permanēti, item à successivo indivisibilia excludo. Pars vero illa capax est accipiendi differentias omnes temporis; dicitur enim præterita, dum fuit, & nullo modo est. dicitur futura, dum nullo modo est, sed erit. dicitur præsens, dum est in statu medio, & verificat categoricam de inesse. sed aliter tamen est res permanens, aliter successiva, huius enim totum esse est fieri, cum tota consistat in successione, ac fluxu. quare tota illa pars indivisibiliter accepta dicitur actu esse, dum actu fluit. quod si eam dividas, eiusque accipias priorem medietatem, cui tu loquens coexistas, posterior medietas non est, sed erit: si vero accipias medietatem posteriorem, cui coexistas; prior non est, sed fuit. hoc autem est comparare partes inter se, non cum toto, cum quo si comparentur, non fuerunt, neque erunt, sed sunt eo modo, quo est totum, in fuga scilicet, ac fluxu.

Obiic. 3. si partes quantitatis essent omnes actu divisæ, essent indivisibiles. at partes tempo-

poris omnes sunt actu divisæ; nulla enim major divisio, quam inter id, quod est, & id quod non est. partes autem temporis omnes ità inter se comparantur, ut dum est una, nec sit, nec possit esse alia.

Resp. continuationem successivam in hoc stare, quod unum immediatè succedit alteri. Atque hæc continuatio habetur in tempore per ipsas entitates partium determinatas eo ipso, quod sunt, ad sibi invicem succedendum: dum ergo dicitur nulla esse maior divisio, quam inter id quod est, & quod non est, verum dicitur, si de divisione sit sermo, quæ continuationi permanentium opponitur: falsum, si de divisione, quæ opponitur continuationi successivorum. continuatio enim successiva importat unum esse immediatè post aliud esse; & hoc quidem expresse importat unum esse, quando non est aliud: in quo habetur exclusio conjunctionis permanentis, non verò successionis.

CAPUT VIII.

De rerum inceptionibus, ac desitionibus.

Quæ dicentur, consequentia sunt ad modò dicta, & lucem vicissim iisdem afferent. Non est autem animus, quæcumque in hac re à Peripateticis plerisque præter modum, meritumque fusissime sunt tractata, referre singula, ac refellere: sed potius, ubi communem sensum paucis exposuero, ac reiecero, quod mihi videtur facilius, certiusque, in medium exhibere.

§. I.

Termini quæstionis, & communior sententia Peripateticorum exponitur.

INcipere res dicitur, dum est primo aut non est ultimo, desinere, dum est ultimo, aut non est primo. Quia enim primum, & ultimum sunt termini connotativi, & significant duo instantia in quorum altero res est, in altero non est; hinc fit, ut pro varia rei consideratione quà correspondentis alteri ex his instantibus diversimodè dicatur incœptio, & desitio. si enim accipitur res ut habens esse intra instans, incœptio eius ac desitio intrinseca appellatur; si vero ut habens esse extra instans, incœptio eius, ac desitio appellatur extrinseca. Dicitur ergo res incipere intrinsece, cum de ea est verū, *nunc est, immediatè ante non fuit*: dicitur incipere extrinsecè, cum est verum, *nunc non est, immediatè post erit*. dicitur desinere intrinsecè, cum est verum, *nunc est, immediate post non erit*: dicitur desinere extrinsecè, cum est verum, *nunc non est, immediate ante fuit*. Rursus modus incipiendi, ac desinendi intrinsecè dicitur primus: modus incipiendi, ac desinendi extrinsecè, dicitur secundus.

Atque hunc duplicem incipiendi modum, ac desinendi amplectuntur Peripatetici communiter, pro quo asserendo necessarium ducunt admittere realia in tempore instantia mathematicè indivisibilia, quæ sint incœptionis, desitionisque mensura. Mensuræ enim, inquiunt, eiusmodi duo competant oportet, & ut sit certa; aliter non certificat mensurantem: & ut sit indivisibilis; aliter non est certa; si enim divisibilis sit, semper relinquit dubium mensurantem, in quam eius partem ceciderit incœptio. Præter hæc mensura debet esse pro-

portionata mensurato: incœptio autem est indivisibilis, cum importet esse rei præcisè, ut stat sub negatione anterioris existentiæ; atque ita pariter desitio.

Porrò duos hosce incipiendi modos ità partiuntur. Rem omnem successivam incipere jubent extrinsecè; cum enim successivitas pugnet cum primo, & ultimo intrinseco; superest ut extrinsecum dumtaxat habeat, per quod incipiat. Rem verò permanentem, quæ habet esse vel indivisibile, qualis est Angelus, vel acceptum indivisibiter, qualis est forma substantialis, incipere putant intrinsecè; & hanc incœptionem actioni huiusmodi porportionatam esse. Sed quamvis res permanens petat connaturaliter incipere intrinsecè, & in instanti, non tamen absurdum censent, si extrinsecè per divinam potentiam incipiat, & in tempore: in quo casu productio mera non est, sed productio simul, & conservatio; qualis esset rei ab æterno productæ; cum hoc uno discrimine; quod productio rei æterna nullum habet primum ne extrinsecum quidem; hæc verò primum habet extrinsecum, à quo mensuratur, & clauditur.

Præter hos Albertinus, & alii pauci tertium invehunt incipiendi modum, qui sit immediate ante instans. Hic autem communiter reiicitur, & merito; aut enim coincidit cum secundo, aut est manifestè impossibilis, quandoquidem vel rei incœptio ponitur correspondens parti temporis cuipiam determinatæ, quæ sit clausa inter duo instantia; & jam ista est quidem ante instans ultimum illius partis, sed est simul post primum. quare coincidit cum secundo modo, solumque in eo differt, quod in mensuram incœptionis non primum, & antecedens, ut debet, sed sequens, & ultimū instans assumit. Vel ponitur incœptio

correspondens parti indeterminatæ ante instans, ita ut quacumque parte data, semper dicatur res incipere in parte posteriori versus instans: & hic modus impossibilis est; quod equidem ità ostendo.

Incœptio eiusmodi vel divisibilis est, vel indivisibilis. non indivisibilis; cum enim sit immediate antè instans, unum indivisibile esset alteri immediatum. nec divisibilis; sic enim faceret successionem. omnis autem successio finita existens à p. r. est determinata, hoc est tanta, & non maior & oppositum est contra lumen rationis. quamvis enim possit res significari indeterminatè, & habere partes, quæ non sint unius determinatæ mensuræ; non tamen potest entitatem indeterminatam habere, cum ipsa entitas sit sui determinatio, ut sit potius hæc, quam illa, tantæ & non maioris seù extensionis seù perfectionis. Ex hoc autem consequens est, ut successio illa deberet determinatæ parti temporis correspondere, & sequi certum instans, à quo mensuraretur.

Ultimo loco eorum sententia negligenda non est, qui negato omni reali instanti in tempore à tempore contradistincto, primum tamen, & secundum incipiendi modum adhuc tuentur. & hi divisi sunt; alii enim ad instans quoddam imaginarium, fictumque recurrunt, cui rerum incœptiones, desitionesque correspondere arbitrantur; non quod certè mensurentur ab illo (quis enim asserat non ens esse entis mensuram?) sed quia ita res incipiant, ac desinunt, ut si mensurarentur ab instanti. Alii putantes, instans nihil aliud reipsa esse, quam mobile existens in spatio determinato, in quo immediate ante non fuit, & immediate post non erit, per ordinem ad hoc incœptiones, desitionesque rerum exponunt; putantque hunc fuisse

ger.

germanum Aristotelis, & D. Thomæ sensum 4. phys.

§. II.

Praecedentes sententiæ improbantur;

DIco 1. non est possibilis realis mensura mathematicè indivisibilis, cui rerum inceptio, ac desitio correspondeat. Prob. non est possibilis eiusmodi mensura, nisi instans aliud sit immediatè ante, aliud immediatè post tempus. sed nullum instans potest esse immediatè antè, vel post tempus. ergo non est possibilis eiusmodi mensura. min. constat ex suprà dictis de indivisibili, quod non potest esse alteri immediatum, quin sit illi compenetratum. maior declaratur ex ipsa adversariorum doctrina. instans, cui correspondet intrinseca inceptio, est ante tempus; si enim tunc tempus esset, inceptio tempori corresponderet. id ipsum evidentius apparet in inceptione extrinseca, & per ultimum non esse; si enim tunc etiam tempus esset, res simul esset, & non esset.

Atque hinc reiicitur responsio, seu verius fuga eorum, qui aiunt, instans neque esse intra, neque extra tempus. primò. n. si verum id est, jam non est aptum instans ad mensurandas inceptiones, ad quas requiritur verificatio illarum propositionum, *nunc res non est, immediatè post erit; nunc res est, immediatè ante non fuit.* adeoque *nunc* debet esse ante, & post tempus. 2. non esse rei sit oportet extra esse eiusdem rei, cum per nullam potentiam possint simul esse. at in intrinseca inceptione esse rei est intrà instans, & non esse in tempore antecedenti: & in extrinseca inceptione non esse est in instanti, esse est in tempore subsequenti. ergo instans est extra tempus.

Ex his sequitur primò, impossibilem esse

primum modum incipiendi intrinsecum, ut ab hac sententia explicatur. Prob. quod enim ita incipit, habet primum esse indivisibiliter post tempus: ut quod intrinsecè desinit, habet ultimum esse indivisibiliter ante tempus. at. qui ante, & post tempus non est, nisi tempus divisibile, non vero ullum instans indivisibile. ergo. Conf. tunc incipit res, quando incipit eius duratio. & quidem in hac materia non tam attendenda est entitas rei, quam duratio ipsius, seù verius entitas sub duratione, à qua res habet. ut sit prior, & posterior, adeoque ut incipiat, ac desinat. atqui omnis duratio utpote ens successivum incipit in tempore, & nulla in instanti. ergo item incipit entitas rei.

Sequitur secundò, impossibilem esse alterum incipiendi modum extrinsecum explicatum per ultimum non esse. Prob. impossibile est, ut res non sit in instanti, & sit in tempore immediatè sequenti; cum enim instans, & tempus debeant esse simul, si sunt immediata, simul esset res, & non esset, ergo. Conf. modus hic incipiendi inventus est maximè, ut salvetur, quo pacto incipiat successivum; cum enim hoc careat primo intrinseco, recurrendum necessariò videtur ad extrinsecum, ut explicetur eius incœptio. atqui successivum etiam habet primum intrinsecum, per quod possit eius incœptio exponi, si minus proportionale, saltem æquale; ut mox explicabitur. ergo frustra recurritur ad primum extrinsecum.

Dico 2. neque vero apta est inceptionis, desitionisque rerum mensura instans fictum, & imaginarium. Prob. quicumque admittit primum, & secundum incipiendi modum explicatum, tenetur statuere realia instantia in tempore. ergo frustra recurrit ad ficta. prob. ant ec. dum Angelus indivisibiliter producitur im-

immediatè ante tempus, tunc certè existit actio ipsius productiva. ergo tunc habet Angelus illam formam, qua coexistit suæ actioni; & per quam existit tunc potius, quam in tempore sequenti. Vel ergo ea forma indivisibilis est successivè, vel divisibilis. si indivisibilis; ergo Angelica duratio habet reale instans, per quod incipit: quod idem proindè dicendum de quavis duratione rei indivisibiliter incipientis; si divisibilis; ergo Angeli productio non est instantanea contra suppositum. Idem conficitur admisso secundo incipiendi modo, quo incipiunt res successivæ; non esse enim istarum, quod præcedit esse, vel solum correspondet realiter toti tempori prævio; atque ita non potest dici de ipsis, quod ultimò non sint: vel correspondet prævio instanti; atque ita datur in tempore reale instans.

Dico 3. nec possunt isti modi incipiendi salvari per instans, quod sit ipsum mobile, ut existens in spatio sibi commensurato, in quo immediatè ante non fuit, & immediatè post non erit. Prob. mobile. n. ita consideratum non est sola entitas mobilis, sed ipsa simul cum forma, à qua tale denominatur; ut constat ex iis, quæ sæpius adversus Nominales tractata sunt. talis ergo forma aut est durativè divisibilis, aut indivisibilis. si indivisibilis; erit instans reale distinctum. si divisibilis, erit tempus, per quod non explicatur inceptio intrinseca. Confirm. dum accipis mobile eo modo, quo dicitur in conclusione, vel accipis reale spatium durativè indivisibile, vel fictum. si primum; vere admittis instans in tempore, quod tamen aliter explicas; & incidis consequenter in omnia absurda, in quæ incidunt, qui indivisibile inter divisibilia medium statuunt. si secundum, incidis in sententiam secunda conclusione reiectam.

Conf. iterum ad ostendendum, eamdem prorsus

sus esse difficultatem in hac sententia, quæ est in admittente distincta realiter instantia. concedit enim, nec potest negare Nominalis incœptionem Angeli intrinsecam; quæ simul sit intrinseca eiusdem desitio, adeoque admittit esse Angeli prorsus indivisibile durativè, quemadmodum indivisibile durativè est distinctum realiter instans. de hoc autem esse Angeli redit, quod deberet esse intra tempus, in quo non est, quemadmodum supra arguebam de instanti. nec est ad rem, quod talis indivisibilitas durativa per accidens competit Angelo, per se instanti; penetratio enim per se sequitur solam indivisibilitatem, cum qua non stat immediatio, nisi secundum totum, & totaliter. hinc non modo punctum, quod est per se indivisibile, si sit quanto immediatum, est quanto penetratum; sed etiam quantum ipsum ad spatium punctuale per penetrationem, complicationemque omnimodam redactum.

§. III.

Propria sententia proponitur, & stabilitur.

Recolendum ex dictis qu. 4. de tempore c. 1. est, instans, seu momentum in tempore esse illam partem temporis divisibilem, quæ relate ad cognoscentem indivisibilis est; cum enim tempus cognoscamus, & dividamus per successionem operationum, quas exercemus in ipso: operationes autem non possimus infinitas ponere, sed finitas; consequens est, ut tempus in partes tantum finitas dividere nobis liceat: illa vero pars, in qua duas successivè operationes exercere non possumus, sit nobis indivisibilis, habeatque rationem instantis, ac momenti. Instantia autem huiusmodi aliis

intellectibus alia sunt; perfectiores enim cum celeriores sint in operando, magis dividunt tempus, adeoque illis momentum est pars temporis multò minor.

Hoc supposito ad meæ sententiæ explicationem accedo, aioque plures esse mensuras incœptionis rerum, quas communiter adhibemus, & quibus respondemus interroganti, quando res incœpit: sed quæ extinguit omnem curiositatem, non est, nisi momentum modo explicatum. Et quidem interroganti quando mundus cœpit, respondemus primò per primum seculum, tum per primum lustrum, deinde per primum annum, mensem, diem, horam, &c. ubi verò ad momentum, & instans ventum fuerit, cessat omnis quæstio. tale ergo momentum est aptissima incœptionis, desitionisque mensura.

Et quidem nihil illi ad hanc rationem deest; est enim primò certum, ac determinatum, omnibusque eiusdem speciei intellectibus ita mensurantibus commune. est rursus mensura proportionata incœptioni, quæ in suo conceptu indivisibilis est; & est pariter indivisibile id momentum; non solum quia mensurans non distinguit in eo partem à parte; verum etiam quia si accipiatur ut prima temporis pars, indivisibilis est eo modo, quo est indivisibilis incœptio, quatenus accipitur indivisibiliter. Nec est, quod opponas, si in momento revera sit pars, & pars, remansurum semper dubium mensurantem, cuinam ex ipsis incœptio correspondeat. primo enim intellectus in eo non distinguit inter partem, & partem, adeoque non potest de hoc manere incertus. secundò, quia non dicimus incœptionem rei esse omninò indivisibilem, sed divisibilem durativè eo prorsus modo, quo est divisibile momentum.

Hinc porrò pergens res successivas assero intrin-

trinsecè per primum esse incipere, intrinsecè per ultimum esse desinere. Incœptio enim, & desitio, ut sunt termini intrinseci durationis, item proportionaliter explicari possunt, ac debent, ut explicantur termini intrinseci magnitudinis. magnitudo autem terminatur per primam, & ultimam partem non proportionalem, sed æqualem; quæ quidem prima, & ultima est per hoc, quod ad aliam non excurrat. sic in palmo alter semipalmus est primus, alter ultimus; alia est prima, & ultima quarta, prima, & ultima octava &c. & licet in his sit procedere in infinitum, non tamen quoad nos, qui ad partem devenimus ulterius nobis indivisibilem; & illa apud nos habet rationem primæ simpliciter partis, & alia similiter rationem extremæ. Eodem prorsus pacto procede dividendo in hora; & ubi perveneris ad partes, quas ultra partiri non potes, illa sint tibi momenta, in quibus primum, & ultimum incœptionem, desitionemque intrinsecam horæ constituent.

Sed res successivæ incipiunt etiam, ac desinunt extrinsecè per ultimum, primumque non esse. Eodem enim pacto, quo explicavi in successivis primum esse, & ultimum negativè per acceptionem partis non excurrentis ad aliam, & indivisibilis accipienti, explicari potest in ipsorum non esse primum, & ultimum per hoc, quod correspondeant primæ, & ultimæ parti temporis subsequentis, aut prævii.

Postremò non aliter incipiunt permanentia, ac successiva, nisi quod illa incipiunt tota simul, hæc per partem post partem. Prima huius dicti pars constat ex dictis; res enim permanens non incipit, ac desinit nisi ut stat sub duratione, adeoque eo prorsus pacto, quo incipit, ac desinit duratio. Secunda pars explicatur. In hoc stat potissimum discrimen

entis

entis successivi, ac permanentis; quod illud, v.g. motus, ita est in toto tempore, ut pars etiam ipsius sit in parte temporis. at vero dum producitur Angelus, ita est totus in toto eo tempore, quo producitur, ut totus sit etiam in qualibet eius temporis parte, adeoque ut quamlibet partem durationis suæ se toto semper antecedat. Et quemadmodum in ordine ad locum distinguimus materialia à spiritualibus per hoc, quod illa sint in loco circumscriptivè per correspondentiam totius ad totum, & partis ad partem: hæc verò definitivè per correspondentiam totius ad totum, & totius ad quamlibet partem: similiter in ordine ad tempus secernimus permanentia à successivis, quod illa sint in tempore circumscriptivè, & per partes: illa verò quodammodo definitivè per omnimodam diffusionem sui in totum tempus etiam divisibiliter acceptum.

Habeo primò ex dictis hactenus, productionem non aliam esse possibilem etiam rei permanentis, nisi quæ licet indivisibilis ratione termini, semper tamen sit divisibilis ratione durationis. Ratio est; quia quemadmodum res integraliter indivisibilis per ordinem ad locum est necessariò divisibilis virtualiter propterea, quod omnis locus est formaliter divisibilis; ita res permanens per ordinem ad tempus est necessariò secundùm potentiam, ac virtutem divisibilis, cum omne tempus sit formaliter divisibile. quare ut res spiritualis non potest esse in loco punctuali eo ipso, quod nullus est locus punctualis: ita nec potest res permanens esse indivisibiliter, & instantaneè, eo ipso quod in tempore nullum est instans indivisibile.

Habeo iterum, relate ad Deum, cui nullum est in tempore momentum, nullam esse consequenter primam simpliciter Angeli productionem. cognoscit tamen Deus Angelum inci-

incipere, ut cognoscit incipere tempus, cui Angeli productio respondet; quatenus cognoscit esse in tempore, & productione primam partem æqualem, si minus proportionalem.

Multa essent, quæ adderem; sed parvi sunt momenti. & hæc quidem satis intelliganti compositionem continui Aristotelici: non intelligenti verò nec alia quantumlibet multa sufficerent.

QUÆSTIO SEPTIMA

De Motu Locali.

CAPUT I.

Natura motus localis ex hactenus disputatis elicitur.

Motus est *quasi vita omnibus, quæ constituuntur per naturam*, ait Philosophus 8. phys. tex. 1. Quæ verba exponens Ægidius, motum, inquit, appellari naturalium vitam tum comparando naturalia cum viventibus, tum comparando naturalia cum artefactis. ut n. vita est actus animæ, ita motus est actus naturæ; & in utraque habetur intrinsecum principium; utriusque principiatum tota est actuositas, perfectioque principii; ut ex eo nomina, rationesque permisceant, & vita quidam motus, & motus quædam vita sit. Præter hæc naturalia in se ipsa principium motus habent, & vivere propterea quodammodo dicuntur; cum artefacta qua talia in se ipsa nihil habeant, quo moveri possint, atque ideo mortua, minimumque per se sint actuosa. Porrò cum motus omnis perfectio sit, & quasi vita naturæ, ma-

ximè localis, qui in reliquis primus, ac perfectissimus est, ut sæpè contendit Aristoteles, & infra probabo.

Venio igitur ad Lationis naturam explicandam, cui uni toto hoc libro laboratum est: Est ergo ex communi hominum sensu Latio, transitus de loco ad locum; quare importat unius acquisitionem cum alterius loci deperditione. hinc replicatio quamvis sit acquisitio novi loci, quia tamen vetus non amittitur, motus à vulgo Philosophorum non appellatur. Rursus eiusmodi transitus bifariam contingit, vel ita ut mobile se toto migret, quod accidit in motu recto; vel ita ut se toto indivisibiliter sumpto immotum, secundùm singulas partes locum mutet, quod accidit in motu cæli, aliisque hujusmodi circularibus.

In quolibet porro locali motu quatuor sunt consideranda, quæ indispensabiliter interveniunt, Motor, mobile, spatium, tempus. De spatio, & de tempore satis in superioribus dictum est. nunc superest, aut quæ indè prædicata in motum deriventur, paucis exponam. Spatium quidem omne, quod motu percurritur, tres habet rationes ad motum secundum alias, & alias sui partes, termini, à quo receditur, ad quem itur, & medii, seu viæ ab uno in alterum. Hinc habet motus primò successionem, quo mobile medium divisibile superare non potest, nisi per partes; aliter vel nullatenus in medio esset, vel in toto simul medio esset, quorum alterum saltus supra rejectos, alterum replicationem inveheret. Secundò habet continuitatem; quod spatium continuum ab habente virtutem satis ipsi acquirendo expeditam non aliter petat percurri, quam sine interjectis morulis, adeoque per motum non interruptum, sed continentem. Quin etiam quantumcumque

que interrumpatur. efficientur quidem plures motus, sed quorum quilibet continuus sit; neque enim aliter potest spatium in infinitum divisibile pertransiri, nisi velimus in infinita actu dimidia dividi, quod redderet æternum motum, adeoque impossibilem. Accipit præterea motus à terminis contrarietatem, motus, inquam, rectus, qui est à termino ad terminum dissitum, non circularis, qui est ab eodem in idem.

A tempore motus mensuram habet; quare definitur tempus, numerus motus secundùm prius, & posterius, quod satis est superius declaratum. q. 4. Hinc sortitur motus velocitatis, tarditatisque denominationes per comparationem ad alios sub eadem, aut alia temporis mensura, ut explicabitur. Postremò à tempore ut à forma successionem etiam obtinet, continuitatemque; per durationem enim formaliter partes motus sibi & succedunt, & copulantur, ut partes durationis per se ipsas.

De virtute movente, quæ est causa motus efficiens, in universum illud à Philosopho in præsenti inquiritur, utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur; de quo in metaphysicis, ubi de Dei existentia: & an omne quod movet, debeat esse proximum corpori, quod movetur: de quo in libris De Gen. ubi de actione in distans: reliqua versabo, ubi de virtute motiva elementorum. De mobili duas illas conditiones valde controversas hic discutiam, sitnè illi plane necessaria tum finitudo, tum divisibilitas.

CAPUT II.

An motus localis sit omnium motuum primus, ac perfectissimus.

Affirmativè quoad utramque partem respondet Philosophus 8. phys. à textu 55. Probat primam. tam generatio, quam augumentatio supponit alterationem, eaque posterior est non natura solum, sed etiam tempore. neque enim contingit generatio, nisi præmissis dispositionibus in materia; neque augmentatio, nisi assimilata materia cum præexistenti, quod augetur. caro enim non augetur à cibo, nisi in carnem converso. Alteratio autem supponit motum localem, per quem habetur propinquitas alterativi ad alterabile, & de alterabili potentia fit alteratum actu. ergo omnes motus localem supponunt; quamvis non illum supponant in eodem subiecto; constat enim prius debere rem generari, & postea localiter juxta naturam acceptam moveri.

2. Qui motus est communissimus, idem est primus. at sola latio est communissimus motus. ergo, minor est certa; competit enim corpori tum corruptibili, tum incorruptibili, cum reliqui motus ad sola corruptibilia pertineant. & quamvis non ego cum Philosopho putem cælestia corpora incorruptibilia per se esse; negandum non est tamen esse possibile corpus incorruptibile tum compositum, tum simplex. maior autem prob. communiora enim eadem sunt priora; ut enim genus logice speciem antecedit, ita & quæ dicuntur ratione generis, priora sunt iis, quæ dicuntur ratione speciei.

Probat alteram partem; superat enim latio motus reliquos, tum ratione subiecti, tum ra-

tione effectus, tum ratione principii. Ratione subiecti; quia quod localiter movetur, perfectius est; neque enim lationi est aptum, nisi quod reliquas omnes perfectiones obtinuit. imo & in animalibus contingit; ut perfectiora dumtaxat ab intrinseco se localiter moveant, cum imperfectiora, ut Zoophyta uni loco sint affixa. Ratione effectus; quia maior est perfectio à reliquis motibus, quàm à locali in subiectum inducta. ex hoc autem fit, lationem non sequi naturam, nisi quæ magis fit in actu, & minus in potentia, adeoque perfectiorem. cæteris autem paribus, perfectior est proprietas perfectioris essentiæ. Ratione principii; perfectius est ex genere, quod movet localiter, quam quod movet generativè, alterativè, aut augmentativè; cum enim motus localis sit causa aliorum motuum, movens localiter erit ex genere omnium etiam moventium movens, adeoque reliquis moventibus perfectius.

Ex eo autem, quod motus localis debeat esse reliquis prior, & in quo cæteri fundentur, consequens videtur, ut solus ipse, qui potest, debeat esse perpetuus. Debet quidem, si potest; ita enim comparatur natura ad motum, ut anima ad vitam. atqui anima nunquam est sine vita in actu, ut asserit, & probat D.Th. 2. cont. Gentes c.97. & Philosophus 9. Et hic. c. 7. ergo nunquam natura est sine aliquo motu. quis autem motus illi potius perpetuo insit, quàm qui causa est, & principium reliquorum? hinc in animali motus cordis nunquam ferè cessat, quia cæteros fortassè & facit, & regulat: Potest vero, non quicumque, sed circularis. motus enim alii necessariò finiuntur, cum sint à contrario in contrarium, atque adeo ut ab uno contrario incipiunt, ita in aliud necessariò desinunt. sic generatio terminatur in forma acquisita: alteratio in qualitate perfecta: aug-

mentatio in magnitudine debita. Latio autem recta cum sit super spatium finitum (neque enim aliud de facto est) necessariò devenit ad terminum, à quo si reflectat, non unus amplius, sed duplex est motus; in puncto enim reflexionis per se loquendo semper est quies, ut in loco ostendetur. At motus circularis non est à contrario in contrarium, sed ab eodem in idem. & quamvis etiam in motu reflexo hoc habeatur, aliter tamen; quia per contrarias vias: quod fit, cum stante eadem linea, mutant termini rationem, ut qui erat, à quo, fit terminus, ad quem, & contrà. Solus ergo motus circularis perpetuus esse potest, & debet. Hæc, aliaque in hanc rem permulta ibi Philosophus. Scio equidem ad eum finem hæc ab ipso congeri, ut ex motus circularis perpetuitate cæli, mundique æternitatem colligat. Sed veritati nihil obest, quod ea quis abutitur ad falsum conficiendum.

CAPUT III.

De motus velocitate, quid sit, & quomodo lationes in ea comparentur.

VElox, & tardum non dicuntur absolutè, sed comparativè, ut magnum, & parvum. Dicitur ergo motus motu velocior vel ex inæqualitate temporis cum æqualitate spatii, ut cum ęquale spatium minori tempore pertransitur: vel ex inæqualitate spatii cum æqualitate temporis, ut cum æquali tempore plus spatii decurritur: vel ex inæqualitate temporis simul, & spatii, ut cum minori tempore maius spatium acquiritur. Æquales verò in velocitate sunt illi motus, qui eodem tempore æquale spatium percurrunt.

Ex his apparet velocitatem non esse entitatem novam à motu, eiusque duratione distinctam, ipsis-

ipsisque superadditam, sed esse restrictionem quandam partium motus proportionalem illi, quæ per condensationem habetur in partibus quantitatis, quæ restrictio formaliter est per durationem minorem. ex opposito tarditatem esse partium motus earundem dilatationem illi proportionalem, quam raritas ponit in mole, & haberi per durationem maiorem.

Apparet præterea motus in velocitate comparabiles esse, cum velocitas maior, & minor non sit nisi per comparationem motus ad motum. Jam vero quo pacto comparandi sint motus, multis tractat Philosophus 8. phys. à tex. 35. ac septem principia, seu leges ad hoc tradit, quæ hic sunt breviter examinandæ.

Præmittit, in quolibet motu haberi virtutem motivam, quæ dicitur movens, resistentiam passi, quæ dicitur mobile, spatium, & tempus, quo movens resistentiam impellit.

Prima lex. si quod movens movet aliquam resistentiam per certum spatium, & tempus; idem movebit dimidiam resistentiam eodem tempore per duplum spatium, ut si movens impellat pondus ut 4. in hora per milliare, pondus ut duo movebit in hora per duo milliaria.

Secunda lex. Si quod movens movet aliquam Resistentiam certo tempore per certum spatium idem movebit dimidiam resistentiam per idem spatium in tempore dimidio: ut si impellat pondus ut 4. in hora per milliare, pondus ut duo movebit per milliare in semihora.

Ratio utriusque est. motus provenit ab excessu virtutis moventis supra mobilis resistentiam; si enim duo ista vel se æquilibrent, vel superet resistentia, motus non sequitur. Ex hoc rursus est, ut eadem proportione qua virtus superat resistentiam, debeat velocitas motus augeri, adeoque vel minori tempore idem spatium, vel æquali tempore maius spatium

con-

confici; ut enim effectus sequitur causam, ita & perfectior perfectiorem. Cum ergo in utraque lege virtus evadat duplo maior relatè ad resistentiam, cum in prima tempus sit idem; necesse est duplicari spatium; in secunda verò cùm sit idem spatium, oportet tempus ad subduplum minui.

Tertia lex est ex terminis manifesta. Si quod movens impellit resistentiam per certum tempus, & spatium; idem movens impellit resistentiam eamdem in dimidio illius temporis per dimidium spatium.

Quarta lex. Si virtus motiva resistentiam agit per tempus, & spatium definitum, dimidia virtus dimidiam resistentiam eodem tempore per æquale spatium aget. quare eodem tempore, ac spatio movens ut octo impellet pondus ut sex; ac movens ut quatuor pondus ut tria. eadem enim proportio est totius virtutis ad totam resistentiam, ac dimidiæ ad dimidiam. æqualis ergò velocitas habetitur in motibus.

Quinta lex. Si quod movens movet Resistentiam in certis tempore, ac spatio, non est necesse, ut possit duplo maiorem resistentiam movere in dimidio per æquale tempus, vel per duplum tempus in spatio eodem. Ratio est; quia potest geminari resistentia, ut maior sit virtute motiva: in quo casu nullus sequitur motus. Sic movens ut sex impellens resistentiam ut quatuor, ab hac duplicata resistentia vincitur; adeoque illam movere non poterit.

Sexta lex. Si virtus A movens resistentiam B minoretur ad subduplum, non est necesse ut eamdem resistentiam duplo minori velocitate possit impellere, imò nec est necesse, ut possit ullatenus eam movere. Si enim movens ut sex movet resistentiam ut quatuor, non est necesse, ut virtus ut tria possit eamdem, vel proportionaliter, vel simpliciter mo-

vere; cum virtus ut tria superetur omnino à resistentia ut 4.

Septima lex. Si movens A movet resistentiam B per aliquod tempus, & spatium, & movens C æquale moveat resistentiam æqualem D per idem tempus, & spatium; complexum ex utroque movente per idem tempus, & spatium movebit complexum ex utraque resistentia. Hæc regula patet ex terminis.

Ex his verò legibus prima, & secunda difficultatem patitur primo intuentibus inextricabilem, videbiturque desumpta potius ex metaphysicis, quam ex physicis rationibus, cum pugnet in contrarium experientia. si quis enim possit lapidem jacere per stadium, constat, quod non ideò possit decimam ejusdem lapidis partem jacere per decem stadia: cujus oppositum habetur in prima lege. rursus nec poterit decimam eius partem jacere per stadium in decima parte temporis, quo jacitur lapis; cum celerius sæpe moveatur maius, quam minus pondus proiectum: & hoc est contra secundam legem.

Præter hæc supponamus, quod homo non possit per centum milliaria moveri, potest tamen moveri per unum, & ferre unam libram; Jam vero ex vi primæ regulæ fit, ut possit ferre centesimam libræ partem per centum milliaria: quod est impossibile.

Accedit ratio à priori. Motus habetur ab excessu virtutis motivæ supra mobilis resistentiam. ergo ea erit proportio motuum in velocitate, quæ est proportio excessuum. at dum virtus ut octo movet resistentiam ut quatuor, illam superat in proportione dupla; & dum movet resistentiam ut duo, illam superat in proportione sesquialtera; ergo motu istius resistentiæ non in duplo, sed in sesquialtero velocior erit motu resistentiæ prioris.

Ad primum respondeo comparari à Philoso-

pho

pho virtutem motivam cum tota resistentia mobilis, quæ quidem partim est mobili ipso, partim à medio, quod est impellendum, ac scindendum. cum ergo minoratur lapis, quam vis minoretur resistentia lapidis, augetur resistentia aeris; minus enim parvo lapidi, quam magno cedit aer.

Ad secundum constat ex his ipsis responsio; comparatur enim mobile cum sola resistentia libræ, quæ una est, non omnis resistentia; cum potissima sit à mole proprii corporis, quod insita vi animæ ad motum impellitur.

Ad tertium nego velocitatem motus considerandam secundum proportionem excessus virtutis ad resistentiam, sed considerandam secundum proportionalitatem, quæ est proportio proportionum.

Ratio est; quia ut videatur, quantum velocitas unius motus superet velocitatem alterius, ponendæ sunt ex una parte causæ sivè juvantes sivè impedientes unum, & ex altera item causę juvantes, impedientesque alterum, quibus invicem comparatis, consequens est ut proportionem earum sequatur proportio velocitatum, cum ex proportione causarum sequatur proportio effectuum naturaliter consequentium. Qui plura de his volet, legat egregium Alexandri Achillini Bononiensis opusculum de motuum Proportione adversus quosdam sui temporis mathematicos, qui se Aristotelem in errore deprehendisse jactaverant.

CAPUT IV.

De motuum Contrarietate:

ubi,

An possit idem moveri contrariis motibus.

Contrarietas in motibus est à contrarietate terminorum, locorumque qui motu acquiruntur. Iam verò termini, loci contrarii dicuntur, qui secundùm rectam lineam distant 5. phys. tex. 24. Refundunt verò oppositionem in motus non ex hoc præcisè, quod distantes sunt, & oppositis, cum omnis motus sit à termino ad terminum oppositum, & distantem, sed ex diversa habitudine, quam dicunt ad mobile, quod modò ab uno recedens accedit ad alterum, modò ab altero recedens accedit ad unum. Ex quo constat, impossibile esse, ut idem motibus contrariis moveatur; accederet enim simul, & recederet ab eodem.

Sunt tamen adversus hanc certissimam veritatem difficultates nonnullæ, quæ solutionem petunt. 1. est. Eadem anima rationalis est in manu, & in pede; potest autem fieri, ut manus sursum, pes moveatur deorsum; adeoque anima sursum, deorsumque simul movetur, acceditque, & recedit ab eodem. 2. dum quis navi versus orientem v. g. fertur. potest intra navim in contrarium moveri ad Occidentem. 3. dum rota currus voluitur circa axem, fertur tota antrorsum motu recto; quò fertur axis; at partes, quæ inferius rotæ dimidium componunt, si diligenter observentur, feruntur retrorsum. ergo antrorsum simul, ac retrorsum moventur.

Ad

Ad 1. resp. illud esse beneficium virtualis divisibilitatis, quæ est animæ spiritualis perfectio, ratione cuius id præstat forma indivisibilis, quod præstaret, si divisibilis esset, partemque haberet à parte distinctam. quare non magis pugnat, indivisibili animæ duos illos motus inesse, quam corpori secundùm alias, & alias partes; ut enim virtualis partibilitas animam in locis distantibus statuit, continuatis tamen, ità & diversorum illi motuum tribuit capacitatem.

Ad 2. dico, non contingere ibi duos motus contrarios, sed unum tantùm consurgentem ex motu per se, & motu per accidens, quorum unus est alterius retardativus, hac lege, ut si motus navis citior sit motu hominis, homo simpliciter moveatur ad Orientem, quò navis fertur, motu tamen retardato tantumdem, quantus esset motus hominis, si in loco stabili moveretur; ut, si à prora ad puppim sint 10. passus, & interea navis feratur per passus 100. homo intrà navim moveatur per passus 90. atq; ità è contrario, si motus hominis sit citior motu navis. Quod si æqualiter moventur, homo reipsa non movetur.

Ad 3. aliter est dicendum de rota, dum movetur circa centrum, axemque immotum; aliter, dum movetur similiter cum centro, & axe rectà impulsis. primo modo dum movetur rota, quemadmodum dimidium ipsius ascendit, dum alterum dimidium descendit: ita & dimidium retrorsum agitur, dum alterum agitur antrorsum; cum hoc discrimine, quod priora dimidia secat linea rotæ diametralis perpendicularis ad Orizontem; posteriora secat linea diametralis Orizonti parallela. At dum movetur secundo modo, nulla pars rotæ circulationem perficit, aut retroagitur, sed singulæ moventur dumtaxat antrorsum, ascendendo tamen, ac descendendo,

semperque ulterius procedendo undulatim; ita ut quæ, axe immoto, ageretur dumtaxat antrorsum, moto axe, maiorem arcum (servata proportione distantiæ partis à centro) quique sit minoris circuli segmentum describat; rectus enim motus, qui rotæ ab axe imprimitur, secundum istas partes non est retardatus, sed auctus. At illæ partes, quæ, axe immoto, moverentur retrorsum, arcum describunt exiguum valdè, & priori oppositum, quique sit veluti continuatio, ac pene angulus, in quo prior magnus arcus cum alio simili posteriore coniungitur. Quod sanè contingit, quia motus illarum partium, qui juxtà naturam circularis motus deberet esse retrorsum, cum vincatur à motu recto antrorsum acto, id unum, quod potest, efficit, ut retardet motum rectum: qua retardatione simul efficit, ut partes inferiores rotæ habeant se ad modum veluti centri, circa quod circulent partes superiores. Quod si partes rotæ sint centro, & axi proximæ, undulationem conficiunt longè minorem, magisque accedentem ad lineam rectam imaginariam à centro in aere descriptam.

Ex his apparet facilis solutio sophismatis illius, quo probari videtur, circulum rotæ interiorem moveri æqualiter cum exteriore; quod uterque scilicet suis peripheriis æqualem lineam rectam signet in aere post perfectas singulas circulationes. Quamvis enim æquales sint quoad motum rectum, quo ab axe omnes rapiuntur; tamen verò quoad circularem, seù verius quoad motum undulatum discrepant valdè; cum maior sit undulatio partium remotiorum à centro, quam partium centro proximiorum.

CA.

CAPUT V.

An sit de essentia mobilis finitudo secundùm molem.

HOc quidem perinde est, ac quærere, utrùm solum corpus finitum moveri possit, an verò possit etiam moveri corpus, molesque infinita. In qua rè illud mihi persuasum est, ut plane indubitatum, solum corpus finitum esse mobile motu recto; infinito autem repugnare rectum motum ab ea parte, vel ad eam partem, qua termino caret. Ratio est quia ultra infinitum non est possibile spatium, cum ex parte, qua est infinitum, sit omne spatium. Vel ergo rectà moveretur ad partem, vel à parte, qua est infinitum. neutrum fieri potest, quia deberet ex ea parte spatium vel relinquere, vel acquirere, at ultrà infinitum nec est spatium acquirendum, nec relinquendum, si de essentia infiniti est, ut sit in omni spatio.

Superest igitur quæstio de motu circulari, quem infinito possibilem asserunt Aliacensis, & Argentina apud Fasolum 1. p. qu. 7. dub. 7. & magis ex professo Ariminensis in 1. dist. 42. qu. 4. ar. 3. concl. 1. Oppositum tamen habet expresse Philosophus 1. cæl. à tex. 35. ubi infiniti immobilitatem astruit, ut ex ea conficiat, cœlum, quod de facto movetur, infinitum non esse.

Probatur autem istud assumptum 1. Infinitum pertransiri non potest, ut supponitur à Philosopho probatum in 6. phys. at per motum infiniti circularem pertransiretur infinitum. ergo non contingit infinitum moveri circulariter. min. prob. sint duæ lineæ ab eodem puncto protractæ, & infinitæ, una per motum deberet accedere ad aliam. in h. m.

autem accessu infinitum pertransitur, quod inter lineas infinitas ab eodem centro egredientes distantia finita non sit, sed infinita:

Probatur 2. Ponamus lineam A E utrimque infinitam ab Oriente in Occidentem, super quam ducatur perpendicularis B F item infinita. tum verò A E quiescente, B F moveatur in gyrum; sed centrum huius motum non sit punctum C, in quo lineæ se invicem secant, sed sit punctum D ab eo distans. nunc primò sic linea B F per motum successivè pertransit lineam A E. ergo infinitum successivè pertransitur. 2. sic. Linea B F transit totam lineam A E, cum qua prius per motum successivè fecit angulum acutiorem, & acutiorem, ab eaque aliquando dividitur. cum ergo dividitur, immediatè antè faciebat angulum, & nunc non facit; & per consequens ille angulus erat ultimus, in quo duæ lineę ultimò, adeoque per ultimas sui partes jungebantur, proindeque erunt finitæ contra suppositum.

Prob. 3. nullum corpus non circulare potest moveri circulariter. omne infinitum est corpus non circulare, cum omne sit figuræ incapax. ergo nullum infinitum potest moveri circulariter. Hoc argumentum tribuit Aristoteli Fasolus l. cit. n. 3. eoque ipse utitur tamquam demonstrativo. Sed sub his terminis nec demonstrativum est, nec Aristotele dignum, cum maior evidenter sit falsa. constat enim virgam etiam rectam moveri in gyrum, & ostium, quod non est circulare, circà suum cardinem circulariter agitari.

Ut ergo habeat apparentiam, ita proponendum, Omne corpus, quod circulariter movetur, signat circulum in spatio, quod percurrit. at infinitum non potest circulum signare; aliter signaret circulum infinitum. ergo non potest corpus infinitum circulariter moveri.

Confirm. motus omnis circularis est circa centrum. ergo impossibilis est, ubi est impossibile centrum. in infinito autem qui fieri potest ut sit centrum? si centrum est, à quo æqualiter distant extrema, & nulla sunt in infinito extrema.

Hæc tamen, aliaque huiusmodi, quæ affert Philosophus, & ad ista reducuntur, puto non satis improbare motum circularem infiniti. Resp. igitur ad primum. nullum in isto casu pertransiri infinitum; ut enim qu.5. c.6 §.2. ostendi, spatium inter lineas infinitas ab eodem puncto protractas infinitum simpliciter non est; crescit enim ad proportionem singularum partium cuiusque lineæ, quæ quidem à puncto anguli magis, magisque recedunt, sed nulla est, quæ ab eo distet infinitè. quare spatium inter eas interceptum aliud erit alio maius, sed nullum infinitum. singulæ ergo partes infiniti corporis moti finitum dumtaxat spatium conficere habent; sed ut spatium aliud est alio maius, item partes aliis aliæ velocius moveri debent. Ex hoc autem illud unum conficitur, vim motivam talis corporis finitam esse non posse; neque enim fieri potest, ut sit terminata illa virtus, quæ velocius, & velocius sine termino movet.

Ad 2. respondeo nullum esse absurdum in illo transitu infinitæ lineæ; neque enim est unum mobile, quod infinitum pertransit, sed infinita, partes scilicet omnes lineæ B F, quarum singulæ singulas partes lineæ A E percurrunt, & ita quidem ut quæ magis distant à principio anguli, velocius moveantur, & plus consequenter de linea quiescente pertranseant. Rursus qu.5. c.4. dictum est, posse ab uno mobili finito pertransiri infinitum, si in eo velocitas crescat in duplum per singulas partes horę proportionales. at verò lineæ partes velocius, ac velocius motæ pro minori, maiorique

distantia à centro, æquivalent uni mobili acquirenti in suo motu majorem successivè, ac maiorem velocitatem in infinitum.

Ad alterum, quod obiicitur, dico, quod cum linea mobilis dividitur à quiescente, necessariò est illi parallela; si enim vel modicissimè sit versus illam inclinata, necessariò illam alicubi interſecat. Non rectè autem infertur, ad hoc ut lineæ dividantur, debere dari ultimum angulum, in quo lineæ se contingant; si.n. in hoc instanti lineæ sunt divisæ, & æqui distantes, verum est, quod immediatè ante faciebant angulum: sed cum immediatè ante instans sit tempus, quod est infinitè dividuum, immediatè ante sunt consequenter anguli acutiores, & acutiores absque ultimo. Hoc idem dicendum à Philosopho in sua continui constitutione; dum enim dividuntur pariter lineæ infinitæ se se invicem interſecantes, nonnè ità sunt divisæ, ut immediatè ante divisionem fuerint coniunctæ, fecerintque per motum angulos minores, minoresque pro partium proportionalium infinitate?

Hinc habes, illud mirabile contingere in tali motu lineæ infinitæ, quod in aliquo instanti tota linea mobilis per grande spatium distabit à quiescente; & immediatè post tale instans infinitę partes lineæ quiescentis erunt pertransitæ ab infinitis partibus lineæ mobilis; nulla tamen determinata pars lineæ quiescentis erit pertransita immediate post instans, sed inter pertransitionem cuiuslibet, & instans mediabit necessariò tempus. Totum hoc patet, si statuatur centrum D. per mille amplius leucas distans à puncto C sectionis. certè linea B F per motum eò tandem deveniet, ut sit lineæ A E parallela, adeoque ab ea per mille etiam leucas dissita. immediatè autem post instans si iterum moveatur ad lineam A E, ad eamque accedat, quæcumque temporis, in quo fit motus,

tus,

tus, particula sumatur, aliquam haberi linearum sectionem ex inclinatione ad angulum acutum necesse est, ut constat ex 12. axiom. lib. 1. Euclidis, & quia ultra punctum sectionis infinitæ sunt partes, necessariò infinitæ partes sunt pertransitæ, Neque in mirum omninò intelligenti temporis compositionem; cum enim inter acquisitionem cuiuslibet certæ partis, in qua sit angulus, & instans æquidistantiæ mediet tempus carens prima parte proportionali, consequens est, ut possint ab infinitis partibus lineæ mobilis esse pertransitæ infinitæ partes lineæ quiescentis in infinitis partibus temporis intermedii.

Ad 3. secundo modo propositum, dico motum circularem infiniti non esse, nec dici circularem, nisi ratione motus attenti in singulis ipsius partibus, unde in totum derivatur denominatio circulationis. Revera tamen si circulatio in eo rigore sumatur, quo sumitur in argumento, pro motu scilicet circuli, aut corporis circulum describentis, nego posse infinitum secundum se totum circulariter moveri: sed illum motum, ut est totius, aliter appellandum: in quo non immoror, cum sit lis de vocabulo.

Ad conf. resp. centrum in rigore esse, à quo extrema æqualiter distant; & hoc repugnare infinito: aliud esse centrum improprie, punctum scilicet fixum, & immobile, circa quod omnes partes moventur; & hoc esse possibile infinito. Quod si quæratur, inquit Greg. loc. cit. ubi esset centrum fixum, circa quod moveretur infinitum? dico quod esset, ubicumque Deus vellet, sicut si esset una lancea centum palmorum, in qualibet eius parte posset figi clavus, & circa illum immotum tota in gyrum moveri.

CAPUT VI.

An sit essentialis mobili moles, & quantitativa divisibilitas.

CErtum est, posse moveri non solum corpus, sed etiam spiritum, Angelum nim. & rationalem animam; in his enim sua est etiam divisibitas si minus quantitativa, & formalis, certè æquivalens, & virtualis, quæ idem, quod illa, in motu, & spatio præstet. Tota igitur quęstio devolvitur ad Punctum, quod omni modo indivisibile est. In qua lite satis celebri Philosophus negativam partem docuisse videtur 6. phys. à tex.86. ubi id ipsum tribus rationibus probat, quæ à nonnullis demonstrationes habentur. In oppositum est Scotus in 2. dist.2. q.9. quo etiam in loco idipsum habent Mayronus, Lichetus, & Tataretus.

Mihi verò hæc quæstio est de subiecto non supponente; nullum enim punctum aut est, aut esse potest in continuo. ut ergo quæstionem decidam, admittenda hypothesis est; quæ duplex fieri potest; altera quod punctum sit in continuo tamquam quid pertinens ad ipsius compositionem, non quidem ut pars, sed ut vinculum partium: in qua hypothesi concedendum est omninò, posse punctum moveri per accidens, ad motum scilicet continui, in quo est. Altera hypothesis est, quod punctum per se existat in continuo non ut in toto, sed ut in loco, cui incommensurabiliter coexistat; atq; ità si moveretur punctum non per accidens, sed per se moveretur. Juxta duplicem hanc hypothesim duplicem statuo præsentis controversiæ decisionem.

§. I.

§. I.

Dato motu puncti per accidens juxta priorem hypotesim, negari non potest motus ejusdem per se.

HÆc conclusio intelligenda de puncto realiter à quantitate distincto. si enim supponamus puncta non esse, nisi quantitatem ipsam ab omni extensione præcisam, ut superiori quæstione dictum est, fateor, non esse bonam consequentiam à motu per accidens ad motum per se; esset enim consequentia à motu indivisibilis præcisivè ad motũ indivisibilis positivè, adeoque esset revera arguere motum puncti à motu continui: Et in hoc sensu videtur loquutus Philosophus, dum tex. 86. concedit puncto motum per accidens, negat motum per se his verbis: *impartibile non contingit moveri, nisi secundum accidens*. certè enim ratio aliqua formalis ab intellectu præcisa non accipit denominationem ab actione reali, nisi per accidens, quatenus est in re individua, & singulari, cui primo & per se tribuitur actio.

Jam probo conclusionem intellectam de puncto non identificato, sed distincto. Absurdum quod sequitur ex motu per se puncti, sequitur idem ex motu puncti per accidens. Si ergo hoc non obstante, potest punctum moveri per accidens, poterit, & moveri per se. antec.prob. absurdum, quod sequitur ex motu per se puncti, est, quod signaret in continuo punctum post punctum. atqui etiam in motu per accidens id deberet ex eadem ratione contingere; quod enim moveatur per accidens, non facit; ut simpliciter non moveatur; quia ly per accidens non est additum distrahens, sed modificans motum, quem reddit

consequentem, & secundarium relatè ad motum per se, qui est primarius, & antecedens.

Respondent 1. punctum in continuo moveri motu discreto, à puncto scilicet ad punctum spatii, non pertransita parte intermedia.

Hæc tamen responsio nec est ad rem, nec est vera. non est ad rem; quia conclusio procedit ex suppositione, quod punctum verè moveatur, licet per accidens; ad motum scilicet continui. at discretus transitus à puncto ad punctum spatii non est motus, sed mutata esse invicem nec continuata, nec continuabilia. Non est vera; quia iste transitus deberet fieri per instantia. jam verò in tempore punctum si non movetur, necesse est ut quiescat; adeoque ut discontinuetur à quanto.

Respondent 2. indivisibile, dum movetur in toto, non tam moveri ipsum, quam totum. quare non verè dicitur, *Punctum moveri*, sed solum esse in corpore moto; nec *mensurare spatium*, sed *esse in mensurante*. Oppositum contingit in motu per se indivisibilis separat, quod quidem verè ipsum movetur, adeoque mensurat spatium, quod proinde opus est ut ex indivisibilibus componatur.

Hæc responsio non immeritò ab Ariminensi appellatur fuga verbalis. Probo igitur, punctum motum per accidens verè moveri ipsum. moveri A ipsum est ipsum transire de loco ad locum, & acquirere distantiam à termino, ubi erat ante motum. atqui punctum per accidens motum verè transit ipsum de loco ad locum, & acquirit talem distantiam. ergo verè movetur ipsum.

Confirm. Punctum est in spatio quiescenter per suum ubi, quod opus est, ut amittat ad motum totius; aliter, si punctum sit in loco per ubicationem partis, quis vetet, quo minus asseram, unam partem esse in loco per ubicationem alterius, & omnes per ubicationem pun-

puncti? Rursus hoc ubi utpote puncto commensum, punctuale & ipsum est. dum ergo illud amittitur à puncto per accidens moto, aut eius vice succedit aliud ubi punctuale, aut ubi divisibile, aut nullum ubi. non potest dici hoc tertium; nihil enim, quod est, nullibi est. nec primum; aliter unum indivisibile alteri immediatè succedet. Restat secundum, quod intendo; ex eo enim fit, ut punctum in se indivisibile, & indivisibiliter locatum in quiete, sit capax accipiendi per motum ubi divisibile, per quod successivè correspondeat spatio divisibili; quo admisso, manifestum est ex correspondentia quacumque successiva puncti ad divisibile spatium non sequi, ut signetur in spatio punctum post punctum.

Confirm. iterum ex Scoto, sphæricum perfectum non tangit planum, nisi in puncto juxta sententiam, quam hic suppono. Jam verò si eiusmodi sphæricum non rotetur, sed trahatur supra planum, punctum sphærici successivè tangit planum absque eo, quod signet in eo punctum post punctum. neque hic recurri potest ad motum puncti per accidens; quia contactus ille successivus per se competit puncto, & per accidens sphærico; sphæricum enim tangit ratione puncti, non punctum ratione sphærici.

§. II.

Data locatione puncti in spatio divisibili incommensurabiliter, nullum est inconveniens, ut supra idem spatium per se punctum moveatur.

Hoc probo ex ipsa hypothesi. supponimus enim punctum esse in spatio, & non commensurabiliter, cum indivisibile divisibili commensurari non possit, erit ergo incom-

commensurabiliter. quo posito sic arguo. Punctum potest esse in continuo incommensurabiliter: ergo potest super continuum etiam incommensurabiliter moveri. prob. consequ. Punctum, quod est in continuo incommensurabiliter, non signat in continuo punctum; aliter puncto signato commensuraretur. si ergo super continuum moveatur, non signabit punctum post punctum, adeoque poterit, quod perinde est, moveri per spatium incommensurabiliter. hanc consequ. sic probo. impossibile est, ut in motu signet punctum post punctum, quod nullum punctum signat in quiete; signare enim punctum post punctum est signare secundum punctum in motu post primum punctum signatum in quiete. si ergo in quiete nullum primum punctum signatur, nullum secundum signatur in motu, adeoque nec tertium quartum, &c.

Confirm. illud ipsum spatium in motu acquiritur successivè multiplicatum, quod semel per quietem obtinetur permanenter. Sic mobile palmare, quod per quietem palmari correspondet, palmaribus etiam spatiis infinitis communicantibus se commensurat per motum. at punctum quod quiescit in spatio, nulli puncto supponitur correspondere. ergo nullis punctis debet commensurari, dum est in spatio successivè per motum. Ratio utriusque à priori est; quia hoc, quod est esse in spatio commensurabiliter, aut incommensurabiliter, est quid commune, & genericum, cui si addatur successivitas, fit motus; si permanentia, fit quies. Ut ergo quiescere palmum in spatio commensurabiliter, trahit commensurabilitatem in motu, ut signet palmum post palmum: ita quiescere punctum incommensurabiliter in spatio, trahet incommensurabilitatem in motu, ut non signet punctum post punctum.

Confirm.

Confirm. iterum admiſſo puncto quieſcente in ſpatio, aut omnia corpora evadunt eo ipſo immobilia; & hoc quidem ſequi ex ſola poſitione puncti, inopinabile videtur. quod ſi ſequitur, jam deſtruitur hypotheſis; quid enim magis oſtendat impoſſibilitatem puncti in continuo, quàm id ipſum, quod reddat omnia mobilia immobilia? Aut manent corpora mobilia; & jam moveri hæc poterunt ſupra quodlibet ſpatium, etiam ſupra illud, in quo eſt punctum. Supponamus ergo, non punctum moveri, ſed aerem ſupra punctum; nonnè hinc fieret, ſi vera ſunt dicta adverſariorum, ut in aere ſignaretur punctum poſt punctum? tam enim linea deſcribitur à puncto ducto ſupra magnitudinem, quàm à magnitudine ducta ſupra punctum. Quod ſi hoc ut verum concedi non poteſt in data hypotheſi, negari debet punctum per ſe motum inducere quantitatem ex punctis conſtantem. Hoc totum paucis more ſuo, ſed in alio exemplo dixit Mayronus: *quandocumque*, inquit, *dividitur corpus, ſecuris prius pertranſit ſuperficiem, quam attingat corpus. ſicut autem totum continuum tranſit ſuper indiviſibile, ita indiviſibile poteſt tranſire totum continuum*.

§. III.

Solvuntur argumenta.

PRænoto, argumenta ut probent, debere ſervare hypotheſim, non deſtruere. quare quæ deſumuntur ex neceſſaria commenſurabilitate mobilis ad ſpatium, in quo movetur, non ſunt ad rem; inducunt enim indiviſim commenſurabilitatem mobilis ad ſpatium, in quo quieſcit. Hoc quidem idcircò moneo, quod argumenta, quæ Ariſto-

teles

teles attulit l. cit. ad probandum impossibilem puncti motum, si rectè pensentur, destruunt, non servant hypothesim, adeoque nec nostram conclusionem evertunt; nec nos omninò ab Aristotele dissentimus. Sed quidquid sit de mente Philosophi.

Obiic. 1. omne mobile dum movetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem. nullum punctum potest esse partim, & partim, cum partem, partemque non habeat. ergo nullum punctum moveri potest: maior sola est probanda, quæ loquitur de termino ad quem non remoto, sed proximo: prob. autem sic. mobile dum movetur, non est totum in termino à quo; sic enim non movetur, sed movebitur: non est in termino ad quem; sic enim non movetur, sed motum est. non est simul in termino à quo, & in termino ad quem; sic enim replicaretur. restat ergo, ut sit partim in termino à quo; & partim in termino ad quem.

Hoc argumentum destruit hypothesim; ut enim quod est in spatio successivè, debet illi correspondere per partem, & partem, ita & quod est in spatio permanenter: & si non hoc, neque illud. Nego igitur majorem. ad prob. nego esse enumerationem sufficientem; deest enim hoc aliud membrum, quod mobile sit totum in termino à quo; & ad quem non simul, sed successivè. Et quidem si punctum in hypothesi moveretur per spatium palmare intra horam, totum intra horam esset in toto palmo successivè, quatenus juxta multiplicitatem partium horæ occupasset sigillatim partes palmi, semper tamen occupatione incommensurabili.

Obiic. 2. omne mobile per motum, prius quam transeat spatium maius se, debet pertransire spatium aut æquale sibi, aut minus se, atqui in continuo nec est spatium æquale, nec

nec minus puncto. ergo non potest super continuum moveri punctum. ma. prob. tum inducendo per omnia mobilia, tum quia non potest transiri ad extremum sine medio. cum igitur medium ad spatium maius sit spatium minus, aut æquale, necesse est, ut per hoc prius fiat transitus.

Nego maiorem: per cuius primam probationem ductam ab inductione nihil conficitur; quia non est bona deductio ab iis, quæ contingunt de facto, ad ea; quæ contingerent in hypothesi impossibili; neque à mobili divisibili, quod spatio commensuratur, licet inferre ad indivisibile, quod est in spatio sine ulla commensuratione. Ad secundam probationem dico committi æquivocationem. verum est, quod antequam perveniatur ad extremum spatii, debet pertransiri medium, quod comparatum cum extremo habeat rationem minoris, aut æqualis.non sic si spatium comparatur cum mobili, cum quo nullam habet commensurationem.

Obiic. 3. nullum mobile potest tempore finito pertransire infinitas partes spatii sibi æquales. atqui punctum necessariò pertransiret infinita puncta, quorum quodlibet est æquale ipsi: ergo non potest moveri.

Confirm. quodlibet spatium est infinitum relatè ad punctum. ergo nullum spatium potest à puncto pertransiri. antec. prob. sit spatium palmare, quod excedit semipalmare, sed plus excedit quartam illius partem; atque ita in infinitum. punctum verò à quavis parte exceditur: nunc sic. quodcumque excedit infinitas partes, quarum quælibet excedit punctum, infinitè excedit punctum. at quælibet pars spatii excedit infinitas partes minores, singulas punctum excedentes. ergo quælibet pars spatii infinitè excedit punctum.

Ad argumentum resp. 1. hypothesim, in qua

pro,

procedimus, excludere omnia puncta à continuo. 2. si ea in continuo sunt, nec sunt spatium, nec sunt nata extendere spatium. quare tam est facilis transitus unius, quam infinitorum punctorum. non est ergo in motu puncti considerandus transitus per puncta, sed per spatium, quod certe finitum est.

Ad Conf. nego antec. ad probationem dico, non probari excessum infinitum simpliciter spatii supra punctum, sed excessum dumtaxat incommensurabilem, & alterius ordinis. Profecto enim spatium non excedit punctum nisi per id, quod ipsum est: sed ipsum non est spatium, nisi finitum. ergo finitè tantùm excedit; quamvis propter immensurabilitatem dici possit. quod excedat quodammodo, & secundum quid infinitè.

Obiic. 4. Punctum deberet in se recipere suum motum. vel ergo iste motus ex indivisibilibus constaret, aut ex semper divisibilibus. si primum; non est aptus, ut acquirat spatium divisibile. si secundum; non est aptus, ut inhæreat mobili indivisibili. ergo punctum in hypothesi moveri non posset.

Resp. & dico secundum; forma enim divisibilis, quæ puncto in quiete, & permanenter non proportionatur, potest illi proportionari successivè, & in fluxu. Exemplum habes 1. in ente permanente, nec habente partes secundum durationem fluentes, cui tamen proportionatur duratio ipsa, ens scilicet essentialiter fluens, & successivum. Exemplum habes secundo in ubicatione palmari, quæ parti capillari improportionata in quiete proportionatur in motu; unde illud solemne in Peripatetica schola, Mobile, dum movetur, est in spatio maiori se. Ut ergo non est impossibile, sed necessarium, ut quodvis mobile in motu sit sub præsentia maiori, eo quod ista successivè acquiritur: ita nec repugnabit ut indivisibile

sit sub præsentia sæ maiori, imo verius sibi improportionabili, si eam deberet in quiete suscipere.

CAPUT VII.

Cartesianis legibus de motus natura reiectis veriores sufficiuntur.

RENatus des-Cartes principiorum Philosophiæ par.2. motus naturam, quam quidem potissimum vult post materiam rerum naturalium principium, considerare aggressus, multa statuit, quibus rerum naturam superstruere conatur, novæque fabricæ nova supponit fundamenta; firma, an secus, nunc videndum.

Præmittit duo. 1. Generalem, ac primariam causam motus non aliam esse præter Deum. 2. motum ab initio materiæ impressum in certa mensura, in eadem conservari perpetuo, quamvis in singulis corporibus varietur; quantum enim motus ab uno detrahitur, tantundem alteri adiicitur. quod probat ex eo, quia Deus non solum in se ipso est immutabilis, verum etiam quia quam maximè constanti, & immutabili modo operatur. ut ergo eandem semper conservat materiam, quam creavit à primo, ita & eundem motum.

Ex hac Dei immobilitate regulas quasdam, sive leges naturæ deduci posse contendit, quæ sint secundariæ, & particulares diversorum motuum causæ. Prima est. Unaquæque res quantum in se est manet semper in eodem statu, neque unquam mutatur, nisi à causis externis. quare si quiescit, nunquam per se movebitur: si movetur, nunquam per se quiescet. Rationem hanc tradit; quies enim motui est contraria, nihilque ad sui contrarium, sive ad destructionem sui ipsius ex propria natura ferri potest.

Secunda est. quodlibet corpus ad motum per lineas obliquas non tendit, sed per rectas. Probat hanc regulam à priori ex Dei immutabilitate, & simplicitate operationis, qua motum in materia conservat; neque enim illum conservat, nisi præcisè qualis est eo ipso temporis momento, quo conservat, nulla habita ratione eius, qui forte fuit paulò ante. at verò in quolibet instanti designabili sui motus mobile determinatum est ad motum suum continuandum versus aliquam partem per lineam non curvam, sed rectam. quod probat exemplum lapidis in funda rotari, qui licet circulationem perficiat, in quolibet tamen puncto si proiiciatur, pergit moveri non amplius circulariter, sed rectà. Ex hoc infert, omne corpus circulariter motum perpetuo conari, ut recedat à centro circuli, quem describit; *Ut*, inquit, *ipso manus sensu experimur in lapide, dum illum funda circumagimus.*

Tertia est. dum mobile impingit in corpus, quod vi sua impellere non potest, nihil amittit de suo motu, sed solam variat motus determinationem, quæ reflectitur in aliam partem. Dum verò impingit in corpus minoris resistentiæ, illud quidem ita movet, ut quantum ei de suo motu communicat, tantundem deperdat.

Septem alias deindè subdit leges, quæ omnes spectant ad motus ab uno in aliud corpus immissionem, & statuunt, qua demum ratione ex mutuo corporum occursu motus, aut minuatur, aut augeatur. sed eas nunc referre res est plena molestiæ, & vacua utilitatis; procedunt enim omnes ex suppositione tum corporum ita solidorum, ut nullam patiantur compressionem, tum medii, quo motus nihil omnino juvetur, aut retundatur: quæ quidem duo non sunt, nisi in mundo, quem sibi finxit imaginatio Cartesiana.

Dico

Dico nunc primò. Quamvis prima, generalis, & immediata causa omnis motus sit Deus o. m. non tamen unica, sed concurrit ad ipsum efficienter etiam mobile creatum naturæ suæ viribus, & exigentia.

Prima pars huius dicti constat ex iis, quæ libro 2. qu. 4. c. 3. disputata sunt contra Durandum, constabit etiam in metaph. ubi ad probandam primi motoris existentiam, illud principium demonstrabo, Omne, quod movetur, ab alio movetur.

Altera pars constat ex dictis ibidem, ubi virtutem efficientem creatam à Deo participatam asserui. Constat rursus ex iis, quæ libro 1. q. 1. late probavi, esse in rebus ipsis naturalibus effectum sensibilium causam. quod quidem ita est verum, ut merito videatur Philosophus 2. phys. tex. 6 dari naturam tanquam per se notum assumpsisse: natura autem est principium intrinsecum motus.

Dico 2. motus non semper conservatur idem, ut materia. Hæc conclusio ita est manifesta, ut non videam, qua ratione potuerit oppositum cuipiam in mentem venire. Est enim motus successiva correspondentia mobilis ad spatium; quæ sane, mutato spatio, mutetur oportet, sive motus supponatur realiter modaliter à mobili distinctus, sive indistinctus.

Neque ullius est momenti argumentum Cartesii ductum à Dei immutabilitate. 1. quia Deus ex 1. concl. non est causa motus, nisi universalis, ac proinde accommodans se mobilium, ac moventium secundorum activitati, & exigentiæ pro variis circumstantiis, & conditionibus variæ: in quo Deus ut naturæ gubernator summam constantiam servat. 2. quia vel varietas, & mutatio naturæ violat quoquomodo Dei immutabilitatem; & certè nulla poterit in natura contingere mutatio, quod nulla sit possibilis violatio divinæ perfectionis. quare mun-

mundum constituere oportebit utrimque æternum, omnemque ab eo, quam tamen sensu percipimus, mutationem eliminare. aut stare potest cum Dei immutabilitate aliqua in creatis mutatio; & jam necesse est affirmare, nullam hinc vel umbram imperfectionis in Deum invehi: quare non satis consultò locutus est Cartesius loc.cit.num. 36. ubi ait, iis mutationibus exceptis, quas experientia, vel fides testatur, nullas alias in Dei operationibus supponi debere, *ne qua inde inconstantia in ipso arguatur*. Quandoquidem si sine argumento divinæ inconstantiæ aliquæ mutationes contingunt, qui poterimus rectè ex aliis istiusmodi inconstantiam arguere? ad summum enim discrimen esset parvæ, & magnæ inconstantiæ, non alicuius, & nullius.

Dico 3. Nullum mobile, dum movetur, quantum est de se, perseverat semper in motu.

Prob. Quodcumque movetur, aut movetur ab intrinseco, & à natura sua, aut ab impetu extrinsecus impresso. si primo modo movetur, idcircò movetur, ut quiescat. ideò enim natura impellit ad motum, ut quærat locum sibi convenientem, extra quem violenter detinetur. Quod si nullum habeat hujusmodi locum, sed omnia spatia indifferenter respiciat, jam in omni spatio æqualiter morabitur; adeoque nulla erit ab intrinseco ratio determinans, ut, uno relicto, alium quærat. Conf. motus naturalis corporum comparatur desiderio, quod est motus animæ, ut quies comparatur delectationi. at desiderium omne est propter delectationem; nec quisquam est, qui per desiderium se moveat ad bonum, cuius acquisitio, ac proinde delectatio proposita nulla sit. Item ergo nullus à natura est motus, cui nulla sit proposita pro termino quies.

Quod si mobile moveatur per impetum extrin-

trinsecus impressum violenter, item aio, motum ipsius perpetuum esse non posse. si enim movetur contrà naturæ inclinationem, accipit impetum oppositum determinationi intrinsecus à natura provenienti. quemadmodum ergo resistentia medii efficit, ut impetus de facto debilitetur, ac tandem finiatur ; quid ni idem præstet resistentia intrinseca ipsius mobilis in alium omninò motum propendentis ?

Si verò impetus ab extrinseco impressus neuter sit, h. e. nec contrà, nec juxtà naturam, qualis esset rotæ in gyrum actę, cuius sit centrum idem, quod est commune omnium gravium, aut qualis est motus Cœli ; adhuc puto, motum per se aliquando desiturum. Prob. 1. dum rota de facto circà axem immotum ab extrinseco circumvolvitur, motus ipsius tandem desinit. sed non desinit propter resistentiam medii, aut gravitatis. ergo desinit ex natura ipsius mobilis, & finitate impetus : quæ sunt rationes universales pro omni motu. Min. prob. cum enim in rota circumacta dimidia pars descendat, & dimidia ascendat, & quantum proindè una resistit, tantumdem altera inclinetur, ac se se æquilibrent, consequens est, ut in rota per modum unius accepta nulla possit esse resistentia ex parte gravitatis ad talem motum. neque verò resistit aer, qui nec scinditur, nec repellitur : & quantum aeris incumbit parti rotæ ascendenti, eamque prohibet à motu, tantundem incumbit parti descendenti, eamque impellit ad motum.

2. A priori ex natura mobilis. quodcumque enim mobile à natura inclinatur ad quietem, ut dictum est. quamvis ergo motus ille circularis non sit omninò violentus, quod vice unius loci naturalis alium etiam naturalem sufficiat, est tamen aliquatenùs violentus, in quantum in loco naturali, ubi quies exigitur, motus, & agitatio exhibetur. necesse igitur est, im-

impetum, & motum à nobilis resistentia imminui primò, tum etiam extingui.

3. Ex natura motoris finiti, ut enim reliquis agentibus ex sua limitatione certa est activitatis sphæra definita; ità & localiter moventi; ut sivè per se, sivè per impetum impellat, ad certum terminum, mensuramque id valeat.

Neque valet, quod opponebat Cartesius, si verum id foret, motum de sua natura propensurum in sui destructionem. Quid enim, quæso, est in motu, quod exigat perseverare; cum totus sit successivus, & in fluxu, adeoque partibus constans continenter intereuntibus? Deindè quod petit quietem, non est motus, sed mobile per motum.

Opponi iterum potest, quod c.2. dixi, motum circularem, præsertim Cæli, debere esse per naturam perpetuum: quod videtur contradicere iis, quæ in hac conclusione sunt asserta. Sed re vera non contradicit: aliud enim est, quod nullus motus sit perpetuus, attenta mobilis, & impetus natura, quod hic contendo: aliud, quod nullus sit perpetuus, attenta communi naturæ universalis exigentia, quod ibi nego. Sed de hac re iterum, ubi de motu Cæli.

Dico 4. Omnia gravia quomodocumque moveantur, motum semper affectant per lineam rectam. Hanc propositionem Cartesius rectè asserit, sed malè ex divina immutabilitate probavit, ut constat ex dictis. Et quidem quid oportuit ad machinam confugere in re aliundè certa? cum enim gravia ad motum rectum propendeant per naturam brevissima, simplicissimaque via tendentem ad centrum motus, consequens est, ut, quemcumque motum ab extrinseco accipiunt, insita vi ad suum agendi, tendendique modum, quoad fieri potest, inflectant.

Dico 5. In mobilium occursu non semper

accidit, ut tantum uni motus accedat, quantum decedit alteri. Testis est experientia, qua docemur, si duæ plumbeæ pilæ in se mutuò incurrant, nullam haberi resilientiam, sed sequi immediatè quietem? ut iterum deduxi primo huius operis libro q. 1. c. 5. agens de rerum principiis contrà Cartesium.

Quæ quidem ubi perpendo, convicii illius in mentem venit, quod Atomistæ Peripateticis obiectant, quod relicta experientia, sensuumque fide, solis speculationibus metaphysicis rem omnem Philosophicam transigunt. quid jam de Cartesio suo dicent, qui, quas scripsit leges motus, non è rerum natura, sed ex suo ingenio, magno illo quidem, sed novitatis amore transversim acto, eruit, ac sancivit?

LIBER QUARTUS PHYSICORUM

De Reliquis Motibus.

RElìqui à latione motus in triplici sunt genere; vel enim est motus ad substantiam, qui si sit acquisitivus, dicitur generatio: si deperditivus, corruptio. vel est motus ad quantitatem, qui dividitur in augmentationem, ac diminutionem. vel est motus ad qualitatem, qui dicitur alteratio, & dividitur in intensionem, ac remissionem. Jam verò ut tota expleatur de motu tractatio, de his etiam post lationem agendum eo ordine, ut prius de generatione, tum de alteratione, postremo de conditionibus ad agendum seù generativè, seù alterativè requisitivis, triplici scilicet quæstione præsens liber absolvatur; augmentationi enim commodior est locus in libris de anima, ubi de nutritione, augmentationeque vitali.

QUÆSTIO PRIMA.

De Generatione, & Corruptione substantiali.

CAPUT I.

Affertur, & explicatur Aristotelica Generationis definitio.

NOmen generationis multipliciter stat. 1. pro omni productione, etiam Angeli, etiam

etiam accidentis. 2. pro omni productione ex præsupposito subiecto. atque hæ sunt latissimę generationis acceptiones. 3. est strictissima, quæ solam viventis productionem appellat. 4. demum accipitur in præsenti in significatione quadam media, quæ est communis, & plerumque usurpata, ut sonat scilicet productionem novæ substantiæ ex subiecto præsupposito.

Porrò Aristoteles sæpe distinguit inter generationem simpliciter, & generationem secundum quid. inter generationes enim modo expositas quadrifariam institui comparatio potest. 1. si comparetur generatio substantiæ cum generatione accidentis; atque ita prior dicitur generatio simpliciter, posterior secundum quid. 2. si conferatur generatio unius substantiæ cum generatione alterius; atque ità si quæ generatur substantia, perfectior est ea, quæ corrumpitur, vocatur simpliciter generatio, ut cum ex embryone fit homo. si vero, quæ corrumpitur, perfectior est ea, quæ generatur, dicitur simpliciter corruptio, ut cum ex homine fit cadaver. 3. si comparetur generatio unius accidentis cum generatione alterius; eadem enim regula procedit, ut perfectioris seù generatio, seù corruptio dicatur simpliciter talis. 4. si conferatur generatio effectus sensibilis cum generatione effectus insensibilis; ità enim prima dicitur generatio simpliciter, ut cum ex aere fit aqua: altera dicitur corruptio simpliciter, ut cum ex aqua fit aer. Jam verò in tota hac quæstione nomen generationis accipitur, ut sonat productionem substantiæ compositæ ex supposito subiecto, quæ est simpliciter generatio, ut est in prima comparatione expositum.

Hanc multipliciter definit Aristoteles. 2. phys. t. 14. ait, generationem esse viam ad natu-

ram. 11. met. t. 10. Generationem dicit mutationem ex non subiecto in subiectum ; ubi nomine subiecti totum substantiale intelligit, quod accidentibus substernitur. Huic definitioni consonat alia ex 1. de Gen. t. 25. ubi definitur mutatio ex potentia subiecto in actu subiectum. sensus est, quod per generationem materia, quæ erat in potentia ad totum substantiale, illud actu constituit per formæ receptionem. sed omnium celeberrimá est definitio Generationis, quæ traditur 1. de Gen. t. 23. quæ, Philosophi verbis paululum immutatis,ità communiter conficitur: *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente ut subiecto eodem.*

Mutatio est genus, in quo cum reliquis motibus communicat generatio. sed statim difficultas occurrit, qua probetur generationi rationem mutationis non convenire. Quod enim generatur, non mutatur. ergo generatio non est mutatio. consequ. tenet per locum à coniugatis. anteced. prob. quia quod generatur, non fuit, antequam generaretur. at quod mutatur, debet sui mutationem præcessisse, ut constat ex iis, quæ 1. phys. de conceptu mutationis dicta sunt. ergo id, quod generatur, non mutatur.

Resp. generationem in rigore dictam, ut est mutatio, & dividitur in acquisitivam, & deperditivam, hic non definiri, sed definiri substantialem conversionem, quæ est transitus de subiecto in subiectum, seù de termino positivo ad positivum; adeoque definiri generationem, ut est motus, qui juxtà Philosophum in eo à mutatione differt, quod sit inter terminos contrarios, mutatio sit inter terminos contradictoriè, seù verius privativè oppositos. Accipitur ergo hic, & definitur generatio, quæ communiter accidit, & ut est cum corruptione conjuncta, adeoque ut confunditur cum conver-

sio-

fione, quæ utramque amplectitur. conversio autem non denominat subiectum, quod manet sub utroque termino; neque enim dicitur materia converti ex ligno in ignem; sed denominat terminos ipsos, præsertim illum, à quo est recessus; dicitur enim lignum converti in ignem.

Instas. Si converti non dicitur, quod fit de novo, sed quod corrumpitur, deberet dici genitum lignum, quod destruitur, non ignis, qui producitur. Sed ex hoc ipso equidem infero non hic definiri generationem propriè dictam, sed conversionem substantialem. proptereà enim Aristoteles nomen mutationis non tribuit termino producto, sed destructo, dum ait, *mutatio totius in totum, &c.*

Dicitur deindè, *totius in totum*: per quod generatio secernitur ab alteratione, in qua prius totum, h. e. prior substantia manet. Dicitur demum, *nullo sensibili, &c.* Non debet hoc intelligi, ut contendunt Thomistæ, quasi destruatur tota vetus substantia, & cum ea omnes qualitates, & accidentia, per quæ sensibilis illa fit. sic enim nihil erat, cur illa particula apponeretur, *ut subiecto eodem*. ex quo videtur Philosophus concedere, quod manet aliquod sensibile, non tamen ut subiectum idem. sensus ergo est, quod licet maneat aliquod sensibile idem in genito, quod fuerat in corrupto, non tamen denominat amplius idem, sed diversum subiectum; quamvis enim maneat idem calor in abstracto, non manet idem calidum concreto. Ex quibus apparet has posteriores particulas esse priorum declarativas.

Qui porrò volet generationem in rigore acceptam definire, dicet esse productionem substantiæ de non substantia dependenter à subiecto, ut à causa materiali. In qua definitione satis generatio ab augmentatione, nu-

nutritione, eductione, conversione, & creatione distinguitur. Ab augmentatione quidem, & nutritione; istæ enim sunt actiones supponentes in sua ratione formali substantiam, quæ per augmentationem promovetur in maius, aut per meram nutritionem conservatur in statu; & propterea actiones istæ non generationes, sed adgenerationes appellantur. Ab eductione verò; quia hæc est productio non substantiæ totius, sed formæ. ex quo constat idem esse secundum rem generationem, & eductionem, sed non secundùm rationem; eadem enim actio dicitur eductio ut respicit formam. generatio, ut respicit totum. A conversione distinguitur; quia ut dictum est, conversio est de toto in totum, cum generatio formaliter fit de non toto in totum. A creatione demum; quia hæc nullum subiectum supponit ut causam materialem termini creati.

CAPUT II.

Definitur Generatio Viventis.

HÆc etiam accipi potest largè, strictè, & strictissimè. primò modo stat pro qualibet viventis à quolibet productione, ut si vivens generetur ex putri, quod juxtà veterum Peripateticorum sententiam à cælesti corpore mediis influentiis producitur. secundo modo stat pro productione viventis etiam non cognoscitivi à simili vivente, quo pacto complectitur etiam plantæ à planta productionem. tertiò modo sumitur pro ea tantùm generatione, quæ nata est fundare relationes, ac denomitiones Patris, & Filii; quo pacto restringitur ad sola viventia cognoscitiva. Primo modo acce-

cepta non habet propriam definitionem, sed eamdem sortitur cum generatione communi superiori cap. definita. secundo modo accepta definitur, *Processio, seù origo viventis à vivente, principio vitæ coniuncto, in similitudinem naturæ*. tertio modo ut definiatur, addi debet, à vivente operante per cognitionem, & amorem. sed hæc additio fieri vulgò non solet. definitio igitur sine hoc addito, qualis communiter circumfertur, est hic explicanda.

In ratione processionis, seù originis velut in genere convenit generatio viventium cum generatione communi. Differt, quia est viventis à vivente: quod quidem quid speciale habeat, ac proprium, declarant sequentes particulæ, *principio vitæ coniuncto*; hoc enim habent sola præceteris viventia, ut per virtutem suam generativam aliquam partem puriorem humidi sui nutrimentalis vitaliter moveant, efformando semen, aut ovum, cui vim seminalem, ac formatricem imprimant. Hoc quidem viventi ante coniunctum, deindè ab ipso decisum, vasisque proportionatis exceptum, insita virtute operatur, aliudque vivens producit, cui pars illa generantis coniuncta inest.

Ex hoc Angeli productio generatio vitalis non est; quia vitale principium, quod est Deus, Angelo non coniungitur; sed est illi prorsus extrinsecum. Ex hoc Verbi Divini productio generatio vitalis est; quia principium vitæ Verbo producto perfectissimè coniungitur per summam identitatem naturæ eidem communicatæ. Qua ratione autem Spiritus Sancti processio rationem generationis non habeat, quamvis à principio sit vitæ coniuncto, ex verbis sequentibus desumendum est,

quod non sit scilicet in similitudinem naturæ; quod quemadmodum contingat, meum non est in præsenti explicare.

Ultima igitur definitionis huius verba intelligenda sunt de similitudine perfecta in ultimo gradu eiusdem naturæ specificæ, quare generatio animalium, quæ tertiæ speciei nuncupamus, proprie dicta generatio non est; quamvis in his quoque, quoad fieri potest, naturæ similitudo servetur. Excluduntur etiam à conceptu propriæ generationis illæ, quæ cum sint à parentibus eiusdem speciei, speciem tamen parentum in fœtibus non servant; quod contingere in quibusdam avium generibus referunt Conimbricenses; ex aquilinis enim pullis haliæetos, ex haliæetis phænas, ex his milvos gigni perhibent: quæ quidèm non tam generationes sunt, quam degenerationes: & causam habent ex defectu, & imbecillitate virtutis generativæ; quæ cum non possit ad perfectam similitudinem pervenire, sistit in imperfecta, & partum assimilat, si minus in specie propria, saltem in proxima.

Hinc deducunt communiter. 1. quod si qua proles ex dæmone incubo concipiatur, fætus non dæmonis filius sit dicendus, sed viri illius, à quo semen dæmonis opera decisum est. Deducunt rursus, aves alienis ovis incubantes non ipsas esse alituum exclusorum parentes, sed eas, quæ ova elaborarunt, ac pepererunt: pulli enim no similitudinem incubantis, sed parientis sequuntur. Et sanè aliter potator ille Syracusanus, qui, teste Aristotele 6. de hist. animalium cap. 2. ovis sub storea positis incubans, tamdiù potabat, dum ova ederent fœtum, pullorum pater dicendus fuisset. Deducunt 3. efformationem Evæ ex Adami costa generationem vitalem non fuisse; quare nec potuit Adam ullo pacto dici Evæ Pater

tum

tum quia costa illa non fuit principium vitæ coniunctum ad Evæ productionem vitaliter ab Ada transmissum, ut à viventibus transmittitur semen, tum quia ut Eva fuerit Adæ similis in natura, non tamen ea similitudo collata illi est vi productionis ex costa, ex qua scilicet æque bene potuit Deus ut Evam, ita & leonem efficere.

CAPUT III.

In qua potissimum actione generatio consistat.

CAietanus post Herueum, aliique non multi apud Conimbr. 1. de Gen. cap. 4. quæst. 12. opinati sunt, generationem esse actionem successivam ab alteratione indistinctam, quam proindè ipsum fieri formæ substantialis appellant. Distinguit hæc sententia triplicem statum in substantiali mutatione; primum, dum subiectum quiescit in termino à quo; alterum, dum quiescit in termino ad quem. tertium, dum sensim recedit ab uno, & accedit ad alterum. generatio autem consistere ait in hoc statu medio, quo materia ligni v. g. paulatim recedit per alterationem à forma ligni, & accedit ad formam ignis. Contrarium sentiunt non solum reliqui extra scholam Thomisticam, sed ipse etiam Thomistarum princeps Capreolus, & ipse D. Thomas laudati à Conimbr. l. cit.

Sed potest in hac materia fieri quæstio de re, & potest de voce. De re est lis, an actio productiva formæ substantialis sit realiter distincta ab actione alterativa subiecti, & productiva accidentis dispositivi. De voce est, utri ex his tribuendum generationis nomen, & an possit alteratio, ut terminata ad productionem formæ, appellari generatio, cum formæ pro

ductio non tam sit dicenda generatio, quam terminus generationis.

Dico 1. productio formæ substantialis est actio realiter distincta ab actione alterativa, & productiva accidentis?

Prob. 1. ad hominem contrà Thomistas, si qui sunt tamen ex ipsis, qui hoc negent. Termini essentialiter distincti specificant actiones essentialiter distinctas; quod est solemne principium apud ipsos. atqui substantia, & qualitas sunt termini essentialiter distincti; aliter nulli sunt termini ita distincti. ergo.

2. Iterum ad hominem. Si alteratio esset ipsa actio productiva substantiæ, aliqua actio esset, dum terminus ipsius non esset: quæ sequela & est impossibilis in actuali exercitio agendi; & est manifesta ex positione sententiæ oppositæ. dum enim est forma ignis, tunc est actio ipsius productiva: tunc autem calor antea productus non est juxtà Thomistas authores resolutionis usque ad materiam primam. quare si actio productiva formæ eadem est productiva caloris prævii, maneret actio sine termino.

3. Eiusmodi actiones sunt à distinctis principiis ad distinctos effectus, & sunt invicem separabiles; tum quia posset Deus post introductionem caloris impedire productionem ignis. tum quia dum producitur calor, non est ignis. neque dicas, esse tunc ignem, non in facto esse, sed in fieri; Contrà enim est; quia esse ignem in fieri, est non esse ignem, sed calorem, qui est via, & dispositio ad ignem; adeoque ly *in fieri* est additum distrahens.

4. Alteratio, quæ est motus successivus, multas habet partes. vel ergo actio substantiæ productiva consistit in una ex iis partibus, vel simul in omnibus. non potest dici pri-

pri-

primum; tum quia non est maior ratio de una, quam de alia. tum quia signetur una pars alterationis, per quam substantia producatur. jam quia illa etiam divisibilis est, de illa etiam inquiri potest, utrum una, an omnes simul illius partes sint actio substantialis. nec potest dici secundum; quia vel substantia producta omnibus iis coexistit vel uni, vel nulli. non omnibus; aliter simul inciperet esse calor, & forma ignis. non uni; quia ut sit specialis pro hac ratio, deberet ea esse ultima; in successivo autem continuo, qualem infra probabimus alterationem, nihil est simpliciter ultimum. non, nulli, quia sic actio esset productiva sine termino producto; adeoque causa efficeret actu, quin actu quidquam efficeretur.

Dico 2. actio productiva formæ substantialis, ut contradistincta à productione successiva qualitatis præviæ, potest, & debet appellari generatio.

Prob. talis actio verificat omnem generationis definitionem. cum enim primò est forma ignis in ligno, tunc est mutatio à non substantia in substantiam, à non igne scilicet ad ignem. præterea tunc totum transit in totum, nec ullum sensibile remanet, ut subiectum idem. Adde nostram sententiam esse communiorem: loquendum autem cum pluribus. Accedit Philosophus multis in locis apud Conimbr. citatos.

Obiiciunt quædam Aristotelis in contrarium testimonia; in quibus de generatione nonnunquam loquitur, ut de motu, & actione successiva, eamque videtur cum alteratione confundere. quin etiam hic ipse est vulgi sensus, & sermo; dicimus enim communiter accendi ignem, dum disponitur materia per calorem ad ignem. Ex hoc itaque non damno, qui alterationem appellat ipsum fieri formæ sub-

substantialis. Dico tamen istum sermonem non esse strictè physicum. sed vulgarem, quo sæpe philosophi ipsi utuntur. Cum enim Aristoteles ipse alibi eas actiones secreverit, & cum sint realiter distinctæ, omninò sint secernendæ juxta notiones ab ipso traditas; & rursus sequuti deinceps interpretes, ac philosophi generationem semper ab alteratione distinxerint; melius certè loquimur eas distinguendo, quam confundendo; nec est, cur propterea simus valde soliciti de uno, vel altero loco: in quo videtur Aristoteles aliter loquutus.

Duas præsertim authoritates obiicit noster Maurus, alteram ex 5. phys: t. 8. ubi dicitur *Id, quod non est, generari*. generatio igitur non est actio productiva substantiæ; quia dum actio est, substantia est. alteram ex 6. phys. t. 32. ubi sic habet: *Cum ex quodam in quoddam sit omnis mutatio, cum quidem est in eo, in quod est mutatum, non ulterius, ut patet, mutatur*. Supponit ergo per se manifestum Philosophus non esse mutationem, tunc, cum est substantia, quæ est terminus mutationis.

Resp. ad primam sensum Philosophi juxta Averroem esse, quod *id quod non est, generatur, hoc est mutatur*; quia materia, quæ est non ens actu, v.g. non actu, nec de se ignis, fit ignis. Potest etiam dici, generari, quod non est, sumendo verbum est ampliativè, ut dicuntur in Euangelio cæci videre. Ad alteram constat ibi non negari à Philosopho mutationem, sed mutationem ulteriorem.

CA-

CAPUT IV.

De termino Generationis.

Actio generativa, ut ab eductiva distinguitur, respicit totum ipsum, quod absolutè dicitur per actionem genitum; quatenus per actionem ponuntur partes in ea actualitate, qua ultimò determinantur ad totum constituendum. ex hoc autem non fit, ut debeat singulas partes generatio attingere; imò quandoque cum hoc stat, ut non possit; quemadmodum videre est in homine, in quo nec materia, nec forma ponitur simpliciter in esse per actionem generativam. Jam vero in hoc primum est quæstio, ut decernatur, quid debeat ponere in esse actio generativa, ut dicatur ponere, ac generare totum; neque enim defuere, qui crederent hominem ab homine generari præcisè, quatenus ab eo materia præparatur, ut sit apta infundendæ à Deo animæ sedes. Post hæc facile erit decidere, quis sit formalis, & quo generationis terminus: quis sit terminus totalis, & qui.

Dico 1. Generatio de suo conceptu non petit ponere formam secundum esse, sed solùm secundum inesse materiæ. Prob. hoc enim est satis ad integrum, plenumq; conceptum generationis. quod constat 1. à contrario; quia id unum petit corruptio, ut forma à materia separetur, non item ut destruatur. ergo id unum petit generatio, ut forma uniatur materiæ, non item ut producatur: 2. à priori. generatio substantialis est, quæ ponit de novo totum aliquod substantiale, quod prius non erat. atqui id habetur formaliter, & ultimo per solam actionem unitivam. ergo hæc una est de conceptu generationis.

Dico 2. posset in bono sensu dici homo generare

rare hominem, etiamsi actione sua intrinsecè non attingeret unionem animæ cum corpore, sed solas induceret prævias dispositiones. Prob. tunc enim diceretur generare, ut nunc dicitur corrumpere. hoc autem unicè præstat per solam ablationem dispositionum, conditionumque ad hominis vitam necessariarum. Et quidem quicumque effectus contingit in natura, ille vulgò tribuitur non solum causæ efficienti, à qua immediate, & physicè profluit, verum etiam alteri cuicumque, à quo est in natura ultima necessitas, ut talis effectus à sua causa dimanet. sic accidit in corruptione, sic in plerisque generationibus; dicitur enim accendere ignem, illuminare aerem, &c. qui ponit approximationem requisitam, ac removet impedimenta prohibentia eiusmodi operationes, atque adeo qui ponit eiusm. operationum necessitatem.

Dico 3. quia tamen hic sensus rigorosus non est, sed aliquid habet improprietatis, ac metaphoræ; congruentius, & probabilius est, in hominis generatione non solas prævias dispositiones ab homine efficienter poni, sed ipsam etiam substantialem animæ cum corpore unionem. Prob. si homini vis ista non repugnat, non est, cur illi denegetur: quemadmodum nec illi esset deneganda productio formæ ipsius spiritualis, nisi hæc esset forma subsistens, quæ petit creari,& universim vis creādi creaturę repugnaret. Et sanè cum maiori proprietate hoc pacto salvatur, quod homo generet hominem: imò ea est simpliciter generatio, quæ ponit vi sua formam in subiecto: quæ verò subiectum disponit generatio non est, sed alteratio. Quod autem homini vis ista non repugnet, ex eo est manifestum, quod unio non debet, imò nec potest creari, sed necessariò debet educi: eductio autem creaturæ non repugnat.

Dices. Unio animæ spiritualis cum materia

est

eſt & ipſa ſpiritualis, cum ſit animæ, cui inhæret, proportionata. ergo non poteſt intrinſecè, & immediatè attingi à potentia hominis generativa, quæ eſt intrinſecè materialis.

Principio poteſt negari conſequ. potentia enim hominis generativa ut ſit materialis, quippe reſidens in ſemine, non agit tamen proprio nomine, ac virtute, ſed hominis generantis, in quo eſt anima ſpiritualis. jam verò perfectio effectus non debet in inſtrumento, ſed in principali agente reperiri. Melius negatur antec. Unio enim quæcumque ſubſtantialis in ſola materia recipitur, ab eaque educitur, ut conſtat ex iis, quæ dicta ſunt in l. ſecundo de indiſtinctione unionis ab actione eductiva, & in tertio de ſubiecto eductionis; atque adeo unio entitativè materialis eſt.

Ex his conficitur, quis ſit totalis, quis formalis actionis generativæ terminus. Nomine termini totalis, & *qui* venit apud omnes totum ipſum, quod vi generationis in eſſe ponitur: & hoc eſt illud ſcilicet, quod ultimate intenditur à generatione, quæ per ſe non formam, ſed formam in materia ponit, atque ita eſſe compoſito tribuit. Sic terminus totalis, & qui generationis humanæ eſt homo, equinæ equus, &c. Nomine termini formalis, & quo venit id, quod formaliter, & per ſe petit generatio ponere ſimpliciter in eſſe, ut per illud ponat totum. & jam conſtat ex dictis eiuſmodi terminum eſſe unionem formæ cum materia, quam unice de ſuo conceptu petit producere generatio; cum enim unio ſit ultima actualitas totius, intelligitur ſufficienter poni totum categorematicè ſumptum per ſolam poſitionem unionis.

CAPUT V.

An, & quomodo generatio unius sit alterius corruptio.

TRadit hanc propositionem Philosophus 1. de Gen. t. 17. & 20. & 3. phys. t. 73. sed quæritur, in quo sensu sit vera. Hoc enim in sensu formali; quia nec generatio est de conceptu corruptionis, nec corruptio de conceptu generationis; cum altera tendat à non esse ad esse, altera ab esse ad non esse. Nec in sensu identico; sunt enim duæ realiter distinctæ, & divinitus separabiles mutationes. Propterea sunt, qui volunt fieri in hac propositione sensum dumtaxat comitantem, & causalem, sed est expositio iniuriosa Philosopho; non enim sola comitantia, aut causalitas satis est, ut unum de alio prædicari possit in recto prædicatione propriè dicta, qualis Philosophum decet. Ut ergo dictum hoc Aristotelis salvent, in alias alii sententias Interpretes abiere. sex enumerat Aresius 1. de Gen. disp. 2. q. 12. sec. 1.

Res tamen est facilis ex dictis cap. 1. cum enim Philosophus generationem sumat pro substantiali conversione, constat posse generationem de corruptione prædicari, quatenus sunt una, eademque substantialis mutatio. sensus ergo est, quod conversio generativa est simul conversio corruptiva, & è contrario, quia utrumque conversio imbibit in suo conceptu.

Quod attinet deindè ad sensum huius propositionis comitantem, & causalem, duo sunt, quæ possunt quæri. 1. an omnis generatio sit naturaliter cum corruptione coniuncta. 2. an generatio sit in priori ad corruptionem.

Quod attinet ad primum, resolutio est communis

munis Peripateticorum affirmativa, cui subscribo. Ratio est; quia non potest existere de novo aliqua substantia, quin materiæ de novo accedat aliqua substantialis forma. non potest autem hæc accedere, nisi alia recedat; duæ enim substantiales formæ in eadem materia esse non possunt. ergo non potest aliquid de novo gigni, quin aliud corrumpatur. Rursus non potest materia unam formam substantialem amittere, quin aliam acquirat; quia non potest naturaliter manere spoliata omni forma. ergo non potest aliquid corrumpi, quin aliud de novo generetur.

Quod attinet ad secundum, stabiliendum prius est, generationem per se intendi à natura, corruptionem verò non nisi per accidens. Prob. primum; quia omni rei insitum à natura est desiderium se propagandi in aliis sibi similibus effectibus, idque aut intentionaliter, aut realiter, aut secundum speciem ultimam in actione univoca, aut secundum genus in æquivoca. Hoc autem inde est, quod unumquodque in esse suo æternitatem affectat, quam quia non potest in se assequi, eam, quod superest, in sua specie obtinere contendit.

Dices, multas generationes non videtur per se intendere natura; multa enim sunt animalia, & mixta valdè imperfecta: imperfectum autem non intenditur à natura, quæ semper scilicet conatur ad optimum, ut dicitur 2. de cælo t. 34. Præterea in unaquaque specie animalium fæmina non intenditur per se: quare illam Philosophus 2. de Gen. cap. 3. appellat marem occasionatum, magis videlicet ex casu, & occasione, quam ex intentione naturæ productum.

Resp. animal, & mixtum dici imperfectum, vel comparativè ad alia alterius speciei perfectiora, vel comparativè ad alia eiusdem speciei, quia scilicèt defectum habent speciei

non

non convenientem. primi generis animalia, & mixta sunt perfecta, quia nihil ipsis deest magnitudinis, & perfectionis, quæ speciei debetur; adeoque per se à natura intenduntur. secundi generis animalia, & mixta vel dici potest per se intendi à complexo omnium causarum, vel per se intendi productionem, perfectionemque rei, defectum verò consequi per accidens. Ad id, quod additur de fæmina, dic cum D. Thom. 1. par. qu. 92. ar. 1. ad 1. eam esse aliquod deficiens, & occasionatum per respectum ad naturam particularem virilis seminis virilem prolem intendentis, & producentis muliebrem, aut virtutis in ipso semine, aut dispositionis in materia. cæterum relatè ad naturam universalem est aliquid per se intentum, utpote per se ad generationem requisitum.

Quod autem corruptio non nisi per accidens intendatur, præter communem Philosophorum sensum, probari solet ex dicto Dionysii, quod nihil scilicet intendens ad malum operatur. corruptio autem mala natura est. ergo non potest à natura per se intendi. Potest quidem per se intendi ab agente voluntario, ut cum homo hominis intendit mortem. quod ex eo est, quia in alterius morte potest homo apprehendere aliquod suum bonum, vel commodi, vel vindictæ. at corruptio ad nullum bonum naturæ medium esse potest, sed solum consequitur alterius productionem ex necessitate materiæ plurium formarum incapacis.

Ex his sequitur, quod corruptio ordine quodam causalitatis posterior est generatione; ideo enim res una corrumpitur, quia alia generatur, non è converso. neque verò naturale agens generat, ut corrumpat, sed corrumpit, quia generat; quatenus generando

do novum effectum ponit exigentiam naturaliter infrustrabilem, naturæ author, à quo uno substantiæ pendent in facto esse, suspendat concursum veteris formæ conservativum. Est igitur generatio conditio necessaria tenens se ex parte principii corruptivi qua naturaliter corruptivi. quare præcedit natura corruptionem, ut universim omnis conditio causæ natura præit effectum. Quæ ut ita sint, corruptio tamen non Deo tribuitur suspendenti concursum, sed agenti secundo generativo ponenti actione sua illius suspensionis physicam necessitatem, Deumque ad corrumpendum determinanti.

Hanc doctrinam sunt, qui extendant ad omnem omninò productionem, etiam accidentium seu habentium, seu non habentium contrarietatem. Equidem ut fatear ad multorum accidentium productionem extendi etiam contrario carentium, qualis est lux, quæ non destruitur, nisi ad productionem motus, & ubicationis aut opaci intermedii impedientis, aut luminosi aliò abeuntis, non tamen puto id esse in omnibus verum, impetus enim violenter impressus sensim destruitur ad nullius novi accidentis productionem. quamquam in hoc ipso corruptio per accidens fit ab exigentia gravitatis, & substantiæ, cuius conservationi, & naturæ violenta illa qualitas quodammodò contrariatur.

CAPUT VI.

Utrum in generatione substantiali fiat Resolutio usque ad materiam primam.

ubi

De subiecto materialium accidentium.

Sensus quæsiti est, an dum una substantia in aliam transit, nihil in genita perseveret de corrupta, nisi una materia prima. Sed potest id ipsum bifariam intelligi. primò, an maneat aliqua forma substantialis; & ad hoc partim dictum est in primo, ubi exclusi pluralitatem formarum ab eodem composito: partim dicam in lib. De Anima, ubi excludam specialiter pluralitatem animarum. secundò, an maneat aliqua forma accidentalis: & hoc est, quod in præsenti controvertimus, an maneant scilicet eadem accidentia in genito, quæ fuerant in corrupto, an verò cum veteri toto omnia prorsus accidentia intereant, & nova de integro à nova forma emanent. Quia verò cum hac quæstione illa est valdè affinis, ut constabit, qua quæritur de subiecto accidentium, sitne totum, an sola materia, & hæc rursus an omnia in se accidentia immediatè, an solam immediatè quantitatem, reliqua verò media quantitate recipiat, hanc etiam controversiam per occasionem tractabo.

§. I.

§. I.

Authorum sententiæ referuntur, & verior eligitur.

PRima sententia affirmat, in omni generatione substantiali dari resolutionem usque ad materiam primam. Pro hac citatur S. Thomas cum utroque ipsius magistro Alensi, & Alberto, Ægidius, Herveus. Cajetanus, Capreolus, qui in 2. d. 13. qu. un. ar. 3. ait, quod S. Thomas dum esset juvenis, tenuit opinionem Commentatoris de quantitate interminata materiæ coæva; deinde verò doctior factus oppositum docuit in summa, qui est quasi liber Retractationum ipsius. Sed hoc Capreoli dictum tanquam S. Doctori iniuriosum redarguit nota marginalis ab Aquario eidem apposita. Altera sententia, quam tuetur Henricus, Gregorius, Aureolus, Ockam, & nostri Recentiores passim post Averroem in l. de subst. orbis c. 1. negat fieri in generatione resolutionem usque ad materiam, sed multa accidentia, quæ fuerant in corrupto, manere numero eadem in genito.

Hanc ego sententiam amplector, eamque ut probem, suppono Philosophi doctrinam 1. de Gent. t. 58. ubi reprehendens Parmenidem, & Melissum, aliosque veteres ponentes unum dumtaxat, & immobile rerum naturalium principium, ait causam erroris in iis fuisse, quod transcendentes, despicientesque omninò sensum, de rerum naturis ex suo ingenio, non ex iis, quæ experientia teste contingunt, philosophati sunt; quasi unam rationem in physicis sequi ducem oporteret. quod quidem genus probandi secundum rationem, relicto sensu, textu deindè 59. demen-

mentiam appellat, & 8. phys. t. 22. infirmi intellectus hoc esse dicit, qui quia rationes quasdam sophisticas solvere non valet, sensui contraria opinatur. Jam verò manifestum per experientiam esse, non dari resolutionem eiusmodi in generatione, probatur communiter ex eo, quod in cadavere eadem accidentia deprehendimus, quæ in vivente; manet enim eadem quantitas, eadem figura, color, calor, cicatrix, nævus, eadem gravitas &c.

Respondent esse eadem non numero, sed specie. Sed unde hoc habent? aut qua ratione efficaci abrogandam esse sensibus fidem mihi persuadeant? Profectò quæ afferunt, vix & ne vix quidem terminos excedunt suspicionis, & coniecturæ; & physici non physicè procedunt; non enim rationem experientiæ, sed experientiam rationi accommodant, adeoque revera unam in physicis rationem sequuntur ducem, quod & sapienter vetuit Aristoteles, & sæpè Exteri Peripateticis exprobrant. Nec juvat, quod addunt, aptos ad hoc judicium sensus non esse, utpote qui judicare de eodem, & diverso non possint. Etenim sic hæc doctrina vera est, de rerum identitate nunquam erimus certi; unde enim scimus eumdem esse lapidem, eumdem hominem, nisi quia eadem, hoc est omninò similia accidentia deprehendimus? Et licet sensus non ipsi judicent de rerum identitate, de hac tamen intellectus non judicat, nisi dependenter à notitia per sensus collecta: quæ quidem parere in intellectu nata est physicam evidentiam; ac proindè ut ea evertatur, adduci ab adversariis oportuit, aut fidem divinam, aut evidentem rationem;

Præter hæc nulla est commodè assignabilis causa seu finalis, seu efficiens destructionis veterum, & productionis novorum omninò similium accidentium, non finalis; quæ enim natu-

naturæ utilitas in eo, quod accidentia, quæ ad novam formam disponunt, ejusdemque sunt proprietates, accedente forma sua, debeant omnia funditus interire? Præter hæc quorsum in cadavere calor, cicatrix, nævus producuntur, quæ nec sunt perfectiones, proprietatesque cadaveris, nec ad elementa, ad quæ est via cadaverica forma, ullo pacto conducunt? Non efficiens; quæ enim? culter ne, & laqueus possint ista efficere? an verò agentia universalia, cælum scilicet, & astra, ut contendit Goudinus in phys. 3. par. quæst. 1. ar. 3. quasi eorum sit scilicet conservare formam viventis, & dum ea non potest, aliam affinem gignere, quoad fieri potest, prioris accidentia imitantem? sed cur astra non semper cadavericam formam cum iisdem planè accidentibus producunt? aut undè determinantur ad similitudinem accidentalem cum destructo composito, ad quam sunt per se indifferentia?

Dices, determinari à materia prioribus accidentibus sigillata. Sed quid est tandem ista sigillatio? accidens, substantia, an neutrum: si neutrum, nihil est; adeoque nullam determinatam exigentiam poterit in materiam inducere. Si accidens; jam ergò non omnia accidentia veteris compositi destruuntur. Si substantia, vel forma cadaveris: at hæc nil tale exigit; vel materia; at hæc ad omnia per se est indifferens. Est, inquiunt, materia connotans priora jam destructa accidentia. Hoc quidem intelligi non potest, nisi priora accidentia determinent agens, ut post se alia sibi similia producat: quemadmodum una ubicatio determinat ad aliam immediate consequentem. Verùm si post se formam nihil tale exigentem petunt, non video, qua ratione id exigant; agens enim non determinatur in instanti generationis, nisi ad for-

mam, & ad ea, quæ sunt formæ connaturalia.

Recentiores nonnulli materiæ sigillationem ita exponunt. Cum materia in instanti generationis non possit dimoveri neque secundum partem, neque secundum totum à loco, in quo antea erat, cum ad motum requiratur tempus, neque ullus sit motus in instanti, consequens est, ut determinetur ad recipiendam forma cadaveris clausam, & circumscriptam eodem loco, quem habebat forma hominis: ex hoc fit, ut necessariò accipiat eamdem quantitatem, eamdem figuram, eosdem nævos, &c. Hinc præterea deducunt, habendum pariter idem temperamentum; si enim variaretur, alia raritas, & densitas haberetur, ad quas naturaliter sequeretur loci maioris, aut minoris occupatio, quæ fieri in illo instanti non potest.

Sed primò hæc responsio supponit generationem fieri in instanti mathematico exclusivo motus: quod à nobis est improbatum in tertio. Deinde an non ignis etiam generatur in instanti, adeoque in instanti habetur mutatio temperamenti in temperamentum, quam mutationem consequitur ingens diductio, raritasque materiæ? Præterea ut admittunt isti authores instantaneam productionem accidentium, quæ quidem per se petunt productionem successivam; quid pariter reformidant instantaneam mutationem secundùm locum per acceptionem novæ extensionis, & raritatis? Postremò quia in instanti non potest fieri mutatio secundùm locum, non sequitur fieri non posse variationem secundùm temperamentum, etenim novum temperamentum erit inductivum novæ raritatis (quam tamen raritatem alibi ostendam non semper induci à temperamento) quatenus, & quando potest. quare satis erit, si eam inducat tempore immediatè sequenti.

Obiic.

Obiic. 1. authoritatem Philosophi generationem definientis, quod sit mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente.

Resp. non negari ab Aristotele perseverantiam qualitatum sensibilium, sed asseri dumtaxat, non manere substantiam sensibilem, tamquam subiectum, & rectum primarium denominationum ab iis derivatarum, ut dictum est c. 1.

Obiic: 2. sequi ex nostra sententia, temperamentum geniti, id est proprietatem ipsius non oriri ab ipso.

Resp. non oriri adæquatè, & secundùm id, quod in temperamento est veluti materiale, & substratum; oriri tamen secundum ultimum, & formale, secundum quod temperamentum, quod prius fuerat solum propria dispositio necessaria ad productionem formæ, evadit propria perfectio necessaria ad eiusdem conservationem.

Obiic. 3. materia prius debet accipere formam substantialem, quàm accidentalem. sed nisi daretur resolutio, oppositum contingeret ergo datur resolutio. minor est certa; quia accidentia; quæ manent, prius tum tempore, tum natura essent in materia, quàm nova forma. prob. maior. 1. esse simpliciter prius est, quam esse secundùm quid. at forma dat esse simpliciter, accidens dat esse secundum quid. ergo prius est in materia forma, quam accidens. 2. idem est ordo in recipiendo, qui est in respiciendo. atqui à materia prius respicitur forma, quam accidens. ergo prius recipitur. 3. actus secundus supponit primum. forma est actus primus, accidens secundus: ergo formam supponit accidens.

Nego maiorem, si sensus sit de prioritate reali seù temporis, seù naturæ. Ad 1. prob. dico esse simpliciter ut potè finem præcedere ordine intentionis, sed ex hoc ipso debere se-

qui ordine reali executionis ad esse secundum quid, quod habet rationem medii. Ad 2. nego maiorem; oppositum enim contingit in ordine respicientiæ, qui est ordo intentionis, ac in ordine receptionis, qui est ordo executionis. sic sanitas, quæ ab ægroto primò respicitur, ultimo tamen recipitur. Ad 3. aliter stat actus secundus in maiore, aliter in minore, in majore actus secundus sumitur pro operatione, & actus primus pro principio. in minore actus secundus sumitur pro forma imperfecta, quæ est de secundaria intentione naturæ, & actus primus pro forma perfecta, quæ est de naturæ intentione primaria, quare consequentia nulla est.

Instat Goudinus. esse simpliciter, etiam in executione, est prius, quam esse secundùm quid; ut prius est, etiam in executione, esse hominem, quam esse doctum. Sed hæc instantia generale principium, quod probandum inductione fuisset, probat uno particulari exemplo: in quo est particularis etiam ratio. doctrina enim non pertinet ad dispositiones essendi, sed pendet ab operatione vitæ intellectivæ, quæ esse non potest, nisi à principio vivente perfecto. Deindè probat ad summum, quod esse secundum quid in eo, quod est propria perfectio, pendeat ab esse simpliciter, sitque illo posterius, non verò, quod pendeat in eo, quod est propria dispositio,

§. II.

Statuitur subiectum accidentium.

Communiter ex eo, quod accidentia corrupti manent eadem in genito, arguunt accidentia non recipi in toto, sed in materia; aliter mutarent subiectum; quæ mutatio

tatio impoſſibilis exiſtimatur. Hanc tamen ego ſequelam puto negari poſſe, & mediam quamdam viam iniri, qua utriuſque ſententiæ authores concilientur. Thomiſtæ enim fortaſſe non admittent reſolutionem, ſi poſſit hoc ſtare cum eo, quod accidentia recipiantur in toto: unica enim ferè apud ipſos ratio reſolutionis eſt, quæ ducitùr à receptione accidentium in toto. Nominales verò, ac Recc. non negabunt accidentia eſſe in toto, ſi nulla hinc ſequatur reſolutio. Hoc ut præſtem per partes,

Dico 1. Tranſitus ille de ſubiecto in ſubiectum, qui ſupponitur accidenti repugnare, debet eſſe tranſitus de ſubiecto ſuſtentationis, non autem de ſubiecto meræ receptionis. Prob. ſubiectum ſuſtentationis, ſeù inhæſionis eſt illud, dependenter à quo forma eductivè producitur; at ſubiectum meræ receptionis, ſeù adhæſionis eſt illud, in quo forma ità recipitur, ut tamen ab eo nullatenus pendeat; quale ſubiectum eſt corpus relatè ad animam rationalem. Jam verò id nunc contendo, quod ſi accidenti ſit duplex ſubiectum, alterum ſuſtentationis, alterum receptionis, illud non poterit mutare accidens hoc poterit. ſic. n. arguo. Non poſſe eſſe ſine hoc ſubiecto ſupponit hoc, quod eſt non poſſe eſſe ſimpliciter ſine ſubiecto. atqui ex vi ſolius ſuſtentationis forma non poteſt eſſe ſine ſubiecto; cum ex vi receptionis meræ poſſit. ergò ex vi ſolius ſuſtentationis non poterit forma eſſe ſine hoc ſubiecto, quod eſt non poſſe mutare ſubiectum.

Dices 1. non modo forma non poteſt mutare ſubiectum ſuſtentationis, ſed neque receptionis, ut conſtat in anima rationali, quæ licet recipiatur in corpore, & non ſuſtentetur à corpore, non tamen migrare poteſt de corpore in corpus. Id certe à fortiori. verum

rum erit de accidente, Et quid creatio utcumque accidens subiecto suo dumtaxat adhærens, non potest tamen à suo in aliud transire subiectum.

Resp. & animam, & creationem posse mutare subiectum quantum est præcisè ex vi modi, quo subiectis suis cum omnimoda independentia coniunguntur: quod unum in præsenti contendimus. aliundè tamen non possunt. anima quidem; tum quia id foret inconveniens universali naturæ exigenti, ut novo subiecto nova forma tribuatur. tum quia id foret inconveniens naturæ ipsius animæ, cui post divisionem à corpore debetur non aliud corpus, quod est alia via, sed terminus felicitatis, aut miseriæ pro meritis, aut demeritis. tum demum, quia cum anima non aliud habeat subiectum, quam merè receptivum, si hoc mutaret, mutaret omninò subiectum adæquatum; quod formæ universim fortasse repugnat. at si accidens retineat solum subiectum sustentativum, nec dicitur mutare subiectum omninò, nec subiectum simpliciter, quod relatè ad formam materialem non est, nisi subjectum inhæsionis. Creatio autem non potest mutare subiectum ratione non adhæsionis utcumque, sed modalitatis, & addictionis; est enim actuale exercitium; & subiecto adhæret formaliter per se ipsam: quod non est reperire in accidente absoluto.

Dices iterum. quod subiectum transeat de forma ad formam, habet à sua potentialitate, & determinabilitate, forma vero est actus determinativus, ergo non potest mutare subjectum ne adhæsionis quidem. Conf. non potest oculus, aut caput ab uno homine transferri in alium. ergo nec forma ab uno subiecto in aliud transire, cum plus pendeat forma à subiecto, quam pars animalis à corpore reliquo.

Resp.

Resp. formam absolutam, de qua est quæstio, ipsam quoque indifferentem esse ad hoc, & illud subiectum, neque uni præ alio addici. quarè ex hoc capite poterit mutare subiectum quoque inhæsionis. Ad conf. dico. quod si quid paritas ea valet, probat id unum, non posse formam mutare subiectum, à quo pendet, & à quo proindè plus pendet, quam pars una corporis à reliquis. non verò subiectum, quod merè perficit sine ulla dependentia.

Dico 2. sola materia est subiectum sustentationis accidentium materialium absolutorum. Prob. ex una parte materia est capax sustentandi se sola omnia accidentia; nàm & sustentat de facto formam materialem, nec plus requiritur ad sustentandum accidens, quam formam, imò nec plus requiritur ad sustentandum accidens simul, & formam; vis enim sustentativa non est virtus, & perfectio, sed mera passivitas, & perfectibilitas, ut in superioribus abundè est declaratum. Ex altera parte statuendo materiam unam sustentare accidentia, aliquid dicimus rerum naturis aptius, & congruentius; nam primò salvamus, non dari in generatione resolutionem superiori §. exclusam, 2. salvamus rationem perfecti nexus inter materiam, & formam; qui nexus indè est, quod cum completa natura constitui debeat ex principio activo, quod est forma, & passivo, quod est materia, quemadmodum causalitatem activam negamus materiæ, ità & passivam formæ in ordine ad ea, quæ propria totius. atque hinc est mutua indigentia utriusq; partis, ratione cujus una sine altera esse naturaliter non potest.

Dico. forma materialis congruentius statuitur subiectum meræ receptionis accidentium materialium absolutorum. Prob. omne ens naturale, quod est intrinsecè per sua accidentia perfectibile, debet intrinsecè per

eadem perfici, adeoque intrinsecè cum iis uniri. atqui hoc pacto comparatur cum suis accidentibus forma. ergo. min. prob. propria enim perfectio substantiæ creatæ, in qua differt ab increata, est, ut sit omninò mutabilis, adeoque ut sit à suis accidentibus intrinsecè perfectibilis: quæ quidem imperfectio si convenit substantiæ simplici, & completæ, qualis est Angelus, & incompletæ perfectissimæ, qualis est anima, quid ni conveniat etiam formis inferioribus?

Conf. qualitates sunt procul dubio proprietates formæ, ut quantitas materiæ. Ut ergo materia intrinsecè participat quantitatem, ità & forma qualitates, si nihil obstet. quid autem obstet aut naturæ, ut perficiatur per proprietatem, aut proprietati, ut perficiat naturam? quod quidem tanto magis est verum, quia perfectiones omnes accidentales à natura ordinantur non solum ad perfectionem materiæ, sed principalius etiam formæ, adeoque non solam materiam, sed formam etiam debent intrinsecè perficere.

§. III.

Objecta contra superiorem doctrinam diluuntur.

Objic. 1. ex Goudino. materia per se non est capax ut accidentia sustentet, sed fit capax per formam. quod probat 1. quia non potest sustentare per se, quod per se non existit; esse enim est primum, quod accipitur, & quod cæteris substernitur. materia autem non existit, nisi per formam. 2. quod substernitur accidentibus, debet prius in se subsistere. materia autem per formam ut existit, ità & subsistit. 3. forma substantialis est prius in materia, quam formæ accidentales;

tales ; in hoc enim stat proprius conceptus formæ substantialis, ut sit actus primus materiæ. 4. addunt alii, impediendam rationem unius per se, si prius materia accidentibus, quàm formæ copuletur; mediaret enim accidens inter actum, & potentiam substantiales.

Resp. negando assumptum. ad 1. prob. satis est dictum in primo, ubi ostensum est materiam per se existere. ad 2. negatur maior; subsistentia enim sivè modus sit positivus, sivè negatio, non pertinet ad formalem accidentium, physicamque receptionem; aliter Verbum in Christo substerneretur physicè accidentibus Humanitatis: sed solùm pertinet ad receptionem logicam, & denominativam. Ad 3. patet ex dictis §.1. in quo sensu forma debet esse prior accidentibus in genere scilicet causæ non efficientis, aut subiectivæ, sed finalis. Ad 4. dico formam non recipi mediis accidentibus tamquam subiectis, aut formalibus rationibus recipiendi, sed tamquam dispositionibus ex parte materialis causæ requisitis; adeoque non impediri rationem unius per se, quæ habetur per immediatam unionem proportionati susceptivi cum suo susceptibili.

Obiic. 2. Si quantitas debet universim adhærere formæ, etiam deberet adhærere animæ rationali. consequens est absurdum, cum anima spiritualis non sit apta, ut substernatur quantitati, primo inter materialia accidentia, quodque primo sequitur fundamentum totius materialitatis. sequela prob. eadem enim videtur utrobique ratio; siquidem ut totum materiale denominatur quantum, & calidum, ita & homo.

Nego sequelam, unio enim, quam statuo in accidentibus, non est indivisibiliter ad totum, sed divisibiliter ad partes, quæ aliter

respiciuntur, materia quidem, ut sustentans, forma ut recipiens. Iam vero anima rationalis considerata seorsim à materia non habet accidentium eiusmodi capacitatem; aliter posset ea recipere etiam separata à corpore. Neque instes, in homine etiam qualitates sequi formam, adeoque debere in ea recipi. Resp. enim, aliter in homine qualitates sensibiles sequi formam, aliter in compositis purè materialibus; in his enim sequuntur formam ut perfectivæ proportionatæ: in homine sequuntur animam, ut merè exigitæ ad conservationem, operationesque totius.

Ad prob. sequelæ respondeo afferri non causam pro causa; ut enim totum denominetur, est satis, si accidentia in una tantum parte recipiantur. quod facilè prob. tum à posteriori; ex hoc enim quod juxta omnes sola anima in se recipiat actus intelligendi, & volendi, satis denominatur totus homo intelligens, & volens. tum à priori; quia quidquid est partis, eo ipso est totius, cuius est pars: accidentia ergo, quæ parti insunt, possidentur à toto, illudque proindè denominant; hoc enim importat denominatio accidentalis v.g. calidi, habere physicè, ac possidere calorem.

Obiic. 3. Quidquid movetur, ab alio movetur. sed si forma reciperet sua accidentia, moveret se; nàm & illa efficeret, adeoque esset movens; & sibi tribueret, adeoque esset mota. ergo non potest illa in se recipere.

Maior, quæ est Philosophi, debet ità intelligi, ut nullum mobile sit principium adæquatum sui motus. cæterum posse mobile movere se inadæquate, constat in viventibus, quorum est proprius motus à se in se.

Instabis, futurum saltem, ut forma recipiens adhæsivè sua accidentia, moveret se vitaliter ad illa, & per consequens quælibet forma esset anima.

Ne-

Nego sequelam. quid autem sit opus, ut motus à se in se sit vita, declarabitur in de Anima.

Obiic. 4. Ideò calor non solum materiæ, sed etiam formæ ignis unitur, quia est perfectio formæ ignis. atqui non est perfectio formæ aquæ, sed imperfectio. ergo saltem dum recipitur calor violenter in aqua, in sola recipitur aquæ materia. atque idem valet in omnibus accidentibus violenter inductis.

Hæc consequ. admitti poterit, & negari. admitti quidem, quia nihil habet, quod adversetur traditæ doctrinæ, negari verò, quia receptivitas formæ id secum videtur afferre, ut ab aliis accidentibus perficiatur, ab aliis imperficiatur; hoc enim habet universim omne determinatum receptivum, quod non est ad omnia indifferens, ut materia. Ità intellectus intrinsecè perfectibilis per scientiam est intrinsecè etiam imperfectibilis per errorem; & voluntas intrinsecè perfectibilis per actum virtutis potest intrinsecè per actum peccaminosum imperfici. Pariter ergo forma aquæ intrinsecè perfectibilis per frigus poterit intrinsecè imperfici per calorem; quia scilicet ea est conditio creatæ perfectibilitatis, ut in eadem linea alicuius semper imperfectionis sit capax.

§. IV.

Immediatum qualitatum subiectum non est Quantitas, sed Materia.

P. Suarez dispu. 14. met. sec. 4. quem sequitur Oviedus de Gen. contr. 1. pun. 2. aliique nostri Recc. passim, putat qualitates non sustentari à materia immediatè, sed me-

dia quantitate, ut servetur scilicet ordo quidam in sustentatione, & materiali causalitate; nam quantitas, quæ est maximè materiæ congenea, deque ejus passivitate participans, materiæ inest; at qualitates succedentes ipsa deindè quantitas materiæ nomine in se suscipit, & sustentat.

Equidem oppositum puto verius, & sequor Gregorium in 2. d. 12. quæst. 2. art. 2. (sunt, qui volunt Gregorium, & Nominales perperam pro hac sententia citari à nobis, quod scilicet quantitatem à materia, & qualitatibus distinctam negant, sed Gregorius revera hoc ipsum asserit in suppositione distinctionis) Capreolum in 1. d. 3. quæst. 3. art. 2. in resp. ad tertiam instantiam Scoti contra primam rationem D. Thomæ, ubi negat colorem recipi in superficie, quæ est de genere quantitatis, Aureolum, & Scotum apud eundem Capreolum in 2. d. 18. q. un. ar. 2. quamvis revera Scotus in 4. d. 12. q. 2. nihil determinat, sed solum refert rationes pro parte opposita; quam non reprobat. Hoc idem sentiunt Bassolus, Marsilius, Major, Aliacensis apud Con. 1. de Gen. cap 4. q. 4. ar. 2. & ex Recc. Lessius, Hurtadus, & Arriaga.

Neque verò huic sententiæ, quidquid dicat loco cit. Suarius, refragatur D. Th. qui licet 3. par. quæst. 77. art. 2. contendat in Sacramento Eucharistiæ quantitatem qualitatibus substerni, non tamen declarat, utrum ratio subjecti competat ibi quantitati ex natura rei, an, posita destructione substantiæ, miraculosè. imò verò hoc secundum esse de mente ipsius, argui potest ex respons. ad 1. ubi ostensurus, quid sit unum accidens esse subjectum alterius, ait, hoc nihil aliud importare, quam unum accidens recipi in subjecto, mediante alio: quæ mediatio haberi potest per hoc, quod unum sit dispositio subjectiva ad aliud tum concludit

his.

his verbis: *unde quando accidenti datur, ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse*. ex quibus conficio mentem D. Thom. non esse, quod quantitas sit subjectum accidentium, nisi cum per se est, h. e. tunc, cum deficit substantia.

In hâc ipsam sententiam inclinat Aristoteles in prædic. c. de subst. ubi ait illud esse substantiæ maximè proprium, ut sit susceptiva contrariorum per sui mutationem. at juxta adversarios quantitas etiam per sui mutationem contraria susciperet. Præterea 4. met. t. c. 14. ait, quod accidens non est accidenti accidens, nisi quia utrumque eidem accidit. quod quidem dictum in sui universalitate esset falsum, si accidentia quantitati inessent; tunc enim quantum esset album, non quia accidunt eidem communi subiecto, sed quia albedo accidit quantitati. Scotus credit hoc dici à Philosopho illativè contra adversarios, non autem ex suo sensu: sed non rectè, ut videre est in textu.

Probatur jam hæc sententia ratione. Dupliciter fingi potest quantitas subiectum accidentium. 1. ut principaliter, & ultimate terminet eorum dependentiam, omnemque ab iis denominationem accipiat; atque ita certum est apud omnes quantitatem subiectum reliquorum accidentium non esse, cum hæc ratio subiectandi substantiæ sit propria. 2. ut proximè, immediatè, & ut quo accidentia sustentet, ita scilicet, ut simul ipsa recipiatur in substantia, cui una tota serviat ipsius receptio, & cui denominationes ex tali receptione provenientes ultimò tribuantur; atque ita communiter volunt quantitatem esse qualitatum susceptivam. Ex quo constat, ita discurrentes admittere instrumentum in linea subiecti, & sustentativi. quemadmodum enim qualitas est instrumentum formæ, quod actio-

a qua-

à qualitate proveniens non ipsi, sed formæ tribuitur: item quantitas esset substantiæ in receptione instrumentum; quia receptio non ipsi, sed substantiæ tribueretur, nec tam diceretur quantitas recipere, quam substantia per quantitatem. Huc facit distinctio subiecti quod, & subiecti quo; dicunt enim substantiam esse subjectum quod, quantitatem verò subiectum quo: quod manifestius ostendit, quantitatem esse in linea subiecti non principium, sed instrumentum receptionis. Hoc posito, sic arguo.

Si quantitas in se immediatè qualitates reciperet, esset in linea subiecti connaturale instrumentum. atqui instrumentum connaturale in tali linea est impossibile. ergo non potest quantitas immediatè in se accidentia recipere. prob. min. omne instrumentum connaturale datur principali ob indigentiam, & limitationem ipsius, quare agenti increato nullum est connaturale instrumentum, quia nulla in eo indigentia, & nulla limitatio. atqui nullum subiectum principale indigere potest instrumento ad recipiendum. 1. quia si subiectum est potens recipere ipsum instrumentum; erit etiam per se potens recipere alias formas, quia non plus requiritur ad recipienda multa, quam unum, ut sæpè dictum est. 2. quia causæ efficienti creatæ datur instrumentum ob indigentiam, defectum, defectumque virtutis, ac perfectionis. deberet ergo in principali subiecto supponi defectus, ut illi tribuatur subiectivum instrumentum. sed si supponitur defectus, eo ipso non habet indigentiam instrumenti; receptivitas enim non est, nisi defectus, & imperfectio. si ergo in principali subiecto supponitur defectus, supponitur receptivitas: & si maior defectus, maior receptivitas; adeoque ob defectum non potest illi tribui instrumentum ipsius vice receptivum. Multò minus potest materiæ concedi in hac linea instrumentum ratione perfectionis;

nis; est enim mera potentialitas, & passivitas: & ratione perfectionis nulli unquam tribuitur instrumentum, quod sequitur indigentiam, adeoque imperfectionem.

Ut vis argumenti appareat magis, noto, quod licet receptivitas non involvat puram imperfectionem, sed mixtam, formaliter tamen in sola imperfectione fundatur. quod constat ex ratione ipsa mobilis, quod mobile præcisè est, non quia habet, sed quia caret. hinc motus definitur actus entis in potentia prout in potentia. Nunc sic. Ratio A fundata præcisè in ratione B, non potest minui præcisè ex incremento rationis B, ut patet consideranti terminos. at receptivitas fundatur in una imperfectione. ergo minui receptivitas non potest ex augmento imperfectionis. Hoc autem contingeret in receptivitate mediata materiæ; in qua cresceret imperfectio; plus enim, & melius est immediatius conjungi cum perfectione sua. quare perfectissima potentia receptiva, qualis est substantialis, excludit omne medium. Sed hoc incrementum imperfectionis trahit decrementum receptivitatis: minor. n. est mediata, quàm immediata receptivitas, sicuti activitas mediata minor est ex suo conceptu, quam activitas immediata.

Obiic. 1. Quantitas est dispositio prævia ad introductionem formarum accidentalium; & est earumdem proportionatum susceptivum. ergo debet illas in se recipere.

Nego alteram partem antec. & quidem si quantitas esset aliorum accidentium susceptiva, non video, cur qualitas prima non sit etiam susceptiva secundæ, calor v.g. saporis. neque ullius est momenti, quod ajunt, quantitatem sequi naturam materiæ, qualitatem formæ; forma enim ipsa aliquo modo receptiva est, ut supra dixi.

Obiic. 2. fundamentum præcipuum adversa-

riorum ex Eucharistiæ sacramento desumptum. Remanent in Eucharistia qualitates in quantitate receptæ: ergo quantitas est connaturale subjectum qualitatum. anteced. prob. 1. species Eucharisticæ percipiuntur à sensibus: sensus autem non sentit qualitatem, sed quale, v. g. oculus non videt albedinem, sed album, nec manus sentit calorem, sed calidum. est ergo in hostia & album, & calidum; adeoque albedo, & calor sunt in subiecto, & non nisi in quantitate. 2. si dicatur oppositum, plura sunt in hoc Sacramento admittenda miracula, quam oporteat. tum quia deberent qualitates conservari à Deo creativè. tum quia dum movetur unum accidens, nulla esset ratio, cur divisim moverentur, & alia, si non sunt in eodem subjecto colligata. 3. Hostia consecrata alteratur ab agente naturali, ut docet experientia, cum calefiat, & frigefiat ab ambiente. atqui si nullum ibi esset alterationis subjectum, contingere id omninò nequiret, aliter agens naturale crearet. ergò est ibi subjectum, nec aliud à quantitate.

Resp. 1. negandò consequ. non enim video, cur dici non possit accidentia in Eucharistia esse in quantitate, ut in subiecto non naturali, sed obedientiali, ut innuere videtur D. Thomas relatus.

Resp. 2. negando anteced., quod fuit multo antè negatum à Magistro in 4. d. 12. ubi hæc habet: *Si autem queritur de accidentibus, quæ remanent, id de speciebus, & sapore, & pondere, in quo subjecto fundentur, potius mihi videtur fatendum existere sine subjecto, quam esse in subjecto.* & paulò infrà: *Remanent ergò illa accidentia per se subsistentia ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium.* Atque hoc certe videtur Patrum, & Ecclesiæ sensui magis accommodatum, dum sine

ulla

ulla distinctione asserunt universim accidentia manere in Eucharistia sine subjecto; ut videre est in definitione Concilii Constantiensis sess. 8. ubi damnat 45. propositiones Vvicleffi, quarum secunda erat, Accidentia panis non manent sine subiecto. Et quamvis respondeant Concilium intelligendum de subiecto substantiali, & ultimato, quia tamen Concilium loquitur universalius, & potest in tota illa universalitate commodè accipi, nihil est, cur restringatur. Tanto magis, quod in adversariorum sententia propositio definita in rigore non esset vera: ut enim non rectè dicitur deficere simpliciter causa, dum locum ipsius supplet instrumentum; neque enim bene diceretur ignis non esse ab igne, quia est à calore, & homo non esse ab homine, quia est à semine, ita planè si quantitas sit instrumentum substantiæ in receptione accidentium, non rectè, nec rigorosè dicuntur qualitates esse sine subiecto, etiam substantiali, si sunt in quantitate, quæ supponitur connaturale substantiæ in receptione instrumentum.

Ad 1. antec. prob. dico, albedinem videri, calorem sentiri per se, & formaliter, album, & calidum nonnisi denominativè. quare cum maneat in Sacramento albedo, & calor, manet id totum, quod per se habet terminare visum, & tactum, quod & ipsi fateantur oportet adversarii; sentitur enim ibi etiam quantitas, quæ pertinet ad communia sensibilia, nec tamen sentitur quantum; quia nullum est ibi quantitatis subiectum.

Ad 2. multiplicantur miracula juxta varias rerum exigentias, quæ à Deo extra ordinem operante violantur: nec est in ipsis attendenda necessitas, sed arbitrium Creatoris. quare non satis apte arbitror à multis usurpatum illud, non sunt multiplicanda miracula

sine

sine necessitate; si enim miraculum est, à necessitate non pendet, sed ab omnipotentis libertate. Melius diceretur, non esse astruenda miracula sine authoritate. at scimus ex fide in Eucharistia manere accidentia sine subiecto. quæ vero, & quot exigentiæ in hoc uno violentur, pertinet ad physicum rerum naturas scrutantem decernere; nec nisi præpostere naturam per miracula investigamus, cum potius miraculum innotescat per naturam, cuius vires, & exigentiam superat. Ad rem igitur veniendo, primum dico, omnia accidentia creativè à Deo conservari, quia omnia manent sine subiecto. & qui absurdum hoc putat, intelligat hanc ipsam esse, quam discutimus, quæstionem. Deindè dico accidentia simul semper moveri, quia uniformiter eumdem impetum accipiunt. Adde, mutuo etiam ea colligari cum Christi corpore non quidem physica unione, qualis intercedit inter formam, & subiectum, sed alio genere unionis, quam explicat Suar. to.3. in 3.p. disp. 47. sect. 3. per quamdam efficientiam, & attractionem unius ad alterum, qualem experimur in magnete trahente ad se ferrum. atque hinc est, ut ad motum unius reliqua etiam hostiæ accidentia moveantur.

Ad 3. hostia consecrata naturaliter à creato agente alterari non potest, sed ad præsentiam ipsius creatur qualitas successivè à Deo ob mysterii occultationem, & Fidei exercitium. Idque potest dupliciter contingere, vel enim Deus id efficit immediate se solo, eo tamen ordine, ac modo sensibili, quo effici à naturali agente deberet, si subiectum adesset: vel utitur ad hoc opera ipsius agentis ad creandum obedientialiter elevati.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA

De Alteratione.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Alteratio, & an nulla habeantur in ea corpusculorum immissiones.

Alteratio strictè sumpta stat pro mutatione qualibet accidentali juxta ea, quæ Porphyrius c. de Diff. distinguit inter facere aliud, & facere alterum, & illud ait esse proprium substantialis differentiæ, hoc verò accidentalis. Strictius sumpta sonat alteratio mutationem in qualitatibus seu destructivis, seu perfectivis: quo pacto oculus etiam, dum videt, & aer dum illuminatur, dicitur alterari. strictissimè sumpta stat pro mutatione in qualitatibus contrarium habentibus, qualis est calefactio, ac frigefactio; atque ita etiam restrictionem vulgo sortitur ad solam mutationem corruptivam; sic enim animalia dicuntur alterari, dum calor aut frigus justam temperiem excedunt.

Hanc Philosophus 1. de Gent. t. 23. sic definit: *Alteratio est mutatio in passionibus contrariis, aut mediis, manente eodem sensibili subjecto*. Mutatio, quæ hic sumitur, ut est genus ad motum, est illud commune, in quo alteratio cum generatione, motibusque reliquis consentit. Dum additur, in *passionibus*, h. e. qualitatibus, per quas subiectum afficitur, alteratio ab aliis motibus secernitur. Per verba sequentia, *contrariis, aut mediis*, strictissima alteratio designatur, quæ est quandoque ad qualitates extremas, ut ad calorem, & frigus in summo, quandoque ad medias, ut ad te-

porem. Dicitur demum, *manente eodem sensibili subiecto*; ut exprimatur, quod est proprium alterationis per se, & formaliter considerate, ut in ipsa scilicet compositum substantiale, quod est sensibile subiectum, maneat omninò idem; ex hoc enim dicitur alteratio, quod alterum faciat, non aliud subiectum.

In tres porrò species dividitur alteratio; quarum prima ex defectu vocabuli obtinet nomen generis, diciturque alteratio simpliciter; altera est intensio: tertia remissio. prima est mutatio à non qualitate ad qualitatem, ut cum subiectum à non calido fit calidum. altera est mutatio à qualitate minori ad maiorem, ut cum à calido ut unum fit calidum ut duo. tertia est mutatio à qualitate maiori ad minorem, ut cum à calido ut duo fit calidum ut unum.

Jam verò ad alterationis naturam melius tenendam illud videndum est, an dum corpus alteratur, frigesit nim. aut calesit, nullæ habeantur corpusculorum, atomorumque immissiones, & effluvia. Hæc quidem Atomistæ non solum admittunt, sed in iis unicè putant totam alterationem absolvi, impugnantque Peripateticos, quasi effluvia istiusmodi inficientur adversus compertissimas experientias. Sed revera fingunt hostes, quos feriant; neque enim Peripatetici effluvia calida, frigida, humentia, & sicca negamus, quamquam ea nominibus aliis halituum nimirum, vaporumque donemus. quin etiam addimus ad alterationem ea conducere maximè, non tamen in iis alterationem consistere; quod est, alterationem ea efficere, non esse.

Utrumque probo de mente Aristotelis fuisse. Et quidem 4. Meteororum textu apud Cabeum 34. *sunt*, inquit, *combustibilia, quacumque habent meatus susceptivos ignis*. & 1. Meteororum textu apud eundem 45. loquens de vapore per calorem attenuato, elevatoque, *cum autem*

tem,

tem, ait, *caliditas, quæ duxit ipsum sursum, derelinquit, & illa quidem disperditur ad superiorem locum, &c.* ubi caloris nomine intelligit ignem vapori immixtum, à quo & calefit, & sursum ducitur vapor: quod ex eo est manifestum, quia vult calorem hujusmodi non destructione perire, quod est proprium accidentis, sed sursum, derelicto vapore, altius evolare. Hoc idem frequenter habet in problematis, præsertim sec. 24. probl. 3. ubi quærens, cur aqua facta interdum calidior, quam flamma; ligna comburere non possit, flamma possit; respondet id ex eo esse, quod flamma tenuior est, spiritusque ex ea proficiscens partibus tenuissimis constat, quæ facilè combustibilia subeunt, & resolvunt: aqua verò crassiuscula est; & propterea subire non potest: Sanè verò non aliter debet contingere, si alterationis natura spectetur, quæ scilicet ad generationem est via; cum enim mixti cujusvis generatio prævia mixtione substantiarum elementarium perficiatur; consequens est, ut strictam alterationem corpusculorum immissio, effluviumque comitetur in aliena se corpora penetrantium, ut penitus suam illis actionem insinuent.

At non hanc esse formaliter alterationem juxta Philosophum constat tum ex iis, quæ de ipsius mente super rerum principiis disputavi; tum ex notione mixtionis tradita 1. de Gen. t. ult. ubi mixtio dicitur *miscibilium alteratorum unio*. quod si alteratio mixtio esset, ad explicandam mixtionem mixtio inepte adhiberetur. Id ipsum est manifestum ex eo, quod hic suppono, dari qualitates physicas à rerum substantiis omninò distinctas, & accidentales, quarum productio ex communi Peripateticorum sensu alterationis nomen sortita jam est.

CA-

CAPUT II.

An, & cur alteratio sit successiva.

DUplex successio potest in progressu alterativo considerari; altera est secundum extensionem, dum scilicet una pars qualitatis in unam prius subiecti partem agenti propiorem, deinde alia in remotiorem inducitur; ut cum ignis prius calefacit partem aeris viciniorem, & successivè ad alias distantes calefactionem extendit. Altera est secundum intensionem, dum, stante eadem proximitate agentis ad passum, in eadem parte subiecti magis, magisque qualitas intenditur; ut cum ignis easdem aeris partes magis sensim, magisque calefacit. Utraque hæc successio constat ab experientia. quare id unum superest, ut causa inquiratur.

Dico igitur, successionem in qualitatibus contrarium non habentibus oriri ex successivà applicatione agentis ad passum: in iis verò, quæ contrarium habent; oriri etiam ex contrarii resistentia. Prob prima pars; lucerna enim prius unam, deindè alteram aeris partem illuminat, quia uni prius, alteri deinde admovetur, & eandem partem magis, magisque illuminat, quia magis eidem, magisque admovetur. quod si maneret immota, illuminatio eadem semper foret invariata. Prob. secunda pars; dum enim agens contrarium immotum manet, adhuc successivè producitur qualitas in passo, ut experiri est in igne sensim calefaciente manum, æqualiter quamvis semper approximatam. Quod certè aliunde manifestius esse non potest, quam ex frigoris contrarii pugna, & resistentia, & sui destructionem, & productionem caloris, quoad fieri potest, retardante.

te.

te. Jam verò id supereſt, ut eiuſmodi reſiſtentia quid ſit, explicetur.

Duplicem authores communiter reſiſtentiam diſtinguunt, activam unam, paſſivam, ſeu formalem alteram. Primi generis eſt reſiſtentia, qua unum agens in aliud reagendo eius vires imminuit, atque ita indirectè eius actionem impedit, ac retardat, atque hæc eſt reſiſtentia impropriè dicta. Alterius generis eſt reſiſtentia, quæ per ſe, & directè impedit actionem, quatenus forma exiſtens in ſubiecto exigit ſui conſervationem; adeoque exigit, ne in idem ſubiectum inducatur forma contraria. hęc autem exigentia nonnunquam eſt tanta, ut eam agens ſuperare vix poſſit; quemadmodum videre eſt in nonnullis mixtorum formis, præſertim metallorum, quæ vix à quoquam naturali agente ſeparari à materia poſſunt. nonnunquam eſt tanta, ut ſuperari non poſſit, niſi per partes, ut eſt in omnibus qualitatibus habentibus contrarium, quæ exigunt ita eſſe in ſubiecto, ut oppoſitum agens contrariam qualitatem vel non introducat, vel ſolum ſucceſſivè, & gradualiter introducat. Hæc verò reſiſtentia paſſiva cuicumque formæ competit, etiam ſubſtantiali, neque verò dumtaxat in ordine ad ſui deſtructionem, ſed etiam in ordine ad deſtructionem propriæ qualitatis, ut probabitur infra, ubi graduum homogeneitas aſtruetur.

Obiic. 1. ſucceſſio in motu locali non ſolum eſt à reſiſtentia medii, ſed etiā natura ipſius motus. ergo ſucceſſio alterationis, non ſolum eſt à reſiſtentia contrarii, verùm etiam à natura ipſius qualitatis. malè ergo in ſolam reſiſtentiam contrarii reiicitur ſucceſſio ſtrictæ alterationis.

Equidem non dixi à ſola reſiſtentia naſci alterationis ſucceſſionem. hanc unam attuli cauſam; quia una hæc eſt certa, ac manifeſta.

Cæ-

Cæterum an qualitas contraria eius sit naturæ, ut quamvis supponatur passum contrario penitus spoliatum, debeat adhuc in illud successivè introduci, quia id proprium fortassè est qualitatis destructivæ, dubium est; & pars affirmativa non est omninò improbabilis; non quidem ex paritate lationis, in qua specialis est ratio propter ubicationum incompossibilitatem; sed quia, ut dictum est, non solum qualitas, sed etiam forma ipsa resistit.

Obiic. 2. Qualitas nec resistit, dum est; nec, dum non est. ergo nulla est qualitatis resistentia, in quam refundatur alterationis successio: antecedentis prima pars prob. 1. quia resistere est impedire suam destructionem. sed qualitas, dum est, non potest destrui. ergo dum est, non resistit. 2. quia non resistit qualitas, nisi contrario. at dum est qualitas, contrarium non est. ergo dum est, non resistit; neque enim dari potest resistentia sine termino, cui resistitur. Eiusdem antecedentis prob. secunda pars 1. quia resistere est impedire actionem agentis. at dum qualitas non est, actio est. ergo dum non est, non resistit. 2. quia resistere, ut, & agere sequitur ad esse. quare ut non potest agere, ita nec resistere, quod non est.

Nego primam partem antecedentis. ad 1. prob. vel nego, vel distinguo consequens: non resistit pro instanti, in quo est; concedo: pro sequentibus, nego consequ. Resistentia, ut dictum est, confunditur cum exigentia, quam habet qualitas, ut sit: & quia dum est, exigit esse pro instantibus sequentibus, & non destrui pro iisdem, nisi à contrario validiore, & solùm successivè per partes; dum est, resistit agenti, quatenus pugnat, non ut habeat existentiam tunc, cum illam habet (ad hoc enim nulla opus est pugna) sed ut illam in tempore sequenti retineat. Ad 2. dico peccari in

prava imaginatione; fingit enim arguens pugnam qualitatum ità, ut existentes in eodem subiecto, veluti gladiatores in arena, sese invicem ab eo pellant, ac mutuo jugulum petant. Sed non est ità; qualitas enim quæ est. pugnat in qualitatem, quæ non est, quatenus illam in eodem subiecto non compatitur. Quamquam reverà qualitas non resistat qualitati, sed agenti contrario, in cuius præsentia firmat gradum naturali quadam constantia; & obstat, quo minus agens contrariam qualitatem aut omninò, aut in instanti producat.

Obiic. 3. Hæc doctrina insufficiens videtur; quia ostendit dumtaxat causam successionis in intensione, non verò in extensione qualitatis, quoties agens est immotum. ignis enim immotus, non solùm producit calorem successivè in eadem parte subiecti, verùm etiam eundem calorem successivè extendit in alias, & alias subjecti partes.

Resp. successionem extensivam nasci ab intensiva, si supponatur, quod c.4. probabitur, agens intrà sphæram suæ activitatis agere uniformiter difformiter, æqualiter scilicet in partes æqualiter distantes inæqualiter in partes distantes inæqualiter. ità enim dum agit ut unum in primam partem v.g. capillarem sphæræ, nihil aget in secundam; & dum agit ut duo in primam, aget ut unum in secundam.

CAPUT III.

Sitne alteratio motus continuus.

Continuitas stat non raro pro perpetuitate. atque ità certum est alterationem non esse motum continuum. quod unum voluit Aristoteles, dum 8. phys. t.23. ait, *eos, qui rem*

continuè alterari dicunt, rebus perspicuis adversari. Quæstio igitur præsens sumit continuitatem pro non interruptione, nec quacumque, sed necessaria intra illud tempus, quo alteratio perficitur; & est sensus, an alteratio sit ex necessitate motus discretus, ac per morulas interruptus, an verò possit successivè continuè perfici, quemadmodum tertio libro lationem fieri dixi successivè continuè.

Dico 1. latitudo intensiva qualitatis, quantum est de se, acquiri continenter potest, adeoque alteratio intensiva per se loquendo motus est continuus. Ita Suarez disp.46. met. sec.3. à n.8. Ariminensis in d. 17. q. 2. ar. 1. contra Capreolum ibidem ar. 2. Soncinnatem, Ferrariensem, aliosque Thomistas (quamquam Ferrariensis 8. phys. q. 8. oppositum etiam defendat ex mente D. Thom. & Comm.) & ex Recc. Arriagam de Gen. disp. 2. sec. 3. sub sec. 3.

Prob. 1. in qualitatibus contrario carentibus. Dum corpus luminosum ad partem aliquam diaphani magis accedit, magis illam illuminat, ut docet experientia. ergo intentio lucis continenter procedit; si enim interrumperetur, esset aliqua pars temporis, qua magis luminosum accederet, nec tamen partem medii magis illuminaret.

Resp. Ferrar. antecedens nec esse verum, nec sensui manifestum; putat. n. moram antecedentem esse brevissimam, & imperceptibilem. Sed hæc responsio gratuita planè est, & sine fundamento aut in ratione, aut in experientia. Et quidem si vera esset, nulla posset reddi ratio, cur alteratio fiat per tantas, & non maiores, minoresve morulas. Recurrere autem ad Deum, qui ex arbitrio determinet tantitatē moræ, dum nulla urget ne probabilis quidem necessitas, philosophicum sane non est.

Idem urgetur in qualitatibus contrariis; sit enim agens calefactivum aquæ applicatum ità,

ut

ut per semihoram eamdem ab ea retineat indistantiam. Jam certè nulla esse potest temporis mora, qua ignis abstineat à productione caloris; in tota enim semihora eamdem ipse retinet virtutem, eandemque proximitatem, passum verò eādem capacitatem. nulla igitur in natura est ratio, cur ignis à sua action e desistat. neque obstat potentia contrarii, quod non supponitur tantùm, ut possit omninò tollere, sed solum retardare calefactionem. si enim potest tollere in hoc tempore, poterit eamdem tollere in sequenti instanti; atque adeò numquam calefactio perficietur.

Confirm. quia ex hac ipsa ratione negamus lapidem descendentem interrumpere motum; nam & ipse retinet eamdem semper vim motivam; & spatium est semper æquè pertransibile: resistentia verò medii non est tanta, quæ non possit simpliciter à lapide superari. idem ergo in alteratione dicendum, Utriusque ratio à priori est; quia naturale agens sufficienter passo capaci admotum, otiari non potest; cum agat non ex arbitrio, sed ex necessitate naturæ. & quamvis tunc dicatur conservare effectum jam productum, hoc tamen ut in motu, ità in alteratione non est satis; semper enim dicitur agens otiari, quoties non producit effectum, quem plenè, & in potentia secunda potest. Ineptum verò est, quod quidam ajunt, disponit interea passum ab agente ad novam introductionem caloris. quid enim est ità disponere? est ne aliquid agere, an nihil? si nihil: ergo agens otiatur. Si aliquid, certè nonnisi qualitatem. quid enim aliud? quo posito duplex sequitur absurdum. 1. quod sit dispositio dispositionis. 2. quod de illa qualitate redit eadem inquisitio, idemque argumentum.

Dico 2. Latitudo etiam alterationis extensiva acquiri potest continuè. Hoc etiam ab ex-

perientia prob. qua constat luminosum, quod motu continuo ad alias partes diaphani accedit, eas juxtà modum accessus illuminare. Agens quoque calefactivum non modo dum accedit, sed etiam dum est immotum, calefacit sensim medium, priusque in viciniores, deindè in remotiores medii partes agit; neque est ratio, cur debeat actionem interrumpere, ut liquet ex iis, quæ in probationem prioris conclusionis adduxi.

Obiic. 1. Omne ens permanens producitur in instanti, & totum simul. qualitas est ens permanens. ergo producitur non successivè continuè in tempore, sed successivè discretè in instantibus.

Nego maiorem; si enim potest ens permanens propter suam divisibilitatem acquiri successivè continuè, ut patet in spatio per motum pertransito; quid sit, cur non possit permanens qualitas acquiri successivè, & per partes, si ipsa quoque divisibilis est?

Instabis, hinc futurum, ut qualitas secundùm intensionem etiam componatur ex partibus infinitis proportionalibus, ut componitur extensio. Hoc autem dici non debet; quia non sunt gratis invehendæ in compositionem intensionis inextricabiles illæ difficultates, quæ militant contrà compositionem extensionis ex semper divisibilibus. Et quidem nisi demonstrationibus urgeremur ad componendum continuum ex partibus infinitis, nemo nostrum esset, qui illud ex indivisibilibus non componeret. cum ergo eiusmodi demonstrationes in qualitate locum non habeant, nihil est, cur qualitas secundùm intensionem ex indivisibilibus componatur.

Resp. difficultates contra continui compositionem inextricabiles non esse, nisi apud eos, qui phantasmatum illusionem evadere aut nequeunt, aut contemnunt. cæterum ostensum

su-

superius est, quam rectè Peripateticum systema cohæreat, ut nulla premat in contrarium difficultas, quæ non satis probabiliter, fortasse etiam evidenter dissolvatur. Ex quo mihi evidens est, possibilem saltem esse proportionalem intensionis compositionem. Quod autem ità de facto procedat, ostendo 1. quia ut infrà constabit, magna est extensionis ad intensionem proportio, quatenus illæ eædem partes qualitatis, quæ sunt natæ extendi, sunt & natæ intendi. quare si quæ dissipantur in partes alias subiecti, in una coadunentur, magis intensivè eam perficient. satis ergo congruenter, & cohærenter intensionem, ut extensionem, non ex punctis, sed ex partibus semper divisibilibus constituimus. 2. productio qualitatis ex jam ostensis accommodatur motui lationis; plus enim qualitatis producitur, quo magis agens accedit ad passum. tot ergo sunt partes qualitatis per alterationem in passo productæ, quot sunt partes localis accessus ad idem passum, utrobique scilicet infinitæ secundùm proportionem, finitæ secundùm æqualitatem. Accedit communis Peripateticorum sensus, & Philosophi ipsius apud Suarez loc. cit. alterationem ubique inter motus numerantis.

Obiic. 2. cum Ferrariensi. omnis forma habet minimum quantitatis, in quo possit naturaliter esse. ergo non potest in eo minimo produci successivè, & divisibiliter; aliter in minimi medietate naturaliter existeret. antec. prob. esse formæ est propter operationem, ergo in illa quantitate forma non potest naturaliter esse, in qua non potest naturaliter operari. non potest autem in quavis parte minima naturaliter operari.

Antec. ut sit verum, intelligendum non de quacumque existentia, sed permanente, & in facto esse. quare ex hoc, quod qualitas non

possit operari, nisi in certa mensura non modo extensionis, verùm etiam intensionis, sit solum, ut in minore perseverare non possit. itaque si agens antequam ad eam mensuram deveniret, ab actione desisteret, qualitas producta deberet omninò destrui. at verò non fit, ut non possit, dum stat sub actuali influxu agentis, per partes successivè produci juxtà naturæ suæ exigentiam.

Obiic.3. cum Arriaga duplicem experientiam, alteram soni, de qua capite sequenti; alteram lapidis suprà asserem gravitantis qui non statim asserem frangit, sed multos post dies. imò menses, & annos. ex quo fit manifestum, illum non agere continenter, sed interpolatè in asserem; aliter à primo instanti cœpisset dividere asserem: quod est ridiculum.

Resp. impetum, seù gravitatem initio à lapide asseri impressam, conservari deinceps eandem, adeoque actionem lapidis in asserem continuam esse: quod certè evidens docet experientia; si enim humeris grandem lapidem imponas, nullam intelliges esse moram, qua gravitatio interpoletur. Ideò autē non statim ab initio asser frangitur; quia gravitatio, & impulsus lapidis initio non est satis ad asseris fractionem. cùm tempore verò debilitata vi partium agglutinativa per exsiccationem, putrefactionem, aut aliter, atque ità imminuta asseris resistentia, gravitatio lapidis facta maior per decrementum virtutis in passo sufficiens vadit ad trabis suppositæ fractionem.

CAPUT IV.

De sphæra activitatis alterativa.

HActenus dictis lucem dabunt, & vicissim accipient, quæ nunc addam. Incipio à certis, quæ quidem pleraque sunt, dubia deindè discussurus.

§. I.

Quod sit, & quid sit sphæra activitatis.

PRop. Agentia alterativa diffundunt suam actionem quoquo versum circa se. Hæc prop. experientia, & ratione constat; nàm & sol in omnem partem radios immittit, & ignis in omnem partem calorem prodigit, & profectò cum agens sit æquè omni circa se parti applicatum, & omnis ea pars sit æquè actionis susceptiva, non est, cur in unam, & non in aliam partem agat.

2. Prop. agentia naturalia non diffundunt suam operationem in infinitum, sed habent certos terminos, ultra quos nihil agunt, longiores tamen, aut breviores pro maiori, aut minori ipsorum activitate. In hanc etiam experientia; & ratio conspirant. nam neque una lucerna totum mundum illuminat, nec unus ignis totū aerē calefacit; sed plus, minusve suam actionem extendunt, ut viribus vel augentur, vel minuuntur. Ratio est à finitudine ipsa, & limitatione creati agentis, proportioneque servanda inter effectum, & virtutem.

3. Prop. maior activitas, quæ terminos actionis extendit, non debet esse dispersa in pluribus, sed coadunata in uno. sint enim 10. lucernæ, quarum quælibet seorsim actionem suam ad mille passus extendat, nisi coadunen-

tur in unam flammam, quamvis omnes seorsim ad idem medium admotæ illud magis illuminent, non tamen ultra mille passus. Hoc idem contingit in sono, ut advertit Philosophus in probl. sec. 11. pr. 52. sint enim centum voces, quarum quælibet ad milliare extendatur, audietur quidem ex omnibus sonus maior, sed non ultra milliare. Affert Aristoteles ibi exemplum de multis, quorum singulis singulos lapides proiiciant, sed nullus lapis longius emittetur: Ita, inquit, accidit in vocibus; singuli enim singulas voces jaculantur, & est vox non una, sed multiplex multorum.

4. Prop. agentia naturalia in partes circà se æqualiter distantes per se loquendo æqualiter agunt. Sic lucerna distans per 10. passus à parte Orientali, duosque luminis gradus in ea efficiens, totidem efficit in parte occidentali per 10. itidem passus ab ipsa distante. Ratio est; quia idem agens statuitur passo æqualiter disposito æqualiter utrimque admotum, à quo sanè inæqualis actio prodire non potest. Dixi, per se loquendo; ignis. n. plus multo caloris in partem superiorem, quam in inferiorem, aut lateralem inducit: quod accidit ex concursu maiore igneorum spirituum in superiora propter levitatem evolantium.

5. Prop. in partes inæqualiter distantes inæqualem agentia actionem diffundunt. quamvis enim non semper sensibilis sit differentia, certum est tamen aliquam esse, ut sequenti §. convincam. Huius propositionis P. de Chales l. 3. opt. prop. 3. eam rationem assignat; quod tantum qualitatis in 2. palmo sphæræ ab agente producitur, quantum in primo, cum sit eadem virtus. quia vero totum spatium palmare secundum est maius primo in sphæra, qualitas verò eadem, consequens est, ut in secundo spatio qualitas sit remissior, quam in primo: quemadmodum si 100 aureos decem hominibus

divi.

dividas, plures singuli accipient, quam si eosdem 100. hominibus distribueret. Sed non placet; tum quia non probatur eundem semper effectum produci sive in parva, sive in magna distantia: imò verò manifestè probatur oppositum, & ex communi sensu, & quia secus actio alterativa deberet extendi in infinitum; tum quia si res ita se haberet, servaretur, ut constat, eadem omninò proportio actionis, & distantiæ: quod esse falsum, jam ostendo.

6. Prop. non servatur eadem proportio actionis, & distantiæ, quasi verò si usque ad finem primi palmi diffunditur lumen, aut calor, ut 7. ad finem secundi diffundatur lumen, aut calor, ut 6. & ad finem tertii lumen, aut calor ut 5 &c. si enim ità procederet alteratio, conficeretur per lineam à quovis agente in actionis decremento quædam veluti perfecta pyramis intensiva, cuius basis sit in agente, vertex in ultimo sphæræ cum ea analogia, quod, quæ est maioratio extensionis in pyramide versus basim, sit maioratio intensionis in linea versus agens: quæ verò est minoratio extensionis in pyramide versus verticem, fit minoratio intensionis in linea versus ultimum sphæræ. Ex quo præterea fieret, ut si ad extremum sphæræ unius agentis aliud agens æqualis omninò virtutis statueretur, linea inter utrumque media in omni sui parte æqualem omninò deberet intensionem accipere. quod est evidens in exemplo; si enim duo æquales trianguli A B C. &, C D A copulentur, æqualem ubique magnitudinem constituunt. Hoc autem repugnat evidentissimæ experientiæ. Quam ergo proportionem servat alterativæ actionis decrementum? Resp. ita esse varium, ut vix possit certum aliquid decerni. Vide Maurum Phil. l. 4. q. 30.

7. Prop. Agens alterativum spargit suam actionem sphæricè; ità ut qualitas ab ipso per

gyrum diffusa constituat, per se loquendo, solidam sphæram, cuius centrum est agens. Itaque si ponatur in medio aere luminosum, quod sine ullo impedimento lucem undique spargat, & eiusm. lux diffusa cum constet lineis, seù radiis æqualis in omnem partem longitudinis, consequens est; ut globum, sphæramque componat, in cuius centro sit luminosum; ea enim est sphæra, in qua est centrum, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ sunt æquales. Atque hæc est, quam omnes dicimus sphæram activitatis.

8. Prop. Agens naturale in sua sphæra agit uniformiter difformiter. Agit uniformiter, h. e. actione uniformi, & æquali in partes sphæræ æqualiter distantes. Agit difformiter, h. e. actione inæquali, & difformi in partes sphæræ distantes inæqualiter. Quod est verum per se loquendo, ac præciso impedimento, aut diversa capacitate subiecti. Hæc autem propositio, ut & præcedens sequitur omninò ex dictis, & declarat terminos vulgò in hac re usurpatos.

Jam verò post hæc certa tria supersunt valdè dubia, & controversa. 1. an progressus actionis uniformiter difformis fiat per partes proportionales, an verò per æquales, & aliquotas. 2. an sit pars aliqua sphæræ agenti proxima, quam sibi agens perfectè assimilet, producendo tandumdem in ea qualitatis, quantum habet in se. 3. an agens principale agat in totam sphæram immediatè per se, an verò mediante alia, & alia qualitate in partibus sphæræ successivè productis, ità ut remotiorem producat adæquatè, aut inadæquatè per viciniorem. quæ dubia tribus seqq. §. resolvam.

§. II

§. II.

Progressus actionis uniformiter difformis fit per partes non aliquotas sed proportionales.

HÆc est communior sententia contra Hurtadum de Gen. disp.3. sec.3. Arriagam, Suarium, Lusitanum, & alios. Probo illam 1. ex dictis. Alteratio est motus successivus continuus. ergo plus semper qualitatis producitur in parte, quæ est agenti vicinior. ergo processus actionis alterativæ non fit per partes aliquotas. 2. hæc conf. est manifesta; si enim unus gradus caloris æqualiter in parte aliquota poneretur v. g. digitali, jam prior eius partis medietas agenti propior non plus qualitatis acciperet, quàm posterior ab agente remotior. prob. jam 1. consequ. in parte ipsa digitali calor successivè producitur, adeoque prius prima, deindè altera partis digitalis medietas calefit. vel ergo dum calefit altera, nihil agit ignis in primam, vel aliquid. si aliquid; ergo magis calefit prima, quam secunda. si nihil; ergo agens tunc otiatur circà primam: quod est impossibile; si enim tunc potest in secundam medietatem remotiorem aliquid caloris inducere, à fortiori in primam viciniorem,

Id ipsum probo à priori. Ratio, cur agens magis agat in viciniorem aliquotam, quàm in remotiorem, est hæc ipsa, quod illa est vicinior, hæc remotior. atqui medietates eiusdem partis aliquotæ eodem pacto se habent ad agens, ut altera vicinior sit, altera remotior. ergo debet agens in alteram magis, in alteram minus agere. Neque aptè respondet Lusitanus, totam unam partem aliquotam esse intra sphæram primæ intensionis,

& totam pariter secundam intrà sphæram *intensionis* secundæ. Hoc enim est, quod contendit argumentum, omnem partem variare sphæram, ut omnis pars variat distantiam; præsertim cum hæc una sit ratio, cur secunda pars aliquota variet sphæram, & minorem suscipiat qualitatis intensionem.

Obiic. 1. cum Arriaga experientiam soni, undè ait alias alibi singulares conclusiones à se deductas. Sonus primò producit species sui intentionales ità, ut in distantia inæquali æqualiter audiatur. ergo ad certam distantiam species illæ æqualiter diffunduntur, adeoque extensio qualitatis intra sphæram fit per partes aliquotas.

Ex hac experientia probat idem author alterationem esse motum per morulas interruptum; quia, inquit, species soni propagantur in instanti usque ad certum terminum, ut confici videtur ex eo, quod qui est juxtà findentem ligna, tàm cito audit sonum, quàm videt ictum. quod si procul adstet, prius videt ictum, quam audiat sonum.

Sonum propagari per motum (quid? si sit motus ipse aeris, ut probabiliter ostendam in De Anima) adeoque successivè, & per partes proportionales. certa est apud omnes sententia. quare si sonus sit qualitas, & qualitates reliquæ in sui diffusione sonum imitentur, indubitatum erit, omnes qualitates successivè, adeoque per partes proportionales difformiter propagari. Quamquam, quia motus soni propagativus est longè celerrimus, & minimas celeritatis differentias sensus distinguere non potest; fit, ut in varia, sed non magna distantia videamur æqualiter audire sonum: & dum sumus propè corpus, undè editur sonus, tam cito videamus, quàm audimus; quia scilicèt discrimen imperceptibile est.

Obiic.

Obiic. 2. non potest intelligi, quod una aliqua determinata intensio sit in parte aliqua determinata, quin eadem sit in singulis medietatibus eiusdem partis. e.g. si in una parte sit intẽsio ut 7. necessè est, ut eadem intensio sit in utraque eius partis medietate. ergo intensio fit per partes aliquotas.

Argumentum peccat in supposito; supponit enim esse unam certam, & aliquotam intensionem in parte aliqua determinata, seu aliquota sphæræ: quod esset probandum. Qui autem fieri possit, ut qualitas proportionaliter decrescat in tota sphæra, declaratur communiter exemplo pyramidis, in qua fit talis imminutio partium secundum extensionem, ut nulla habeat extensionem alterius, sed semper minorem & minorem versus verticem, maiorem, & majorem versus basim.

§. III.

In nulla parte sphæra agens producit tantundem qualitatis, quantum habet in se.

PRobo id primum ex dictis §. proximè superiori. si enim in aliqua medii parte tantumdem qualitatis agens produceret, illud certe produceret in parte aliquota; neque enim fingi potest intensio æqualis, si ea per partes proportionales diminuitur juxta distantiæ proportionem; siquidem ita procedendo, in qualibet medii parte est minor intensio, quam sit intensio agentis; quia qualibet parte medii data est alia versus agens intensiori qualitate prædita: & agens sit terminus extrinsecus claudens, & limitans totam medii intensionem.

Probo id ipsum ab experientia. constat enim in omni agente alterativo præsertim in luminoso

minoso, de quo maior posset esse difficultas propter nullam passi resistentiam; constat, inquam nunquam aerem circumstantem recipere tantam lucem, quantam habet corpus ipsum luminosum; si enim admoveas proximè luminoso opacum, in quod lumen reflectat, videbitur in eo lux longè minor intensione luminosi. quod si aliqua esset medii pars, in quam par intensio ab agente induceretur, non deberet saltem in ea propinquitate tanta fieri luminis diminutio.

Ratio à priori ea fortasse est, quod intensio agentis est eiusdem proprietas: proprietas autem non communicatur, nisi communicata natura, seu forma substantiali. sic calor ut 8. consequitur formam ignis tanquam naturalis eiusdem passio. quousque ergo aer circumjectus manet aer, non potest caloris intensionem parem igni suscipere. atque idem dici debet de lumine, & alia qualibet quantitate. ex quo probabile mihi est, etiamsi passum foret cum agente penetratum, non tamen accepturum æqualem intensionem, nisi prius substantialiter transmutaretur.

Dices. forma non inducitur, nisi ipsam præcedat qualitas, quæ sit naturalis ipsius proprietas; aliter non est ratio in natura, cur hæc potius; quam alia forma substantialis in materiam introducatur. Ergo proprietas præcedit, non sequitur formam:

Resp. aliam esse propriam dispositionem, aliam esse propriam perfectionem formæ; & illam præcedere, hanc sequi. Sit exemplum in igne, cuius propria perfectio est calor ut octo; jam verò quod mediat caloris inter octavum gradum, & alium excellentem alteri formæ debitum, illud est propria ignis dispositio: quo introducto, jam est ratio, cur ignis potius, quam aliud quodvis aut mixtum, aut elementum generetur.

Postremò id totum conficio ex absurdo, quod

ad

ad hominem urgeo contra adversarios opinantes, qualitatem etiam medii agere una cum agente in alias, & alias sphæræ partes. Hinc enim fieret, ut totam sphæram deberet sibi agens perfectè assimilare. si enim potest agens calefactivum minimam sphæræ partem ad suam intensionem perducere, poterit & aliam sequentem, & sic non solum usque ad ultimum sphæræ, sed & usque ad nullum terminum. sequelam probo; quia agens per intensionem partis primæ sibi æqualem fortius omninò efficeretur, adeoque poterit in secundam nihilò minus, imò magis, quam in primam.

Respondent adversarii dupliciter 1. per instantiam; similiter enim fieret, ut quamvis acciperet pars prima medii intensionem solum ut 7. adhuc agens posset cum ista coniunctum, adeoque fortius effectum, aliam intensionem, ut 7. in secundam partem inducere. Verum hæc instantia nihil omninò me urget, qui nego qualitatem sphæræ coagere principali, ut dicam sequenti §.

2. Respondent directè negando sequelam; quia inquiunt, pars digitalis calefacta ut 8. non agit, nisi ut subordinata principali agenti, adeoque tantum agit, quantum potest agens principale. atqui hoc quamvis possit proximam sibi partem æqualiter intendere, non tamen remotam. Hæc mihi responsio probabilis non est. quid enim est, partem sphæræ agere ut subordinatam? an est accepisse calorem ab agente? hoc quidem verum est, sed impertinens ad rem nostram; quod enim ab alio accepit æqualem virtutem agendi, potest æqualiter agere. an est calorem medii agere ut instrumentum ignis? hoc etiam est impertinens; quod enim calor ut 8. sit instrumentum ignis, non facit, ut non sit potens ut 8. & quod additus calori ignis, non reddat illum potentiorem. Sed sit quodcumque ista subordinato, hoc est, quod contendit argumen-

gumentum, ignem cum novo calore ut 8. plus posse, quam sine illo, cum sit evidens virtutem maiorari per additionem virtutis. quare responsio assumit sine probabili ratione, ignem non posse æqualiter calefacere partem remotam ut proximam, si verum est, quod proximam calefecit ut 8. ab eaque deinde ad calefaciendam remotam juvatur.

Obiic. 1. omne agens agit ad assimilandum sibi passum, & tendit, quantum est de se, ad similitudinem perfectam. ergo debet in aliqua saltem parte passum sibi perfectè assimilare; aliter frustraretur suo fine.

Argumentum probat, æqualem etiam intensionem debere produci in tota sphæra; in quam scilicèt totam agens agit ad assimilandum. Resp. igitur, agens contrarium tendere ad assimilandum perfectè passum in qualitate, media tamen assimilatione in substantia, quam sequitur ut proprietas assimilatio perfecta in qualitate: agens verò perfectivum non posse ad hoc tendere, sed alium esse illi finem à natura præstitutum. sic illuminatio habet pro fine assimilationem intentionalem obiectorum, in oculo factam; gravitatio descensum, &c.

Obiic. 2. Potest ignis assimilare sibi perfectè passum secundum substantiam. ergo & secundum qualitatem.

℟ Concedo totum. addo tamen hoc secundum non posse, nisi in posteriori ad primum. at in præsenti loquutus sum de agente alterativo manente intra lineam, & rationem alterativi, non verò dum transit ad lineam generativi. Posset etiam tradi disparitas ex indivisibilitate formæ, quæ si producitur, secundum totam suam perfectionem producitur, & ex divisibilitate qualitatis suscipientis magis, & minus. Sed prior responsio est satis.

Obiic. 3. Potest forma substantialis ignis octavum in se gradum caloris producere. ergo

potest

poteſt eumdem producere in parte proxima ſphæræ.

Nego conſequ. ut enim apparet ex dictis propria perfectio ſequitur naturam, nec poteſt proindè medio communicari, niſi communicata forma.

§. IV.

Agens principale agit immediatè per ſe in totam ſphæram activitatis, nihil penitus cogente medio.

QUod attinet ad primam huius dicti partem duo præſtabo. 1. ita poſſe contingere. 2. id ita de facto contingere.

Primum ſic probo. Unica ratio repugnantiæ, quæ in contrarium urgeri poteſt, inde deſumeretur, quod agens ageret in diſtans. atqui hæc nulla eſt; quod probo 1. à pari; pars enim agentis diſtans à paſſo agit in illud ſine periculo actionis in diſtans. ergo pars paſſi diſtans ab agente, poteſt ſine eo periculo actionem agentis recipere. antec. prob. cum ab experientia; partes enim agentis ſecundum profunditatem multiplicatæ citius, & vehementius agunt. agunt ergo non ſolum partes propinquæ paſſo, ſed etiam remotæ. tum etiam quia ſecus ſola indiviſibilis ſuperficies agentis, qualis nulla eſt in agente, deberet agere. Illud idem probo à priori. agens enim reſpicit totam ſphæram per modum unius paſſi coniuncti. agit ergo in partem remotam paſſi indiſtantis: quod revera non eſt agere in diſtans. ſic pars agentis à paſſo remota propter hoc non agit in diſtans; quia eſt pars remota agentis coniuncti, à quo actio indiviſibiliter emanat. Sic dum manu impello haſtile oblongum, moveo etiam partem haſtilis

à ma-

à manu remotam ; non tamen dicor agere in diltans, quia totum hastile manui coniunctum per modum unius impello.

Alterum, quod ita de facto contingat, sic ostendo. In contraria sententia res ita procedit. agens principale v.g. ignis non agit per se, nisi in partem aeris proximam. hæc verò deindè agit in remotiorem ; & hæc in aliam usque ad ultimum sphæræ. Hoc autem systema (si vera sunt hactenus dicta) subsistere manifestè non potest: indè enim fieret, ut agens principale nihil penitus ageret ; quandoquidem si sequens calor producitur adæquatè à præcedenti, cum in partibus sphæræ sit procedere in infinitum versus agens, & nulla sit simpliciter prima pars, nullus consequenter erit calor in sphæra ab igne productus.

Neque recurras ad calorem ab igne productum in aeris superficie. tum quia nulla est in continuo indivisibilis superficies. tum quia ignis erit quidem causa caloris existentis in superficie, sed neque calor ignis, neque calor superficiei erit causa caloris existentis in aere propter datam rationem.

Probo deinde, principale agens in totam sphæram adæquate per se agere, nihilque penitus à qualitate per medium diffusa ad agendum juvari : quæ erat altera dicti pars. Quod habet vires sufficientes ad agendum adæquatè in priori ad suum effectum, impossibile est, ut naturaliter nihil agat sine coinfluxu sui effectus : quod est evidens penetranti terminos. atqui ignis v. g. habet vires adæquatè sufficientes ad calefaciendum in priori ad quodlibet passum non calidum, ut est etiam per se evidens ; neque enim potest expectare vim calefaciendi à non habente calorem, nisi in posteriori ad actionem ipsius. ergo impossibile est, ut nullum producat in sphæra adæquatè calorem. Atqui si in tota sphæra non producer-

ret

ret adæquatè calorem, nullum calorem adæquatè produceret; siquidem calorem remotum efficeret adiutus à propinquo, & sic in infinitum.

Respondent, esse in qualitate minimum intensionis, dum incipit alteratio successiva, quod operativum non est, ut constat ex eo, quod in ultimo sphæræ sit tale minimum nihil potens ulterius operari. Hoc ergo minimum statui potest adæquatè ab agente productum.

Sed primò in alteratione perfectiva instantanea, qualis est illuminatio, nullum habetur initio minimum intensionis. 2. quamvis minima intensio operativa per se non sit, si sumatur ab agente disiuncta, est tamen operativa, si sumatur coniuncta agenti; sic enim sumpta, minima intensio non est. 3. non rectè arguitur defectus activitatis in minimo intensionis ex eo quod minimum terminans sphæram non sit ulterius operativum. Si enim tota sphæra supponatur intra se operativa, non sequitur debere eam esse operativam extra se. ergo ex eo, quod ultima pars sphæræ non sit operativa extra se, non sequitur eam non esse intra se operativam. conf. est certa ex regula logica, quæ statuit malam consequentiam, in qua ex opposito consequentis non sequitur oppositum antecedentis. antec. prob. 1. activitas sphæræ decrescit infinitum per partes proportionales. ergo ex eo, quod tota sphæra constet ex activitate, non sequitur esse activitatem ultra sphæram; imo sequitur non esse activitatem ultra sphæram: quia enim in continuo habetur infinitas decrementi, necessariò habetur terminus. 2. supponendo totam sphæram esse fœcundam intra se, quælibet pars habet effectum se minorem, sibique proportionatum in parte ulteriori intra sphæram. ergo nec debet propterea, nec potest, ultra sphæram operari, aliter operaretur ultrà vires. at si nulla pars est opera-

tiva ulterius, sphæra ipsa ulterius operativa esse non potest.

Præterea hoc idem ex eo conficio; quia in opposita sententia agens novis semper, ac novis viribus augetur; producit enim qualitatem in medio, quæ habeat unà cum ipso rationem agentis. non ergo est ratio, cur minus agat in partem magis distitam; manifestum n. videtur, quod activitas qualitatis intermediæ habet vim supplendi distantiam passi.

Postremò non possunt adversarii reddere rationem illius experimenti, cuius §. 1. prop. 3. memini, quod scilicet ex agentium pluralitate non crescat extensio sphæræ, quamvis crescat intensio. Cuius ratio in nostra sententia est, quod totius sphæræ actio pendet à solis agentibus, quæ quia non conjunguntur ad constituendum unum agens, non respiciunt nisi plures sphæras æquales invicem penetratas, in quarum singulis partibus cum habeatur intensio producta à singulis agentibus, habetur consequenter intensio maior sine extensione maiori. At si medii etiam intensio causa est extensionis, oportet ut crescente intensione medii, crescat simul extensio; quia universim, crescente causa, crescit effectus.

Obiic. Qualitas recepta in medio est per se operativa qualitatis sibi similis, & habet præterea passum capax, & sufficienter admotum. ergo necesse est, ut operetur, & cooperetur agenti.

Resp. per instantiam. Calor est productivus caloris. ergo non solum pars caloris, quæ est in una parte medii, influet in calorem, qui in alia parte producitur, sed etiam in calorem, qui producitur in eadem parte, dum intenditur. Dices, hoc secundum fieri non posse; quia idem non agit in se ipsum actione univoca. Bene est; sed hinc infero, calo-

rem

rem sufficienter passo applicatum aliquando non agere. Idem dico in re præsenti. Calor est per se productivus caloris: non tamen producit, præsente principali, cuius actio efficacior, & prædominans se sola in totum medium uniformiter difformiter extenditur, adeoque nihil relinquit operandum calori diffuso per medium; ut constat ex iis, quæ allata sunt in conclusionis probationem.

CAPUT V.

Quo pacto qualitas intendatur.

Qualitatem intendi est certum ab experientia; quis enim neget, calorem ex parvo fieri magnum in eadem manu, lucem auroræ dubiam crescere sensim in aere ad diem plenum? Hanc verò intensionem esse propriam qualitatis, ostendam in metaphysicis. nunc illud unum inquiro, qua demum ratione perficiatur intensio; hoc enim maximè pertinet ad intelligentiam actionis alterativæ, quæ cognosci plenè non potest, nisi cognito termino.

Duæ sunt de hac re Doctorum sententiæ; Durandus in 1.d.17. q.7. num.25. censet intensionem perfici non augendo præexistentem qualitatem, sed, ea destructa, novam perfectiorem producendo. Verum hoc est negare re ipsa intensionem, quæ sonat incrementum perfectionis in eadem qualitate. quare hæc sententia utpote terminos quæstionis egrediens omittenda mihi videtur in præsenti. Videri potest P. Maurus l.4.q.27. ubi egregiè hanc sententiam refellit.

Secunda, & communissima est opinio, formam eandem in subiecto manentem ulterius perfici per intensionem. Sed variatur maximè in modo explicandi hanc novam perfectionem. Thomistæ, quibuscum sentit Ægidius,

dius, & Henricus, putantes essentiam qualitatis indivisibilem ipsam esse, dicunt eam tamen intendi, dum magis, magisque subiectum afficit, & altiores in eo agit radices: quod vulgò circumfertur sub his terminis, Intentionem fieri per maiorem radicationem qualitatis in subiecto. Sed hoc ipsum, ut constat, est ulterius explicandum.

Itaque alii post Ægidium quodl. 2. q. 14. explicant radicationem maiorem qualitatis per minorem contrarii admixtionem, maioremque ipsius de subiecto expulsionem. quare dicetur intensior calor, qui minus habet de frigore admixtum, magisque frigus pellit de subiecto. Qui ita sentiunt, dicunt intensionem fieri per deputationem à contrario. Alii cum Capreolo, Astudillo, & Flandria censent maiorem istam perfectionem haberi per mutationem existentiæ imperfectioris in perfectiorem. Alii cum eodem Capreolo, Soncinnate, Cajetano, & communi Thomistarum putant, radicari magis qualitatem nihil aliud esse, quam magis educi de subiecti potentia, magisque, ac magis subiecto uniri, & ut loquitur Cajet. magis sibi subiectum subiicere, & illi firmius, ac tenacius inhærere. Sed jam, quantum ego assequi possum, nihil tale asserunt Thomistæ recentissimi; volunt enim qualitatem intendi per hoc, quod accipiat novum modum maioritatis, seu perfectionis maioris, qui modus unio non est, cum possit etiam retineri à qualitate divinitus conservata extra subiectum. Neque aliud in huius maioritatis explicationem addunt, ut videre est apud Goudinum 3. par. Phys. q. 2. ar. 1. §. 2.

Multò communissima est sententia, quam & verissimam puto, intensionem qualitatis fieri per additionem unius partis, seu gradus qualitatis ad alium in eadem parte subiecti. Pro hac stant Scotistæ, Nominales, & Recc. nostri

ſtri omnes, præterea Bonavent. Richardus, Albertus, aliique apud Suarez diſp. 46. met. ſec. 1. nu. 29.

§. I.

Intenſio non fit per maiorem radicationem qualitatis in ſubiecto.

DIco 1. Qualitas non intenditur per deputationem à contrario. Prob. 1. quia intenduntur qualitates etiam contrario carentes, ut eſt manifeſtum in luce. 2. unum contrarium non amittitur, niſi quia aliud intenditur. quare intenſio unius eſt in priori ad alterius remiſſionem, ut eſt univerſim prior deſtructione productio. non ergo poteſt formaliter intenſio unius in alterius excluſione, ac remiſſione conſiſtere; aliter agens per ſe tendens ad intenſionem unius, per ſe revera tenderet ad excluſionem, ac deſtructionem alterius. 3. vel contrarium expellitur, ac remittitur totum ſimul, vel ſucceſſivè per partes. ſi primum: ergo qualitas intenditur tota ſimul, adeoque alteratio non eſt ſucceſſiva. ſi ſecundum; explicetur ergo, quid ſit expulſio ſucceſſiva contrarii. hæc autem explicari non poteſt, niſi vel recurrendo per circulum ad maiorem introductionem contrarii, vel ad radicationem, ſeu verius eradicationem Thomiſticam, vel ad gradus alios, & alios ſucceſſivè deſtructos. Quod idem dici proportionaliter debuiſſet de intenſione ſine recurſu ad deputationem, ſeu remiſſionem contrarii, quæ ſe habet de conſequenti.

Dico 2. non intenditur qualitas per productionem melioris exiſtentiæ. Prob. 1. quia nulla eſt diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia. 2. quia exiſtentiæ exercitæ conceptus eſt planè indiviſibilis ſecundum ſe, nec capax latitudi-

nis

nis entitativæ; est enim existentia ut præcisa ab essentia ratio illa, per quam res dicitur simpliciter esse extra suas causas, & verificare propositiones categoricas de inesse: in quo sanè non video, quæ possit fingi gradualitas; ut enim non potest gradualitas fingi in rei possibilitate, quæ consistit in non repugnantia ad esse, quod ex professo in metaphysicis ostendam; ita nec est reperire latitudinem in eo, quod est excludere non esse, & verificare propositionem absolutam enunciantem esse. 3. ut enim arguit Aureolus in 1. d. 17. esse intimius sequitur essentiam, quam proprietas quælibet. sicuti ergo non potest majorari proprietas, non majorata prius essentia; cum aliunde non arguamus magnitudinem perfectionis in natura, nisi ex magnitudine perfectionis in passione; ita nec potest maiorari ipsum esse, non majorata & quidem in priori ipsa essentia.

Dico 3. non intenditur qualitas per novam perfectiorem eductionem, aut unionem. Prob. 1. quia inexplicabilis est majoritas ista eductionis, & unionis. qui enim intelligi potest, quod forma semel producta secundum totam suam indivisibilem essentiam ab agente, sustentata à subiecto, eique unita, magis deinde producatur, sustentetur, & uniatur? Hoc sanè plus intelligi non potest, quam quod qualitas indivisibilis semel ab agente destructa, & à subjecto divisa, magis deinde destruatur, ac dividatur.

Profecto quod est indivisibile, & producitur, accipit totum esse, adeoque nihil habet de non esse. non potest ergo magis produci, quia non potest accipere plus de esse. Rursus qualitas subiecto unita ita subjectum afficit, ut, stante unione, impossibile metaphysicè sit non uniri. non ergo potest magis uniri, quia impossibile non habet magis. Vide, quæ superius in hanc rem dicta sunt l. 3. q. 6. cap. 2.

2. Prin-

2. Principaliter. Qualitas magis intensa est magis operativa, ergo non potest fieri formaliter magis intensa per id, quod non est operativum, quæ consequ. est evidens; ut enim est evidens nihil fieri perfectius, nisi per additionem perfectionis, ità est evidens nihil fieri activius per additionem non activi. Atqui modi unionis, & eductionis non sunt de genere activorum, cum sint exercitia, non virtutes. ergo non potest intendi qualitas per unionem, eductionemque perfectiores.

Conf. si enim fingatur qualitas diversimodè operativa per solam inhærentiæ diversitatem; poterit pariter fingi, ignem esse formaliter calefactivum non per qualitatem caloris, sed per novum modum generationis. Poterit fingi, quod eadem forma substantialis diversimodè subiecto unita, diversas potest operationes elicere. quarè omnes formæ eiusdem erunt atomæ speciei, & quidquid est in operationibus heterogeneitatis, totum erit ab heterogeneitate unionum.

Argumentum hoc, quod est commune, contem nitur ab Oviedo de Gen. Contr. 4. pun. 1. §. 3. n. 21. & 22. quia, inquit, poterunt Thomistæ respondere, posse qualitatem intensiorem esse magis operativam propter additamentum non virtutis, sed conditionis. Sic idem ignis magis est operativus, si magis sit applicatus passo, quamvis applicatio non sit virtus. Sed ut hæc responsio evellatur, & vis teneatur communis argumenti, noto aliam esse conditionem causæ, aliam conditionem causalitatis. Primi generis conditio requiritur ut causa sit. secundi generis conditio requiritur, ut causa agat. Quantitas, duratio, ubicatio sunt conditiones causæ; quia sine iis causa non est. approximatio est conditio causalitatis; quia sine ea causa non causat. Iam verò ut istæ conditiones sint

natæ variare causalitatem; ad quam pertinent, non tamen illæ: neque enim ubicatio, aut duratio utcumque supponantur capaces latitudinis entitativæ, sunt natæ variare vim agentis operativam, ut eam nata est variare maior, aut minor approximatio. Atqui unio formæ cum subiecto censenda est inter conditiones primi generis; est enim necessaria, ut qualitas sit, & ex hoc uno est necessaria ad qualitatis operationem, quam tamen specialiter non respicitur quid ad ipsam conferens.

Ex his intelligitur robur communis argumenti. Fit enim vis in eo, quod nihil potest fieri magis operativum, cæteris paribus, h. e. stante eadem applicatione ad passum æquè dispositum, nisi per additionem virtutis operativæ: at qualitas magis intensa est, cæteris paribus, magis operativa. ergò non potest magis intendi per unionem, aut eductionem perfectiorem: quæ vim operandi nō addūt, quia non habent.

Dico 4. nec rectè dicitur qualitas intendi per novum modum, qui sit maioritas ipsa perfectionis intensivæ. Hæc concl. consequens est ad dicta, & probatur specialius; quia hic modus explicandi intensionem non declarat, quid rei sit intensio; ut enim non explicat naturam albi, qui id unum dicit, album esse, quod habet albedinem, aut naturam calidi, qui dicit, calidum esse, quod habet calorem; sed ulterius explicanda est natura albedinis, & caloris: ità non explicat naturam magis albi, & magis calidi, qui id solùm dicit, illud esse, quod habet maioritatem albedinis, hoc, quod habet maioritatem caloris, sed ulterius declarandum, quid re ipsa sit ista maioritas, sit ne unio, an actio, an existentia, an qualitas nova, quæ additur, & auget. Hoc autem sententia ista non præstat.

Dices. Raritas in Peripatetica sententia sufficienter explicatur per extensionem maiorem,

quæ novus est dumtaxat modus, non nova entitas quantitatis addita præexistenti. ergo sufficienter explicatur maioritas qualitatis per modum perfectionis, & intensionis maioris.

Hæc instantia, in qua multi ex adversariis triumphant, primùm retorquetur in ipsos. si enim quantitas non haberet plures partes extendibiles, non posset intelligi, quo pacto nunc maiorem, nunc minorem extensionem acciperet; aliter posset rarefieri punctum. ergo si qualitas careat partibus intensivis, & secundum intensionem entitativè sit punctum, non poterit modo minorem, modo maiorem intensionem suscipere. Deindè quantitas per raritatem non debet accipere plus quantitatis; hoc enim est rarum, quod habet minus molis sub maiori dimensione. at qualitas cum per intensionem accipiat plus virtutis, & virtus sit ipsa qualitas, debet consequenter accipere plus qualitatis. Postremò maiorem extensionem eiusdem quantitatis rectè explicamus per occupationem maioris spatii. at verò intensionem maiorem per modos Thomisticos hactenus equidem intelligere non potui, nec invenio satis ab ipsis explicatam.

§. II.

Nostra sententia exponitur, & ab obiectionibus vindicatur.

SUperest ergo, ut qualitas intendatur per additionem unius partis, seù gradus qualitatis ad alium. Ut enim extenditur qualitas per hoc, quod aliæ, & aliæ partes ipsius in alias, & alias subiecti partes diffunduntur: ità & intenditur per hoc, quod aliæ, & aliæ ipsius partes in eadem parte subiecti coadunantur Quo certè dicendi modo nihil est ad captum facilius:

Addo, distinctionem partium intensivarum qualitatis eodem modo probari, quo probamus distinctionem unius qualitatis ab alia. calor enim à siccitate distinguitur, quia sunt separabiles, & causa productiva unius non est eo ipso productiva alterius. at calor ut unum separabilis est à calore ut duo, & qui potest calorem ut unum, non potest eo ipso calorem ut duo. ergo sunt alius, & alius calor. Quod si calor ut duo non sit, nisi calor ipse ut unum aliter se habens ad subiectum, quid erit, cur siccitas non sit calor aliter subiectum afficiens?

Obiic. 1. essentiæ rerum sunt omninò indivisibiles, sed qualitas ut intensa essentia quædam est. ergo ut intensa indivisibilis est, adeoque incapax latitudinis gradualis.

Argumentum probat extensionem etiam indivisibilem esse. maior ergo ut sit vera, debet accipi metaphysicè, non physice: & est sensus, quod prædicata metaphysica unius essentiæ constitutiva nullatenus inter se distinguuntur. sic est indivisibilis calor, in quo prædicatum caloris non distinguitur à prædicato qualitatis. sic est indivisibilis intensio ut 8. in qua ratio intensionis à ratione talis intensionis non distinguitur. Cæterum essentias metaphysicè indivisibiles esse divisibiles physicè, constat in omnibus physicis, integralibusq; compositis.

Obiic. 2. fundamentum Thomistarum. Eiusmodi gradus, & partes qualitatis solo numero distingui debent (quæ enim specie differunt, intensionem facere non sunt nata) atqui plures qualitates numero distinctæ si facerent intensionem, sequeretur 1. intensionem, & extensionem eiusdem prorsus rationis esse, & solum differre extrinsecè penes eamdem, & aliã subiecti partem: quod nostro etiam Suario videtur absurdum. 2. sequeretur eas esse, & non esse solo numero distinctas. esse quidem, quia sic

sic supponitur non esse verò, quia cum accidentia individuentur à subiecto, quæ sunt in eodem subiecto, plura numero non sunt. 3. sequeretur plura numero accidentia completa posse esse in eodem subiecto. quare & plures calores ut octo, & plures quantitates, & plures ubicationes naturaliter etiam in una subiecti parte recipi poterunt. eadem enim est de his ratio, ac de pluribus caloribus numero distinctis.

Resp. partes qualitatis intensivas esse solo numero distinctas. Ad 1. in oppositum nego illud esse absurdum, ut constabit ex dicendis c. seq. Ad 2. nego accidentia esse individua per subiectum, de qua re in metaphysicis. Et quidem aliter calor, qui nunc in mea manu producitur primò, esset idem numero cum calore antè horam habito, & jam destructo. Neque dicas, relate ad hunc calorem aut subiectum esse materialiter eumdem, & formaliter diversum, quia scilicèt subiicitur diversæ agentis actioni; aut haberi caloris diversitatem à diversitate temporis. Utrumque enim haberetur in casu nostro; nàm secundus gradus caloris & producitur per novam actionem agentis, & producitur successivè, adeoque in alio tempore à primo. Ad 3. esse qualitates completas facit duplicem sensum. primus, quod sint qualitates non excurrentes actu ad aliam similem qualitatem, in quo sensu palmus divisus est quid completum: & in hoc sensu calor etiam ut 4. est completus. secundus, quod sint qualitates in tali mensura, cui naturaliter fieri additio non possit: & in hoc sensu est completus calor ut 8. In primo sensu completum accipitur pro eo, quod est actu tale, sed complebile potentia. in secundo sensu accipitur completum pro eo, quod est actu, & potentia tale. Jam verò neutrum, retinendo completio-

nem, quæ confunditur cum terminatione, potest ulterius compleri per novam qualitatem accedentem. sed amittendo completionem, potest ulterius compleri primum, alterum non potest; quia non potest naturaliter completionem, seù terminationem amittere, & ulterius ad aliam qualitatem excurrere; est enim summum, & impletivum totius capacitatis subjecti. De quantitate, & ubicatione est alia planè ratio; neque enim sunt capaces intensionis, ut in metaphysicis probabo; quod idem fateri debent adversarii, contra quòs eadem pariter instantia urgeri potest; quid enim est, cur quantitati, & ubicationi non possit novus modus perfectionis advenire?

Obiic. 3. Qualitas est forma simplex, non ex partibus aggregata, quod probat Goudinus 1. quia proprium est quantitatis habere partes integrales. 2. quia rudis admodum, & absurda est imaginatio, qualitatem apprehendere ut cumulum partialium qualitatularum. quid. n. partes istæ discretæ sunt, an continuæ? si discretæ, unam qualitatem non componunt. Si continuæ, quibus vinculis? an eo absurditatis deveniendum erit, ut qualitas dicatur esse de genere continuorum?

Nego assumptum. ad primam probationem respondeo quantitatis proprium esse, ut habeas partes integrantes per extra: qualitatis verò ut habeat partes integrantes per intra, seù in eadem parte subiecti. Ad 2. (mitto eam esse contextam ex conviciis sine ulla probatione) dum quæritur, sintne gradus qualitatis discreti, an continui; resp. si nomine continuitatis intelligat unionem, eos esse continuos. cæterum continuos in rigore non appellandos, sed coniunctos; continuitas. n. propriè dicta est eorum, quæ sibi continenter succedunt secundùm locum, aut secundùm tempus. Quod si

si contendas universim, homogenea non posse uniri, nisi continuativè, redargueris à Rubionensi hoc syllogismo: Magis sunt unibilia, quæ unita sunt indistantia, quam illa, quæ unita sunt distantia. sed unita secundùm continuationem sunt distantia: unita sine continuatione, ut distincti calores, sunt indistantia. ergo non magis prima possunt unum facere, quam secunda.

Obiic. 4. gradus superveniens aut perfectior est præexistente, aut imperfectior, aut æquè perfectus. si perfectior, superfluit præexistens. si imperfectior, non perficit præexistentem. Si æque perfectus, multiplicabit dumtaxat gradum præexistentem, sed illum non evehet ad gradum sublimiorem; sicut nummus unus argenteus additus alteri æquè perfecto multiplicat perfectionem, sed non facit aliquid perfectius.

Hoc argumentum, quod efficax appellat Goudinus, nihil planè probat ex assumptis. Non primum; quia non semper, quod est perfectius, excludit ut superfluum, quod est imperfectius, sed solùm, cum continet eminenter omnem eius perfectionem, ut accidit in anima rationali excludente per suum adventum formas præexistentes imperfectiores. at verò qui statuit secundum gradum perfectiorem primo, non tenetur eo ipso concedere, quod continetur in secundo, quidquid est perfectionis in primo. saltem hoc ipsum debuisset Goudinus probare. Non secundum; quia si perfectio imperfectioris in perfectiore non continetur; est natum etiam imperfectius perficere, quod est perfectius. Sic accidens imperfectius licet substantia, est tamen aptum ad substantiam perficiendam. Non denique tertium; plures enim gradus æquè perfecti, qui nati sint invicem copulari, sunt etiam na-

ti aliquid perfectius constituere ; ut enim in quantitate molis, ità & in quantitate virtutis totum est majus parte. & hic est gradus ille sublimior, ad quem per novi adventum evehitur præexistens, quatenus scilicet evadit cum eo pars qualitatis perfectioris ; non enim alia est sublimitas intensionis major, quam majoritas perfectionis intra eandem speciem. Neque est par ratio de nummis argenteis, quæ cum non constituant unum, nec possunt constituere unum perfectius. Cæterum cum constituant unum per modum aggregati ; nihil est, eur formidemus asserere, quod faciant in hoc sensu unum perfectius.

CAPUT VI.

Utrùm gradus, quibus qualitas intenditur, sint homogenei, an heterogenei.

PRima sententia, quam tuetur P. Suarez disp.46. met. sec.1. num.38. Hurtadus de Gen. dispu.5. sec.6.aliique ex Rec. non pauci defendit gradus heterogeneos, ac dissimilares secundùm entitativam perfectionem, dicentesque naturalem ordinem, ut qui primo introducitur, natura sua sit primus, atque ita reliqui. Altera est sententia Aresii disp.3. de Gen. qu.26. sec.3. distinguentis inter qualitates non habentes, & habentes contrarium, quarum primas putat gradibus homogenis, alteras heterogeneis constare. Tertia est communior sententia, quæ omnes qualitates intendi pariter censet per homogeneos gradus. Hanc defendit Albertus, Bonaventura ; Scotus, Ockam, Gregorius apud Suarium loc. cit. &

ex

ex Recc. Vasquez, Ruvius, Toletus, Arriaga, aliique passim apud Comptonum de Gen. disp. 10. sec. 1.

§. I.

Asseritur Graduum homogeneitas.

DIco 1. Gradus nullam habentes inter se subordinationem naturalem, aut aliam quamlibet diversitatem, sunt nati facere intensionem. quare si partes qualitatis per subiectum extensæ, in una subiecti parte coadunentur, facient eo ipso qualitatem magis intensam.

Prob. 1. Qualitas validior effecta in vi operativa est qualitas intensior. atqui plures gradus homogenei si coniungantur, faciunt vim qualitatis operativam validiorem. ergo eam faciunt intensiorem. prob. min. si enim partes qualitatis homogeneæ, quæ sunt per alias, & alias subiecti partes dispersæ, magis invicem per densitatem coniunctæ reddunt activiorem qualitatem, ut docet experientia; à fortiori id ipsum præstabunt, si sint in eadem omninò parte subiecti. Prætereà qualitas ex suo genere est perfectio substantiæ, atque eius plerumque activitas. ut ergo qualitas addita qualitati eiusdem omninò rationis per extra, reddit illam extensivè perfectiorem, imò & simpliciter activiorem; nàm sine dubio activior est magnus, quam parvus ignis, ità & qualitas addita qualitati per intra, reddet eo ipso subiectum idem magis quale, magis perfectum, magis operativum; quid enim hoc non præstet perfectio perfectioni, virtus virtuti, & activitas addita activitati?

 2. Sit

2. Sit agens luminosum, quod in partem medii distantem per 10. passus non possit producere, nisi lumen ut duo. Jam si aliud æquale luminosum à primo dissitum eidem parti per æqualem distantiam admoveatur, non poterit producere, nisi lumen ut duo, & quidem eiusdem omninò rationis cum lumine, quod producitur à primo. Neutrum enim agens per alterius præsentiam fit validius, adeoque non aliud lumen possunt producere, nisi illud ipsum, quod possent, absente altero; & cum supponantur dissita, unum agens perfectius non componunt. Atqui, experientia teste, pars medii à duplici illo agente redditur intensius illuminata. ergo intensio est nata fieri per gradus homogeneos.

3. Prima cognitio veritatis A relinquit in intellectu speciem, quam relinquit altera eiusdem rationis cognitio de eadem veritate. atqui secunda species addita primæ reddit illam intensiorem, ac perfectiorem: neque alius est modus, quo habituum intensio perficitur, ut probabo in De Anima. ergo universim pars una qualitatis alteri prorsus homogeneæ addita nata est illam perficere, & intendere.

Dico 2. Gradus heterogenei, quales ponuntur ab adversariis, non sunt nati facere intensionem.

Probo id primum ex impossibilitate heterogeneitatis partium in iis, quæ componuntur ex semper divisibilibus, quale esse qualitatem in superioribus probavi. Aut enim nulli gradus qualitatis sunt homogenei; aut aliqui homogenei, aliqui sunt heterogenei. Hoc secundum non dicitur consequenter; ille enim gradus, qui statuitur ex partibus similibus constitutus, verè est intensus; & con-

tra

tra hanc intensionem militant, quæcumque contra intensionem totius qualitatis ex homogeneis constantem afferunt adversarii. Illud primum dici cohærenter non potest ad doctrinam Philosophi ex eo præsertim capite Anaxagoram authorem infinitorum principiorum reiicientis. quod si verum id esset, nulla foret possibilis de rebus naturalibus scientia; deberent enim ea singillatim cognosci, ut cognoscatur natura; nec possent, cum sint infinita. Quæ ratio vim habet in heterogeneitate principiorum; si enim ea essent homogenea, quales sunt partes quantitatem integrantes, nulla esset probatio; quandoquidem aut principia sumerentur ut singularia; atque ita de iis non est scientia: vel secundum rationes essentiales; atque ità cognito uno, cognoscerentur & reliqua. Quod totum si verum est, æquè militat adversus infinitas partes heterogeneas qualitatem in sua intensione constituentes.

Probo id ipsum 2. Qualitates specie differentes non sunt natæ componere unam intensiorem qualitatem, ut est apud omnes inconcussum; tum quia intensio, & remissio dicunt magis, & minus intra eandem speciem. tum quia secus calor siccitati additus illam redderet intensiorem. Atqui gradus cuiuslibet qualitatis si heterogenei sunt, specie differentes sunt; ea enim specie differunt, quæ differunt in prædicato partibili, & pluribus individuis communicabili. hac autem ratione different primus, & alter gradus: haberent enim prædicata, in quibus discrepant, pluribus primis, secundisque communia.

Dicunt primo, eos differre secundum speciem inadæquatam. Quid sit species ista inadæquata, non intelligo. aut enim habent, aut non habent prædicatum differentiale par-

tibile. si non habent, specie non differunt. si habent, specie adæquata differunt, quæ quidem adæquata non est, nisi quia genere constat, ac differentia.

Dicuntur deindè, prædicata, per quæ gradus differunt, esse hæc ipsa, ut alius sit primus, alius secundus, &c. ex quo infertur eos esse gradus eiusdem qualitatis. non sic calor, & siccitas. Sed prædicata primi, & secundi sunt secundaria, adeoque supponunt perfectiones antecedentes, ad quas consequuntur, & per quas specie differre contendo. Hoc igitur est, quod impossibile probavi, ut quæ habent specificam differentiam, ità comparentur, ut unus sit primus, alter secundus gradus eiusdem qualitatis; aliter calor, qui est qualitas prima, erit natus componere intensiorem qualitatem cum dulcedine, quæ est qualitas secunda.

Dico 3. Nulla qualitas conflatur ex gradibus heterogeneis. Descendit ex dictis, & rursus confirmatur. nullo enim fundamento inter partes eiusdem qualitatis heterogeneitas asseritur. & quidem hanc probare incumbit adversario novam, maioremque perfectionem in gradus inveheti. quid enim? si pariter extensionem quantitativam ex partibus dissimilaribus constituerem. Atqui heterogeneitatem huiusmodi non solidè ab adversario probari, sequentia ostendent.

§. II.

Graduum homogeneitas ab objectis vindicatur.

OBiic. 1. Si gradus sint homogenei, non est ratio, cur hic primo, alter secundo loco in subjectum inducantur, ex quo illud absurdum consequitur, quod operationes naturæ non sint per se ordinatæ.

Ad hoc sufficienter est dictum l. 2. quæst. 4. c. 6. & quidem inquiro, utrum sicuti primus gradus à secundo; ità & unus primus ab altero primo differat, sintque isti etiam heterogenei. si ais, rem valde duram, & probatu difficilem astruis. si negas; jam quemadmodum ad Deum recurris, ut determinet, quis potissimum ex tot primis possibilibus producatur; ita & ad Deum recurres sine absurdo, ut decernat huic primum, illi secundum in intensione locum. Et dum infers operationes naturæ futuras accidentariè tantum ordinatas, dico id esse verum, si nomine ordinis accidentarii veniatis, qui ita hic, & nunc intensivis partibus convenit, ut potuisset non is competere, sed alius; Atqui hoc unum non est satis, ut ordo dicatur omninò per accidens; requiritur enim prætereà, ut non sit ordo exigitus ullo modo à natura qualitatis. sic quamvis materia nullam exigat determinatè formam, quia tamen aliquam exigit, non est illi omninò accidentale, ac veluti casuale, quod istam habeat.

Obiic. 2. Qualitates opponuntur in gradibus intensis, non in remissis. ergò gradus non

sunt

sunt homogenei; si enim essent, octavus gradus caloris non daret effectum formalem diversum à primo; adeoque si primus gradus frigoris non repugnat cum primo, nec pugnat cum octavo caloris.

Resp. unum gradum frigoris esse compossibilem cum quolibet seorsim gradu caloris, non tamen cum octo simul caloris gradibus. non quod contrarietas non sit in ipsis qualitatibus secundum naturam suam spectatis; sed quod est in illis solum in actu primo, quæ ut in actu secundo exerceatur, opus est intensio major, & minor; ita ut si summa sit intensio unius, nulla sit alterius: & si unius sit remissa, alterius etiam proportionaliter sit remissa. De qua re iterum in metaphysicis.

Instabis. ergò unus gradus frigoris de novo introducendus cum sola collectione octo graduum opponetur. quare cum subjectum habet 4. caloris, & totidem frigoris gradus, non erit ratio, cur ad introductionem novi gradus frigoris debeat gradus caloris potius, quam frigoris corrumpi. sequela est satis absurda, & probatur; quia gradus frigoris adveniens non opponitur cum 4. gradibus caloris, quibuscum staret, nisi alii 4. frigoris gradus subjecto inessent. ergò opponitur per se primò toti collectioni ex 4. caloris, & 4. frigoris gradibus conflatæ. atqui ista tollitur, sublato gradu, seu frigoris, seù caloris, ergò non est ratio, cur hic potius, quam ille expellatur.

Resp. gradum frigoris de novo productum exigere de sua natura, ut faciat unum cum frigore præexistente, cum eoque componat intensionem ut quinque, cuius est exigere destructionem unius ex 4. caloris gradibus. Quod si petas, cur frigus exigat conjungi cum frigore,

& accedere ad ejus partes, inepte petis; neque aliter satisfieri potest? nisi id ipsum afferendo in rationem, quia frigus est frigus. Accedit, quod cum novus frigoris gradus inducitur, adest agens productivum, & conservativum frigoris, non caloris. quare necesse est, ut calor, non frigus destruatur.

Obiic. 3. Si gradus omninò similes essent, simile agere posset in simile. v. g. calidum ut 4. illudque magis intendere. quartus enim gradus existens in uno potest producere quintum, eiusdem omninò rationis in alio.

De actione similis in simile agam ex professo c. 1. quæstionis sequentis. Nunc illud contendo, argumentum solvendum etiam esse ab adversariis, qui cum teneant totam graduum heterogeneitatem esse individualem, necesse est, ut admittant quemlibet gradum à quolibet posse produci, adeoque & quintum à quarto. excessus enim individualis unius supra aliud non tollit, quominus unum individuum ab alio produci possit; cum individuatio, & si qua est in ea latitudo perfectionis, divinæ actioni correspondeat.

Præter hæc cum certum sit, agens non assimilare sibi perfectè passum, dicant adversarii, quid sit, quod primus gradus, aliique usque ad septimum alios sibi similes in medium inducant, & octavus, qui reliquis ut perfectior, ita & activior est, manus in sinu contineat, aliumque octavum similem in medio non producat? Recurrant hic etiam ipsi oportet ad naturam agentium ab experientia notam, cuius alia ratio reddi à priori non potest. Idem & nos in præsenti dicemus, quod simile non agat in simile; quia hæc est agentium natura per experientiam nota.

Obiic. 4. ex P. Maur. Phil. l. 4. q. 28. nu. 4. Experientia docet, aquam frigidissimam cito perduci

duci ad teporem, h. e. ad caloris, & frigoris æquilibrium; sed ad calorem intensissimum difficile, & multo majore mora temporis interjecta. Quod si gradus essent homogenei, oppositum contingeret. etenim dum primi 4. gradus caloris introducuntur, agit totus calor ignis, & resistit totum frigus aquæ. dum vero introducuntur reliqui caloris gradus, agit idem calor ignis, sed non resistit, nisi frigus jam imminutum, & dimidiatum. manente ergo eadem virtute agentis, & debilitata resistentia passi, deberet citius in fine, quam in principio calefactio perfici. Quod si gradus supponantur heterogenei, facilis est experimenti ratio. dum enim introducitur primus gradus caloris, agit totus calor ignis (quia scilicet nullus gradus potest sibi similem efficere, nisi producto primo, adeoque omnes conantur ad productionem primi) & non resistit, nisi octavus gradus frigoris, qui unus est illi contrarius, ab eoque expellendus. citius ergo perficitur initio calefactio, superante resistentiam activitate. at introductionem octavi gradus caloris in passo non perficit, nisi octavus gradus agentis: nec resistit nisi primus gradus frigoris. tardius ergo procedit in fine calefactio, æquante resistentiam activitate.

Hoc experimentum solvendum prius est à suo authore; quæ enim affert in rationem, satis, ut puto, arbitrariè sunt dicta. Primò enim falsum est, ad productionem octavi gradus non concurrere, nisi octavum. tum quia, ut modo dictum est, gradus non differunt, nisi individualiter: quæ differentia satis non est, ut tollat unius in alterum activitatem. tum quia utcumque concedatur octavum gradum non posse produci adæquatè à primo imperfectiore; non tamen video, qua vel probabili ratione negetur posse primum una cum reli-

quis,

quis, adeoque ut causam inadæquatam concurrere ad octavum.

2. Inquiro, cur ad productionem primi concurrunt omnes octo gradus caloris existentes in igne? quia, inquis, primus gradus est fundamentum cæterorum, nec possunt alii introduci nisi post primum, At si quid valet hæc ratio, probat æquè, dum introducitur primus gradus caloris, resistere non modo octavum gradum frigoris, qui cum eo pugnat, sed etiam reliquos; nam etiam ex parte frigoris in expulsione primi gradus agitur communis causa, cum illius expulsio sit via ad expulsionem aliorum, nec possint alii, nisi post primum, expelli. quare non minus omnes gradus frigoris sua naturali exigentia repugnabunt, ne primus expellatur, quam conentur omnes gradus caloris, ut primus introducatur. Ex quo fiet, ut semper habeatur æqualis activitati resistentia; initio enim producent 8. gradus caloris, & resistent 8. frigoris; in fine producet unus gradus caloris, & resistit unus frigoris. Data igitur heterogeneitate graduum, æquali adhuc tempore procedere deberet initium, & perfectio alterationis.

Directè respondeo, quod sicuti agens alterativum habet sphæram secundum locum, in qua agit magis in propinquum, quam in remotum: ita & habeat sphæram secundum tempus, in qua magis initio, quam in fine virtutem exerit. Cuius rei duplicem causam invenio. 1. est; quia ut habetur ex Philosopho, & infra explicabitur, in agentibus contrariis ipsa contrarietas est ratio agendi. quanto igitur contrarietas est maior, tanto maior est activitas. quare cum initio contrarietas sit maior, non mirum, quod tunc actio sit vehementior, ipsa maiore passi resistentia magis acuente virtutem. 1. est; quia substantia ipsa aquæ, quam resistere per se ip-

sam

ſam ſuperius eſt dictum, minus initio; magis reſiſtit, ac retardat actionem in fine, eo quod magis tunc ad interitum vergat; cum initio proximè periculum corruptionis non urgeat. Neque valet, quod huic reſponſioni opponunt adverſarii, aquam eſſe cauſam naturalem, adeoque ſemper agere, ſemper reſiſtere, quantum poteſt, ergo ſemper eodem modo agit; ſemper eodē modo reſiſtit. Nego enim conſequentiam; aliter agens quodlibet in tota ſphæra eodem modo ageret. ex illo igitur antecedente ſolum fit, ut aqua initio minus reſiſtat, & non poſſit magis: in fine magis reſiſtat, & non poſſit minus.

Ut verò videant, maiorem hanc ſubſtantiæ reſiſtentiam non gratis aſſumi, ad eam comprobandam accipio aliud experimentum, quod affert Phil.l.4.de Gen:Anim.c.4.ubi, *Ignis*, inquit, *non quo plus fuerit, eo magis calefaciet aquam, ſed certus caloris terminus eſt, ultra quem ſi ignem augeas, nihilo reddes aquam calidiorem, ſed facies, ut magis evaporetur, demumque deleatur, & exſiccetur*. Ratio huius experientiæ non eſt; ut conſtat, à graduum heterogeneitate; neque verò poteſt alia probabilis afferri, quam quæ deſumitur ab ipſa reſiſtentia aquę ſupra modum aucta, & conſervante immobiliter ultimos frigoris gradus. Nil ergo mirum, ſi creſcente actione calefactiva, dicamus augeri magis ſubſtantiæ reſiſtentiam, quæ ſcilicet uſque eo demum creſcit, ut ſuperius nullatenus poſſit.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA

De conditionibus ad agendum requisitis.

Post substantiam actionis, tum generativæ, tum alterativæ examinatam, multæ supersunt conditiones, quæ utramque, vel alteram aut præeunt, aut comitantur, quas oportet singillatim paucis excutere.

CAPUT I.

An requiratur ad agendum dissimilitudo agentis cum passo.

§. I.

Statuitur, quid dicendum de actionibus strictè alterativis.

COmmunis responsio est affirmativa, quam docet Philosophus 1. de Gen. t.49. ubi approbat & sententiam, & rationem antiquorum unanimiter asserentium simile à simili pati neutiquam posse: loquebantur autem de actione univoca, & de agentibus contrariis, quæ sunt in rigore alterativa. Id unum ergo mihi in præsenti constituo, ut aperiam progressum doctrinæ, quam ibi tradit Aristoteles; ita enim & explicabitur, & ostendetur communis dicti veritas.

Veteres igitur omnes ante Democritum Philosophos in hoc ait consensisse, quod ea, quæ agunt, & patiuntur invicem, necessè est esse penitus dissimilia. rationem eam dabant; quia non est maior ratio, cur unum potius, quam aliud sit agens. At contra singulariter Democritus asseruit, agens, & passum esse omnino

idem,

idem, & simile: quæ vero diversa sunt, & dissimilia, nec agere, nec pati invicem. Utrosque Aristoteles putat falsos fuisse; nam & quæ sunt omninò similia, consentaneum est, ut invicem non patiantur; *cur enim*, inquit, *potius alterum altero erit passivum? Item si fieri queat, ut quippiam patiatur à simili, illud quoque à se se pati poterit*. & quæ sunt omnino dissimilia, impossibile est, ut mutuo patiantur, & agant: *nam neque albedo à linea, neque linea ab albedine quidquam patietur*. Et quidem omnis actio manat à contrariis: contraria autem necessariò assimilantur in genere; sunt enim quæ sub eodem genere maximè distant. ergo universim actio debet manare nec ab omnino simili, nec ab omninò dissimili, sed à contrario, quod est genere simile, specie verò dissimile.

Quæ Philosophi ratiocinatio potest ad hanc formam reduci. In agentibus strictè alterativis tota ratio agendi est contrarietas. sed nulla est inter omninò similia contrarietas. ergo nulla est, aut esse potest actio. prob. ma. omnis actio destructiva est à contrario qua tali, quod constat tum inductione; nam neque ignis ab igne, nec aqua ab aqua destruitur, sed ignis ab aqua, & aqua ab igne. tum ratione; quia agens destructivum tendit ad assimilationem substantialem ultimatè: qui quidem finis potest acquiri à contrario, non à simili, in quo talis assimilatio in priori ad actionem supponitur. Huic maiori sic probatæ hanc certam minorem adde ad integram probationem: sed omnis actio alterativa est destructiva; unde conficies, omnem actionem alterativam esse à contrario qua tali, adeoque contrarietatem esse rationem agendi in strictè alterativis.

Confirmat hoc idem Philosophus ab absurdo; quia, inquit, si à simili pati aliquid possibile est, & ipsum à se ipso. unde non modo manus calida

calida ut 4. destruetur ab alia item calida ut 4. sed etiam à se ipsa; atque ita nihil erit incorruptibile, & immobile, hoc est, nihil erit, quod non moveat se perpetuo ad interitum, & per qualitates sibi naturaliter debitas destructionem sui continenter non moliatur. sequela prob. quia non minus efficax est calor ut 4. existens in dextera, quam existens in sinistra. ergo si calor dexteræ est natus producere in sinistra quintum gradum, hoc idem poterit calor sinistræ, imò à fortiori propter passi intimitatem.

Ex hoc habeo, quod simile nil possit in simile, non esse à graduum heterogeneitate. si n. cum homogeneitate graduum stat etiam contrarietas, ut dictum supra est, stat tota ratio, cur simile agere in simile alterativè non possit.

Multa porrò adduntur à multis in huius sententiæ probationem, quæ quidem omnia efficacia non sunt, ut patebit sequenti §. illud unum sit in reliquorum specimen, quod à plerisque ut satis efficax affertur; quia, inquiunt, quæ sunt similia secundum calorem, sunt pariter similia secundum frigus. vel ergo mutuò agunt secundum utramque qualitatem; atque ita fit, ut idem moveatur duplici motu contrario: vel secundum unam, & non est maior ratio pro una, quàm pro alia. Sed potest facilè responderi, actionem processuram ab una, quæ sit validior, & quidem tantam, quantam ea potest, detracta ea, que expelleretur ab actione contrarii, si hoc à validiori non impediretur. Itaque si calor produceret per se loquendo calorem ut tria, & frigus ut duo, calor non produceret, nisi calorem ut unum, & frigus hoc tantum efficeret, prohibere reliquam actionem caloris, sic accidit in duplici vi motiva

contraria, ut explicatum est 3. lib. q. 7. c. 4. quæ doctrina potest facilè trahi in rem præsentem.

Adversus conclusionem ita stabilitam pauca opponuntur, eaque non magni momenti. 1. pars ignis interior, & non sola superficies calefacit manum ritè approximatam. jam verò pars interior non potest agere in passum distans, nisi agendo in partem ignis intermediam. ergo una pars ignis agit in aliam, similis nimirum in similem. 2. Densitas quoad augendam activitatem æquivalet intensioni, adeoque maior densitas maiori intensioni. si ergo calidum ut 4. densius admoveatur calido ut 4. rariori, aget in illud nihilo minus, quam si illi admoveretur calidum ut 6. cui æquivalet. 3. minus intensum agit in magis intensum. ergo à fortiori simile in simile. antec. prob. aer enim frigidus aquam conglaciat, quamvis non sit ità frigdus, ut aqua.

Ad 1. resp. ex dictis q. superiori constare, quod omnes ignis partes agunt per modum unius. quamvis ergo una pars ignis non agat in aliam, omnes tamen agunt in medium sine periculo actionis in distans. Ad 2. densitas æquivalet intensioni quoad celeritatem maiorem agendi, aut etiam maiorem, si placet, intensionem qualitatis in passum introducendam, sed nunquam supra intensionem agentis, ut constat ex dictis in probatione conclusionis. Ad 3. aqua concrescit non solùm à frigore, sed etiam à siccitate; unde non semper, quod concrescit, est eo ipso frigidius. Deindè nego aquam esse aere frigidiorem, quamvis propter densitatem plus sentiatur aquæ, quam aeris frigus.

§. II.

§. II.

Statuitur, quid dicendum de Actionibus non rigorosè alterativis.

Dico primò. In luminis propagatione nulla contingit actio similis in simile. Hoc dictum non potest efficacitèr probari, nisi per experientiam, qua docemur unum luminosum ab alio non intendi; si enim uni lucernæ alias centum, aut mille admoveas, nihil omnino deprehendes eius lumen augeri; & deberet tamen aliquod fieri in ea sensibile incrementum, quantumvis modicissimum lumen à singulis acciperet. A priori potest argui ex eo, quod lux sequi in hoc debet regulam qualitatum corruptivarum; est enim productivà caloris, qui est qualitas corruptiva. Neque dicas, quod quamvis lux sit calefactiva, potest tamen impediri quandoque à calefaciendo: & ita esset, si ageret in simile illuminando: hæc enim actio utpotè perfectiva non impediretur, sed impediretur calefactio consequens ut potè destructiva. Contrà enim est; quia hæc ratio, seu verius congruentia à priori non affertur ad evincendam veritatem conclusionis satis ab experientia stabilitæ; sed ut detur aliquis finis, quem intendit natura, dum prohibet illuminationem à simili. Hunc autem dicimus esse, quod cum velit natura impedire destructionem à simili, impedit causam etiam æquivocam qualitatis destructivæ. neque enim congruum est, ut apponatur maior causa caloris, ubi impossibilis est calor intensior.

Sed esse videtur in contrarium ipsa experientia. Nam 1. flamma unius candelæ per aliam aspicitur: quod fieri non potest, nisi

nisi unius lumine per aliam trajecto. una ergo flamma illuminatur per aliam. 2. flamma candelæ radio solis exposita, quamvis non videatur medium illuminare, revera tamen illuminat; traiicit enim suum lumen, quo uno videtur, ad oculum. atqui medium videtur esse æqualiter, imo magis à Sole illuminatum, quam sit flamma candelæ per se luminosa. ergo.

Ad 1. multas invenio responsiones apud authores, sed vix ullam, quæ satisfaciat. at neque ego meliorem dabo: dabo tamen aliquam. Dico igitur, quod una lucerna traiicit suam lucem usque ad aliam, quam quia invenit perfectè assimilatam, nihil in eam agit, pergit tamen deindè agere in medium, quod quidem continuatur, & habet rationem unius passi propter qualitatem eiusdem rationis in toto ipso productam, licet non ab eodem agente. Ad 2: nego, medium à Sole illuminatum plus in se lucis habere, quam habeat flamma per se, suamque naturam ab intrinseco, adeoque & in summo luminosa. poterit ergo ea lucis tantillum ad oculum immittere absque eo, quod agat in simile.

Dico secundò. in productione impulsus habetur omninò actio similis in simile. Hoc etiam dictum experientia confirmat: pro qua suppono, impulsum, quem grave producit in se, dum descendit, aut in corpore subjecto, in quod impingit, aut cui incumbit, eiusdem esse rationis cum insita gravitate; tam enim gravitas, quam impulsus per eandem lineam deorsum movent; neque vero quod qualitas in uno subiecto sit naturaliter, in alio aut violenter, aut præter naturaliter, satis est ad specificam distinctionem. Jam verò non solum pondus ut 10. gravitat supra aliud pondus ut 10, adeoque impulsum

ſum illi imprimit, augetque gravitatem, ſed etiam gravitat ſupra pondus ut 100. Rurſus ſi gero pondus ut 10. ſentio impulſum ut 10. ſi addo pondus ut unum, ſentio impulſum ut 11. &c. manifeſtum ergo eſt, quod in productione impulſus ſimile agit in ſimile, imò & idem in ſe ipſum.

Solvenda nunc ſunt argumenta, quæ univerſim probant à priori, nullum ſimile poſſe agere in ſimile. 1. arguitur. Finis agentis eſt aſſimilare ſibi paſſum: quod principium, ait Arriaga, eſt per ſe notum. ergo ubi invenit paſſum jam aſſimilatum, nihil poteſt agere. 2. arguit Ruvius. non poteſt à cauſa imperfectiore manare effectus perfectior. ſed intenſio ut quinque eſt peſectior intenſione ut 4. ergo non poteſt intenſum ut 4. reddere paſſum intenſum ut 5. 3. arguit Suarez. agens non agit, niſi quatenus ipſum eſt actu, & paſſum in potentia. ſed unum ſimile non eſt in actu relatè ad aliud, nec aliud in potentia relatè ad ipſum. ergo non poteſt agere. min. prob. ut enim ſit in actu, debet continere illam intenſionem, quam debet in paſſum introducere.

Ad 1. maior in materia impulſus eſt falſa omninò, quidquid ex oppoſito minitetur Arriaga. finis enim gravitatis in tota ſua actione non eſt aſſimilatio ullius paſſi, ſed quies mobilis in naturali ſuo loco. Imò nec convincitur hoc argumento, non poſſe luminoſum agere in ſimile, finis enim luminoſi ultimatus non eſt actio ulla realis aſſimilativa ſubſtantialiter, ſed eſt, ut ipſum, & alia per ipſum viſibilia reddantur, adeoque reſpicit ultimò aſſimilationem intentionalem. Erit ergo contrà finem naturæ, ſi ſimile agat in ſimile in actione calefactiva, & deſtructiva, quæ haberi conſequenter, niſi per contrarium

non potest. si vero simile in simile agat per actionem illuminativam, erit potius juxta finem naturæ agentis in omnem partem, & in quodcumque medium, ut innotescat.

Ad 2. Qui intendit ut quinque passum jam habens qualitatem intensam ut 4. revera non producit, nisi unum gradum, quem præcedentibus adiungit; adeoque non ponit intensionem ut quinque syncategorematicè acceptam secundum singulas partes, sed categorematicè ratione unius dumtaxat partis, quæ perfectionem agentis non excedit. Sic qui generat unum hominem, eumque adjungit nonaginta novem præsuppositis, virtute sua efficit centenarium, sed non nisi ratione unius centesimi, cui soli par est ipsius activitas.

Ad 3. quod est simile præcedenti, nego minorem. ad probationem dico, ut simile agat in simile, non esse opus, ut totam intensionem, quæ post actionem ipsius habetur in passo, antecedenter contineat, sed satis est, si contineat illum gradum, qui additus facit excessum. Ità qui habet 10. nummos, potest alium habentem nummos 90. ditiorem, ac dominum 100. nummorum efficere, addendo solum eos decem, qui centenarium complent.

§. III.

Non contingit simile agere in simile vi reflexionis, aut refractionis.

Aliqua prius notanda sunt de natura actionis tum reflexæ, tum refractæ, ut videatur nullam, in iis contingere actionem simi-

milis in simile. Triplex igitur actio in generatione præsertim illuminativa distinguitur, directa, reflexa, & refracta. Prima, de qua hactenus, est, quæ per rectam lineam in totam sphæram protenditur nullo prorsus angulo, aut curvitate violatam. Atque ità per se loquendo natura semper operatur, quæ amat scilicet in operationibus suis brevissimam, adeoque rectissimam viam.

Altera est actio reflexa, quæ impedita ne ulterius rectà progrediatur, quòd incidat in obicem actionis incapacem, incipit retrò versus principium reverti, ut solet pila terræ illisa violenter regredi ad motus principium. Sed enim ne reflexionem istam qualitatis ità materialiter accipias, ut omninò se se pariter, ac pilam revertentem habere credas, est enim sensus, quod ab agente per medium recta linea procedit qualitas, alia tamen in alia medii parte producta: quæ actio si interrumpatur ab obice, incipit agens retrò qualitatem producere, ut jam dicetur.

Præter hæc actio non semper eadem linea revertitur, qua venerat, sed tunc solum id contingit, cum cadit perpendiculariter suprà planum. Cæterum si directio cadat obliquè ità, ut cum plano efficiat angulum acutum, qui & dicitur angulus incidentiæ, revertitur per oppositam plani partem, æqualem omninò cum ea angulum, qui dicitur reflexionis, efficiens. Aequalitas ista angulorum incidentiæ, & reflexionis undè sit, disputant Optico-Physici, ut videre est apud P. De Chales l. 1. Catoptrices suppositione 2. Ea mihi videtur expeditissima ratio, quæ fundatur in eo ipso principio, cui nititur actio directa per rectam lineam propagata, quod scilicet natura in operando amat brevissimam viam. atqui linea recessus si æqualem

angulum cum plano constituit cum angulo, quem constituit linea accessus, per brevissimam viam actio progreditur; nam illum ipsum angulum efficit, quem efficeret linea accessus, si rectà progrederetur intersecando planum. quarè tam brevi via procedet reflexa, quàm procederet directa.

Rursus actio reflexa semper est directa debilior: quod & constat ab experientia; nàm solis eclypsin, adhibita aqua, aut speculo, intuemur facilius, quam si oculum in solem ipsum dirigeremus. & ratione; eandem enim lucem reflectit agens in medium, quam propagaret ulterius. sed ulterius minorem lucem propagaret. ergo minorem reflectit. Addo, quod minorem etiam reflectit, quam propagaret; cum enim aqua, & chrystallus sint corpora diaphana, multum lucis pervadit ipsarum substantiam, adeoque non totum lumen reflectitur. quod ipsum accidit, ubi reflexio fit ab obice opaco; cum enim corpora eiusmodi porosa sint, multum in poris ipsorum lucis ingreditur, quod exitum non habet.

Sed cum dico actionem reflexam debiliorem esse directa, intelligendum per se, seù vi præcisa reflexæ actionis. Cæterum actionem reflexam posse medii qualitatem intendere, certum est primò, dum ea coincidit cum directa perpendiculari; tunc enim necesse est, ut ibi plus qualitatis producatur ex vi actionis utriusque. Certum est secundò, cum radii plurimi à speculo cavo, quod & ustorium dicitur, ità reflectuntur, ut in unam partem; quæ appellatur punctum concursus, coeuntes tantam ibi excitant lucis, calorisque intensionem, ut lignum citius comburatur, quam si in ardentem fornacem iniiceretur: vitrum; ac metalla liquefiant, &c. Qua arte perhibent Archi-

chimedem Romanorum naves Syracusas obsidentium incendisse.

Tertia demum est actio refracta, quæ scilicèt obliquè incidens (si enim incidat perpendiculariter, nulla contingit refractio, & impedita non ab incapacitate, sed à diversa medii dispositione secundum raritatem, & densitatem, pergit quidem ulterius, sed per lineam obliquam, quæque faciat angulum cum priore. Ità usuvenit in vitris, quæ lentis figuram habent, per quæ solares radii transmissi, & inclinati ad idem punctum concursus, ignem ibi excitant, si parabilem materiam nanciscantur. Verùm hæc inflexio radii dupliciter contingit. Vel enim à medio rariore incidit in densius, ut ab aere in aquam; & tunc refractio fit ad perpendicularem, hoc est per lineam perpendiculari viciniorem. Vel à medio densiore incidit in rarius; & tunc refractio fit à perpendiculari, hoc est per lineam à perpendiculari remotiorem. Utrumque accidit ex instituto naturæ actionem restringentis, dum medium magis resistit; dilatantis, dum medium resistit minus. De actione etiam refracta verum est, quod est dictum de actione reflexa, eam scilicet esse directa debiliorem; cuius ratio est, quia non tota lux transmittitur, sed aliquid semper lucis à corpore refringente reflectitur. De his actionibus redibit alibi sermo, ubi in De Cœlo lucem esse non substantiam, sed qualitatem ostendam.

Venio nunc ad propositum, ut inquiram, utrũ in his actionibus simile agat in simile. Laborant in hoc maximè, qui negantes actionem principalis agentis in totum medium, putant id solum fieri per propinquum in remotum. nàm concedere debent, partem mediii, in quam nulla incidit reflexio, agere in partem,

ad quam pervenit reflexio, intensiorem; adeoque minus intensum agere in passum magis intensum; & illud augere ultrà mensuram suam: quod est simile posse agere in simile. nec juvat, si dicant, maiorem intensionem illius partis non nasci adæquatè ab antecedenti, sed etiam à subsequenti regressa. Contrà enim est; quià cum pars sequens totam suam intensionem acceperit mediate quidem, sed tamen verè ab antecedente, consequens est, ut antedens revera illi parti maiorem intensionem tribuat. sic si in aliqua parte medii esset plus qualitatis, quam in agente, quamquam agens immediatè in illam non ageret, adhuc tamen diceretur simpliciter agere in simile; quia tota qualitas medii ultimatè pendet ab ipso.

At verò in mea sententia, qui totam actionem medii alterativam uni agenti principali adæquatè tribuo, nihil est, cur formidem similis in simile actionem in reflexione, aut refractione, quia numquam scilicèt medium habet intensionem parem agenti; saltem numquam habet maiorem, quod propterea dico, ut excipiam reflexionem, ac refractionem illam, qua multi radii in punctum concursus adunantur; ibi enim videtur intensio lucis, & caloris par illi omninò, quæ in igne reperitur excitari.

CA-

CAPUT II.

An requiratur ad agendum distinctio agentis à passo;

ubi

De Antiperistasi.

NOn quæro, utrum idem possit in se actione substantiali, dando scilicet sibi simpliciter ut sit: hoc enim esse impossibile, ostensum est in secundo. nec quæro, an possit in se actione æquivoca, perficiendo se accidentaliter; hoc enim indubitatum est tum in potentiis vitalibus suos in se vitæ actus producentibus; tum in potentiis motivis elementorum suas in se efficientibus naturales ubicationes. Restat ergo inquirendum, an idem possit in se actione univoca, calor nim. se intendendo magis in eodem subiecto, atque ità lux, aliæque qualitates. In qua re resolutio negativa est communissima, & satis comperta ab experientia; calidum enim ut duo, nisi accedat ab extrinseco validior actio, numquam ultra illum gradum intensionem caloris à calore, quem habet, accipiet. Idem constat de luminoso, in quo si posset id contingere, statim se ad summum lumen proveheret, propterea quod lumini, nulla fiat à contrario resistentia. Ratio huius à priori est, eadem, quæ probat simile non agere in simile, sivè in actione strictè alterativa, qualis est calefactio, sivè in perfectiva, quæ tamen inductiva per se est alterativæ, qualis est illuminatio. Huius tamen generalis regulæ exceptio

in una est, quod sciam, gravitate augente per motum in se impulsum, adeoque & augente se; impulsus enim eiusmodi, ut dictum est, gravitas quædam transiens est, quæ probabiliter à permanente distincta non est secundùm speciem.

Contra hoc commune, certum placitum difficultatem movet actio illa, quæ Græco vocabulo Antiperistasis appellatur, Latino autem Circumobsistentia. Hæc ut explicetur, referam, quæ vulgò de ea Peripatetici præsertim antiquiores, quæ contra eam recentes Atomistæ: tum demum concludam, quid re ipsa sentiendum.

Supponunt igitur primo Peripatetici omnes, tamquam compertissimum ab experientia, quod dum unum contrarium ab alio, frigidum v. g. à calido circumsistitur, & obsidetur, suas intra se vires colligunt, easque intendunt magis: quod contingere aiunt in aquis putealibus per æstatem frigidioribus, per hiemem calidioribus &c. tum pergunt causam huius in se veluti reflexæ actionis inquirere: sed non omnes aptam adducunt.

Marsilius, Venetus, Albertus Saxonia, aliiq; apud Toletum 1. de Gen. c.7.q.14. contendunt eiusmodi incrementum fieri à causa non univoca, sed æquivoca; haberi enim ajunt per repercussionem specierum intentionalium tangibilium factam à contrario circumstante; quia scilicet species frigoris ab aqua emissæ, incidentesque in aerem calidum, in aquam regrediuntur, & ulterius ei frigus imprimunt.

Hic modus dicendi nihil habet probabile. 1. enim nullæ sunt species intentionales tangibiles à tangibili qualitate distinctæ, ut probabo in de Anima. 2. species quæcumque intentionales contrario carent; neque enim ut album nigro, sic species albi speciei nigri opponitur.

quia

quin etiam per idem medium propagantur, & sunt inconfusæ in eodem subiecto; ordinantur enim non ad ullius destructionem, sed ad solam productionem similitudinis rei intra potentiam cognoscitivam, adeoque sint oportet omnis contrarietatis expertes. Ex quo fit, ut nulla plane sit ratio, cur frigoris species in aquam à calido obsistente reverberentur: 3. si species repercussæ vim habent augendi frigus, à fortiori eam habent species directæ validiores. hoc autem est invertere rerum naturas, & qualitates intentionales in reales commutare. 4. demum species tactibiles, si quæ sunt, non repræsentant nisi qualitates præsentes, adeoque cum ipsis inseparabiliter connectuntur. Si ergo species frigoris, frigus etiam ipsum ab ambiente reverberatur; proindeque actio intensiva frigori aptius, quam speciei fuisset tribuenda.

Toletus loco citato eam ingreditur, viam, ut, dicat, aquam ad præsentiam contrarii validioris, ut se defendat, suam ad se virtutem activam convertere, suumque frigus colligere, roborare, & intendere magis, atque ità se ad pugnam comparare ex naturali suæ conservationis appetitu.

Sed hic etiam dicendi modus nihilò probabilior est præcedenti. 1. enim dat difficultati manus, & revera admittit simile in simile, idemque agere in se: quod esse falsum satis constat ex dictis. 2. quia utcumque id tolleretur in actione, qua se aqua frigefacit magis; sustineri certè non potest in actione ejusdem aquæ calefactiva. quis enim calorem ut 4. qui, æquali frigido ambiente, non poterat in aqua ulteriorem aliquem gradum comparare, ambiente deindè magis frigefacto, dum & ambiens, & aqua actioni ipsius resistunt, posse alium caloris gradum in se producere dicat?

Contra Peripateticos plerique ex Atomistis junioribus insurgunt, consuetaque audacia stolidæ eos simplicitatis accusant; nos verò, quod eorum dicta quasi oracula sine examine accipimus, apud vulgus traducant, quod fidem, authoritatemque majorum certissimis experientiis præhabemus. negant igitur in re præsenti cum Galeno, & Cardano facti veritatem, cujus proindè frustra quærimus rationem. quod enim, inquiunt, æstate frigidior videatur putealis aqua, calidior hieme, non est, nisi ex sensuum fallacia nobis imponente; æstate enim calidiori gutture, hieme frigidiori hauriuntur: & quia sensus non judicat, nisi de excellenti, major videtur aquæ putealis qualitas ex immutatione non aquæ, sed potentiæ.

Sed primò falsum est, guttur æstate calidius, quam hieme esse. imo verò oppositum constat, nostras nim. internas partes calidiores esse per hiemem, ut patet ex meliore ciborum concoctione. 2. numquid similis sensus, quo fallatur, in thermometro? atqui si thermometrum hieme in cryptas subterraneas deferamus, spiritus in eo inclusus ad multos gradus intumescet: detumescet verò æstate. evidens ergò est ab experientia, subterranea loca frigidiora æstate, calidiora hieme esse. actio autem, à qua id provenit, antiperistasim appellamus.

Et verò si germanam hujus causam inquirimus, nihil esse congruentius apparebit principiis non modo Peripateticis, verùm etiam Atomisticis. Ut enim initio secundæ quæst. indicavi ex Philosophi etiam, ac Peripateticorum mente, multi dantur in corporibus spiritus tum calidi, tùm frigidi, quos halitus & vapores nos dicimus, Atomistæ malunt effluvia nuncupare; qui quidem continenter in

gy-

gyrum è corporibus evolant, & propriam singulis atmosphæram constituunt. Jam verò ejusmodi corpuscula, seù corporum attenuationes fieri potest, ut à contrarii veluti obsidione coactæ evolare non possint, sed intra corpora, quibus naturales sunt, aut violentæ, se contineant, aut aliundè in ea immigrent fugam à victore contrario meditantes; atque ibi propterea majorem qualitatis intensionem efficiant, quam actionem dicimus antiperistasim.

Esse vero in naturalibus spiritibus hanc indolem, ut fugiant à contrariò, seseque in unum locum cogant, duplex mihi demonstrat experientia. nam 1. ut Digbeus, Helmontius, aliique referunt apud Danielem Bartolum tract. 1. de Glacie experimen. 19. dum acerrima vi septentrionalium frigorum integra dolia qua cervisiæ, qua vini solidè glaciantur, in ejus glaciei centro liquor occurrit, purissimus, purusque cervisiæ, ac vini spiritus, qui frigidi actionem undique per gyrum instantem fugiens, eò se totus contrahit in unum corpus, qui prius reliquum liquorem pervadens, saporem illi, vigoremque conferebat. 2. dum Aquilæ in Pelignis agerem, memini me olim expertum, rigidissima hieme præter morem, modumque sæviente, malum vi frigoris glaciatum in medias prunas conjectum, solidam ipsam horam ibi hæsisse eo eventu, ut, cum pars mali extima, perusta jam esset, intima tamen usque adeo fuerit gelida, ut cujusvis glaciei frigus æquaret. Quod quidem non video, undè oriri potuit, nisi ex recessu spirituum frigidorum ignem circumpositum fugientium in partes mali interiores.

Ex hac porrò fuga, concursuque spirituum seu frigidorum, seu calidorum consequa-

tur oportet intensio major seu frigoris, seù caloris; aucta enim causa, augetur naturaliter effectus. Hinc loca subterranea æstate frigidiora, calidiora hieme sunt; quia scilicèt æstate eò se conferunt vapores frigidi per aerem ante dispersi; hieme verò calidi halitus à frigidis prædominantibus pulsi asylum inibi quærunt. Hinc etiam hieme, flante præsertim Borea, stomachus vehementius incalescit, ciboſque citius ac melius concoquit; quia nim, externo frigore partes corporis extimæ constringuntur, & spiritus vitales concoctionem juvantes coercentur, & in stomachum coguntur; ubi & naturalem calorem intendunt, & vim nutritivam validius fovent. Hinc & aliorum istiusmodi experimentorum facilis ratio datur. itaque non video, quid in hac re possit meritò istis displicere, nisi hoc unum, quod Aristotelis sit & nomen, & doctrina antiperistasis:

Obiic. 1. cum authore Philosophiæ veteris, & novæ in regia Burgundia pertractatæ Phys. par. 2. tr. 2. dissert. 1. c. 2. experientiam supèrius positæ omninò contrariam: *cum enim*, inquit *in specu subterranea regii observatorii 84. pedes alta per biennium duo thermcmetra essent collocata, spiritus vini eandem penè altitudinem in qualibet anni tempestate retinuit; nisi quod æstate paulo altius sublatus apparuerit, cum scilicet aer subterraneus adeò gelidus nobis videtur.*

Resp. afferendo, quæ in contrarium expertus est P. Nicolaus Zucchius, vir sapientia, & probitate satis conspicuus, par. 4. Phil de Mach. exper. 3. ubi, *Thermoscopium*, inquit; *intra eandem cavernam detentum per triennium semper exhibuerat aerem æstate intra tubum vitreum in majores angustias redactum, assurgente aqua ex ampulla subjecta, cui*

altera tubi extremitas erat immersa, ad replendas partes illius ab aere restricto derelictas. Eundem hieme dilatatum, aqua in tubo vitreo deorsum extrusa. Quæ cum ita sint, fatendum est aliam in aliis esse locis dispositionem, quæ possit antiperistasim aliundè jam, quam ab hoc uno experimento stabilitam, aut impedire, aut promovere. constat enim puteales aquas in profunditate licet æquali non esse tamen æqualiter frigidas, sed ad id multum conferre continentis qualitatem. Potuit ergo contingere in Gallico experimento, ut specus illa subterranea concursum halituum frigidorum æstate; calidorum hieme facilè disperderet, atque ita immutationem ab extrinseco pateretur perinde, ut subterranea non esset, aut paulò minus: quod in Zucchii caverna non contingit.

Obiic. 2. Halitus non fugiunt, nisi dum contrarium timent. hoc autem fieri non potest, nisi concedatur periculum eos suum nosse; aliter quo pacto determinantur, ut modo fugiant, modo subsistant? Atqui hoc est rebus insensibilibus, ac mortuis non vitam solum, verum etiam sensum, cognitionem, electionemque tribuere: quo quid absurdius?

Hoc argumento sæpius adversus Peripateticos utuntur Atomistæ mea quidem sententia non satis solidè. quid enim, si quis pariter argueret, lapidi etiam sensum inesse, dum obice remoto descendit, quasi tunc cognoscens nullum sibi esse ad motum impedimentum, sese illico ad motum impellat? Profectò hoc habet omnis virtus naturalis, ut, positis quibusdam ad agendum requisitis, moveat se non per cognitionem, sed per naturam ad operandum, ut videre est in vi motiva, calefactiva, & sim. Jam verò cum data sit cuique virtus à natura, ut se, quantum potest, conser-

vet, aut reagendo, resistendoque, si potest, aut, si non potest, fugiendo, accedendoque ad similia, quibuscum in unum coeat, quo se validius tueatur; non est mirum, si sic spiritus fugiant, & adunentur, posita actione contrarii, quæ est scilicet conditio illa requisita, ut vis istæc nativa exeratur.

CAPUT III.

An requiratur ad agendum approximatio agentis ad passum.

SUperiore quæstione monui, non esse, nec dici actionem in distans illam, qua principale agens actionem suam diffundit per totam sphæram, quam respicit per modum unius passi indistantis, quamvis distent singulæ sphæræ partes. Quod ergo hic quæritur, est, an possit agens operari in passum omninò distans, nihil prorsus operando per medium, adeoque in passum, quod non respiciatur per modum unius cum agente coniuncti.

§. I.

Agens in passum distans naturaliter non agit.

HOc probat experientia, & communis hominum sensus. experientia quidem, quia ubi inter agens, & passum interiicitur corpus incapax actionis, statim actio ab ulteriore progressu prohibetur. Signum ergo est, agens non posse de una ad aliam sphæræ dissitam partem veluti saltare, propagando in passum distans actionem, quæ prius non fuerit propagata in propinquum.

Rur-

Rursus quemadmodum cuique incredibile est, mobile per motum transisse in extremum spatium, non pertransito prius intermedio: ita nihilo magis est credibile illuminari; aut calefieri partem extremam, non illuminata, aut calefacta intermedia. Ratio etiam potest huius reddi fundata in potentiæ naturalis finitate, ac limitatione. constat enim, quæ sunt activiora, posse in maiorem distantiam. non stat ergo cum activitatis finitate posse in omnem distantiam. Atqui si agens posset agere in passum distans, posset in omnem distantiam; medium enim cum materialiter se habeat ad actionem, quæ non debet scilicet per ipsum propagari; sive magnum sit, sive parvum, impertinenter omninò se habebit in ordine ad impediendam actionem.

Obiic. 1. experimenta quæpiam. nam & magnes attrahit ferrum distans, & torpedo manui piscatoris distanti stuporem iniicit, & Basiliscus visu hominem perimit, & vetulæ obtutu pueros fascinant, & struthio ova fovet aspectu. Deindè unguentum armarium, pulvisque sympathicus vulnera longinqua sanant. Postremo venenum ab Apulo araneo in vulnere relictum durat, dum vivit araneus; cessat, eo mortuo. Quare videtur ab araneo distante conservari.

Sed primo à magnete, aliisque per qualitates electricas agentibus constat actionem, quæcumque ea sit, diffundi per medium; ita ut si hæc impediatur, nihil agant. torpedo per lineam, & arundinem ad manum piscatoris torpificam qualitatem immittit. Basiliscus, & vetulæ venenatos halitus ad aliorum, ad quos perveniunt, vel interitum, vel maleficium expirant. Quod de struthione dicitur, fabulæ loco plerisque peritioribus est. Sed si est verum, dicendum ex oculis igneos spiritus

emittere, quibus ova foventur, & excluduntur. De unguento armario, & pulvere sympathico sunt docti viri, qui mordicus tuentur nihil in iis esse, quod naturale non sit: nec quidquam habere, quod præsenti conclusioni adversetur. Equidem id censeo, si ea agant ad omnem, aut magnam distantiam, nullatenus naturalia esse, sed aliquid superstitiosi admiscere. Cæterum si certos intra terminos actio cohibeatur; non puto eam illico damnandam superstitionis esse: sed rem diligentius examinandam; neque enim quod mirabilem habet vim, eam continuo à dæmone mutuatur, cum sint plurima naturæ mirabilia; quæ penitus ignoramus.

Obiic. 2. agens quodlibet certam habet suæ sphæram activitatis. quod si potest in eam totam, à fortiori poterit in unam aliquam eius partem, etiam dissitam; plus enim requiritur ad illuminandam totam sphæram, quam partem sphæræ. si ergo potest luminosum agere in centum palmos, simul omnes illuminando; poterit à fortiori illuminare centesimum solum non illuminatis intermediis: quod est agere in distans.

Resp. plus multo requiri ad illuminandam unam sphæræ dissitam partem, non illuminatis mediis, quam ad illuminandam totam sphæram propter insuperabilem naturaliter connexionem, quam habet actio in partem dissitam cum actione prævia in partem propinquam. Sic plus requiritur ad movendam unam dumtaxat rotam currus, altera immota, quam ad movendam utramque propterea, quod altera cum altera sit connexa; nec potest fieri motus unius sine motu alterius, quin una ab altera discontinuetur, ad quam discontinuationem plus virium requiritur, quam ad motum.

Obiic.

Obiic. 3. si limitatio esset causa, ut dictum est, cur sit impossibilis actio in distans, ablata limitatione, posset agens agere in distans. hoc autem est falsum; Deus enim, qui illimitatus est, & ubique præsens, non potest in distans operari. ergo limitatio non est causa, cur agens non agat in distans.

Resp. si spectamus præcisè vim Dei operativam nullis omninò limitibus circumscriptam, posse eam per locum intrinsecum, & vi suæ illimitationis in agendo operari etiam in distans, quatenus si fiat hypothesis, quod Deus immensus non sit, & tamen retineat vim agendi infinitam, adhuc posset ubique, & ad omnem distantiam operari; ut constabit ex dicendis §. sequenti. Quod autem non possit simpliciter in distans. aliunde est, quia scilicet necessitatem habet, ut cujus spatio reali per suam substantiam sit præsens.

§. II.

Agens in passum distans divinitus potest agere.

HÆc quidem conclusio probari efficacius non potest, quàm solvendo rationes, quæ solent in oppositum urgeri.

Obiic. 1. non potest agens agere nunc, nisi existat nunc. ergo non potest agere hic, nisi existat hic.

Paritas, si quid habet solidi, probat contra certam veritatem, nihil agere nisi immanenter, aut in passum penetratum; ut enim nihil agit, nisi in tempore, in quo est, nec potest agere in proximo, in quo non est; ita, & in loco. Disparitas est. quod non est nunc, simpliciter, & sine addito non est; adeoque non potest dare esse, quod non

 habet.

habet. quod non est hic, sed alibi, simpliciter, & sine addito est, adeoque potest agere, & dare effectui esse, quod habet.

Obiic. 2. Approximatio ut non sit virtus operativa, est tamen conditio virtutis, quæ agens constituit proximè operativum. ut ergò agens non potest agere sine virtute, ità nec sine approximatione.

Resp. approximatione constitui agens connaturaliter dumtaxat operativum. sic præviæ dispositiones prærequiruntur naturaliter ad introductionem formæ, quàm tamen naturæ legem potest Deus abrogare, & efficere ut agens formam inducat in materiam indispositam. Idem dico de approximatione.

Instabis cum P. Mauro l. 4. q. 35. virtus non applicata passo se habet ad illud, ut si non existeret. sed applicatio virtutis est coexistentia temporalis, & proximitas localis ad passum. ergò ne divinitus quidem potest agens in passum localiter distans, ut nè divinitus quidem potest in passum, cui non coexistit.

Major est vera, si nomine applicationis intelligatur extrinsecum causæ determinativum ad agendum. sed falsa est in hoc sensu minor, quam paritas temporalis coexistentiæ satis non probatur. sufficiens enim determinativum in casu esset extrinsecum Dei imperium supplentis ex arbitrio defectum localis applicationis.

Obiic. 3. si possibilis foret actio in distans, non rectè Theologi ex Dei omnipotentia argüerent immensitatem; quia non teneret hæc conseq. Deus ubique operatur, ergò ubique est, cum possit juxta hunc modum dicendi agens agere, ubi non est, adeoque agere ubique, & non esse ubique. Conf. hoc enim argumento non solum Theol. sed ipse etiam Apostolus ad Athenienses est usus Act. 17. *Non longè*, inquit, *abest ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus,*

mo-

movemur, & sumus. quibus verbis ex Dei in nobis operatione vitam, motum; atque esse dantis arguitur ejusdem in nobis præsentia.

Nomine Theologorum argumentum non intelligit, nisi Thomistas. Potest igitur 1. sequela admitti cum Scoto, Recentioribusque non paucis ex hoc ipso arguentibus consequentiam illam nec demonstrativam esse, nec bonam. Potest 2. negari; probatur enim adhuc immensitas ab omnipotentia, data possibilitate actionis in distans, quamvis enim possit agens operari, ubi non est, petit tamen connaturaliter operari, ubi est, & petit essentialiter posse esse, ubi operatur. Cum ergò non sit distinguere in Deo posse esse ab actu esse, si ex operatione ubique colligitur posse Deum esse ubique, & connaturaliter petere, ut sit ubique, colligitur etiam, esse necessario ubique. Fateor, in hoc discursu probari immensitatem non solùm ab omnipotentia, verùm etiam ab immutabilitate.

Ad conf. constat ex modo dictis, qua ratione omnipotentia probet immensitatem. 2. P. Vasquez putat, nec abs re, Apostolum voluisse ibi probare Dei præsentiam non physicam, sed intentionalem; cum enim vidisset aram, cui erat inscriptum, Ignoto Deo; ut ostenderet Atheniensibus Deum ignotum non esse, sed cuilibet facile ex effectibus posse innotescere, sic arguebat: In Deo vivimus, movemur, & sumus; non longè igitur abest ab unoquoque nostrûm ejus notitia; nec est difficile illius existentiam rimari, cum ex effectibus, quos in nobis experimur, naturæ ipsius ductu devenire nullo negotio possimus in primæ causæ cognitionem. Quæ expositio aptissima sanè est, & literalis.

§. III.

§. III.

Qua ratione approximatio sit in priori ad actionem, exponitur.

COmmunis est authorum sensus, agens non agere nisi approximatum, adeoque approximationem esse conditionem, quæ teneat se in priori ad actionem productivam. Hanc doctrinam primus, quod sciam, in dubium vocavit Arriaga in phys. disp. 7. sec. 6. subsec. 4. sic arguens. Ut ignis non potest calefacere passum distans, ità nec potest animal movere mobile distans. sed ut animal moveat corpus, non requiritur in priori naturæ approximatio. ergò nec requiritur, ut ignis calefaciat passum. prob. min. in priori natura ad motum mobile nullam habet localem præsentiam; quia neque habet illam, quam acquirit; aliter hæc esset in priori ad sui acquisitionem: neque habet illam, quam deperdit; aliter duplex præsentia esset simul in eodem tempore., ergò neque habet in priori approximationem, quæ consistit in duplici præsentia cum exclusione mediæ intercapedinis. Arriagam fusè impugnat Oviedus mox citandus. Equidem, quod censeo, his dictis expono.

Dico 1. approximatio negativa, explicata per meram negationem distantiæ inter agens, & passum, est conditio in priori requisita ad omnem naturalem actionem. Prob. prius natura ex dictis in l. 2. est, quidquid constituit quomodolibet potentiam proximam adæquatam actionis. atqui negativa indistantia est eiusmodi; agens enim positivè distan, à passo non intelligitur potens producere quidquam in passo. ergò hæc indistantia est natura prior omni naturali actione. Atque

in conclusionem, communemque sententiam sic intellectam non procedit argumentum Arriagæ, ut patet; animal enim, etiam dum producit præsentiam localem in mobili, intelligitur in priori negativè approximatum, seu non distans positivè à mobili.

Dico 2. agens dum in se sua efficacitate suam localem præsentiam producit, nullam localem præsentiam debet in priori natura supponere; imò nec debet hanc supponere in priori ad omnem aliam operationem immanentem. Primum facilè prob. quia non potest supponi illa præsentia, quæ producitur: neque alia, secus starent simul plures præsentiæ. Supponitur quidem alia in priori temporis, à qua determinatur agens, ut hanc potius, quam aliam præsentiam in se producat. Alterum probo in motu gravium, qui acceleratur: quod accidit, quia gravitas se auget per impulsum, qui simul cum gravitate motum efficit celeriorem. Jam ergo productio impulsus à gravitate est in priori ad præsentiam, quæ hic & nunc producitur. aliqua igitur actio immanens in priori naturæ localem præsentiam non supponit.

Dico 3. approximatio positiva consistens in duplici præsentia immediata potest tota adæquatè accepta esse in posteriori ad actionem agentis. Prob. manus dum vehementer movetur, producit impulsum & in se, & in lapide, quem tenet: nec dubium, quin impulsus sic à loco motiva productus moveat simul cum ea & manum, & lapidem. utraque ergo præsentia manus, & lapidis est posterior impulsu, eiusque productione.

Ex quo habeo contra Oviedum de Gen. Contr. 18. pun. 4. concl. 2. quod in hoc casu præsentia manus non est in priori ad præsentiam lapidis, sed sunt duo effectus simultanei, & con:

connexi ab eadem potentia, eodemque impulsu procedentes, quatenus stante manus coniunctione cum lapide, non potest una sine altero moveri. Neque valet, quod affert Oviedus, ut probet illas præsentias non se habere comitanter, quia, inquit, comitanter requiri est non requiri propriè, & per se, sed tanquam aliquid connexum cum per se requisito, ita ut si supponatur hoc non esse adhuc actio procederet. quis autem credat, sic se habere potentiam manus ad præsentiam lapidis? Contra enim est: duæ istæ præsentiæ perinde se habent in casu, ut duæ rotæ in eodem curru in ordine ad motum, quem una accipere sine altera non potest; utrobique enim sunt duo effectus connexi ab una eademque causa manantes, seseque invicem inferentes sine ulla prioritate; aliter esset mutua quædam causalitas. Jam verò ex terminis non est opus, ut quæ se habent hoc pacto comitanter, se habeant per accidens; oritur .n. hæc comitantia ex connexione, ratione cuius una præsentia produci sine altera non potest. Sed hic adverte ad vitandam fallaciam, non posse negari, quod manus ipsa ratione potentiæ loco motivæ; quam habet, sit prior motu lapidis; lapis enim movetur à manu, non è converso. quod hactenus contendi, est, præsentiam manus non esse in priori ad præsentiam lapidis, quamvis præsentia manus per se primò, præsentia lapidis per se secundò ratione connexionis producatur: qui tamen ordo non est physicus naturæ, sed intentionis.

Dico 4. præsentiam in alio corpore non potest movens producere, nisi in loco sibi proximo, & immediato. Patet; quia secus agens ageret in passum, quod in instanti actionis ab agente distaret, quod est impossibile

le per naturam. Ex quo infert Oviedus l. cit. concl. 3. mobile eo instanti, quo recipit impulsum, non posse vi eiusdem impulsus moveri; si enim tunc moveretur, separaretur ab agente, & constitueretur ab eo distans; adeoque agens tunc ageret in distans. Sed neque illatio est bona, neque illatum est verum. Non est illatio bona; quia debet distingui inter motum simpliciter, & motum separativum passi ab agente. jam verò ut probetur ab impulsu primo non posse produci motum separativum, non tamen probatur non posse omnino produci motum. Non est illatum verum; quia impulsus nunquam ponitur sine motu; producitur enim, augeturq; per motum, & rursus ipse producit, & auget motum. quare ut impulsus à corpore manet in corpus, debet prius movens (loquor de movente secundo) moveri simul cum mobili: intra quod tempus generatur impulsus, & tum etiam dum generatur, movet, motumque accelerat, ut alibi probabitur.

Dico demum 5. Ad alium quemcumque effectum, qui non sit præsentia, vel præsentiæ productivus, debet supponi positiva approximatio in priori, tanquam conditio, sine qua effectus non esset. Prob. illæ sunt conditiones in priori ad agendum requisitæ, sine quibus nec causa intelligitur potens agere, nec passum recipere. huiusmodi est approximatio positiva in iis actionibus, quarum approximatio ipsa non est effectus. ergo. prob. min. duplex illa præsentia localis immediata, in qua consistit approximatio positiva, ita comparatur ad reliquas actiones, ut si ea non esset, actiones non essent, & si actiones non essent, non ideo illa non esset. Quæ verò ab aliqua actione non pendent, & quorum defectus impedit actionem, sunt aliquo modo in priori ad actionem. tum quia

prius

prius est concipere ipsa, quam actionem. tum quia universim negatio impedimenti est in priori ad actionem, ad quam debet præintelligi causa expedita.

CAPUT IV.

An quamlibet actionem reactio comitetur.

SOlemne illud est in Philosophia principium, quod jam vulgò proverbii locum obtinuit, Omne agens agendo repatitur. atqui tale principium ut commune, ita verum, suas tamen patitur exceptiones, & ubi nulla est exceptio, non exiguas difficultates, quas oportet in præsenti discutere, & dissolvere.

§. I.

Termini explicantur, & communis Peripateticorum doctrina exponitur.

EXplicandi primo loco sunt termini ad quæstionis intelligentiam necessarii. In actione alterativa, de qua præsens quæstio procedit, plerumque habetur agens activius cum minus activo compositum, ut calidum cum frigido. utrumque agit, ut dicetur, in alterum, sed non in omnem eius partem; erit enim in igne pars distans, quæ non patitur ab aqua: & in aqua pars distans, quæ non patitur ab igne. Jam verò agens validius appellatur principale agens; & actio ipsius dicitur simpliciter actio: agens minus validum nuncupatur principale passum, & actio ipsius non

actio,

actio, sed reactio. Pars verò passi agenti vicinior, ad quam pervenit actio, pars passa: remotior, ad quam actio non pertingit, dicitur pars non passa. Pars agentis vicinior, ad quam pervenit reactio, pars repassa; remotior, ad quam non pertingit reactio, pars non repassa nuncupatur.

Jam verò ut reactionem defendant, & explicent Peripatetici veteres, ac recentes, illud primum ut indubitatum sumunt, actionem non esse nisi à proportione maioris inæqualitatis, hoc est à virtute agentis superante resistentiam passi. Ut enim in motu locali, nisi vis motiva superet resistentiam, nullus omninò habetur motus: ita & in motu alterationis, est enim universim actio victoria quædam agentis subiicientis sibi passum: debet ergo agens superare passum ut in actu, ita & in virtute, adeoque debet potentia operativa superare omninò passivam resistentiam ut actio sequatur.

Ex hoc principio est necessariò consequens, ut, si minus validum agens agit invalidius, debeat illud superare, non secundum activitatem, ut est certum. ergò secundum resistentiam. atque hinc aliter in primas qualitates distribuunt activitatem, aliter resistentiam; putant enim, quæ magis sunt activæ, minus esse resistitivas. Ita ergo qualitates per activitatem disponuntur, ut primum locum obtineat calor, secundum frigus, tertium humiditas, quartum siccitas, at per resistentiam ita disponuntur, ut primum locum habeat siccitas, secundum humiditas, tertium frigus, quartum calor. ita, inquiunt, natura compensante activitatem resistentia, & primarum qualitatum vires æquilibrante, ut æquo nim. marte pugnarent, nec eadem semper adversariæ succumberet.

Sed

Sed illud principium assumptum non esse verum, hæc ipsa consequentia demonstrat, quæ quidem infert rem manifestè absurdam, ut rectè conficit P. Maurus l. 4. qu. 34. & in terminis repugnantem, si contrariæ qualitates comparentur inter se: quæ una comparatio conducit ad rem præsentem. Calorem enim esse magis activum frigore est calorem efficacius, & citius operari, quam frigus: frigus verò esse minus activum calore est tardius, ac remissius operari. Rursus esse frigus magis resistitivum calore est magis retardare actionem caloris: calorem esse minus resistitivum frigore est minus retardare actionem frigoris. Jam verò duæ isthæc manifestè non constant, ut calor, quia magis activus, citius operetur in frigidum, & quia minus resistitivus, citius patiatur à frigido: nec ut frigus, quia minus activum, tardius operetur in calidum, & quia magis resistitivum, tardius patiatur à calido. Sic enim fieret, ut citius; & non citius, tardius, & non tardius operarentur, ac paterentur. Aliter se res habet, si comparatio instituatur non arithmetica, sed geometrica inter qualitates disparatas, ut videre est apud eundem Maurum l. cit. quam comparationem quidem mitto, cum non faciat ad rem nostram.

Sed neque principium illud est solidum, si in suis ipsis terminis consideretur; quamvis enim & activitas, & resistentia caloris superet resistentiam, & activitatem frigoris, adhuc poterit à frigore reactio manare, quia cum hac poterit adhuc intelligi excessus simpliciter caloris supra frigus; si scilicet effectus productus, & conservatus ab activitate minori frigoris eamdem proportionem servet cum effectu conservato à resistentia maiori caloris, quam servat activitas ipsa cum resi-

sten-

stentia. Et quidem resistentiæ proprium est conservare, ut contrariæ activitatis est destruere. quoties ergo plus est, quod conservatur à resistentia, quam quod destruitur ab activitate, resistentia maior est activitate; atque adeo potest salvari excessus resistentiæ supra activitatem, quamvis activitas aliquid imminuat de effectu conservato per resistentiam. & in hoc proceditur cum proportione; si enim resistentia sit duplo maior activitate, effectus conservatus erit duplò maior effectu contrario ab activitate producto: & sic de aliis proportionibus.

Exemplum virtutis motivæ, quæ debet omninò superare resistentiam mobilis, ut motus sequatur, nihil probat: id enim solum hic contendo, posse salvari excessum resistentiæ unius supra virtutem alterius cum hoc, quod virtus agat in resistentiam. cæterum quod aliqua resistentia sit talis, ut, si virtutem excedat, nullus sequatur effectus, nihil ad rem; utroque enim modo servatur excessus resistentiæ supra virtutem, sive virtus aliquid agat cum proportione explicata, sive nihil agat. Quod si petas; cur resistentia mobilis superans vim motivam impediat omninò motum, & resistentia passi superans vim activam non impediat omnino actionem? Resp. utrumque constare ab experientia, quæ & docet dari inter contraria actionem, & reactionem, ut dicetur, cum tamen fatendum sit, ubi est minor activitas, ibi esse minorem resistentiam: ex quo fit, ut activitas contrariorum sit nata agere in resistentiam etiam maiorem. oppositum docet eadem experientia in vi motiva minore comparata cum maiore resistentia. Ratio est, quia si minor vis motiva ageret, simpliciter superaret resistentiam; hæc enim nititur ad con-

ser,

servandam ubicationem, quæ non per partes, sed tota simul per quemlibet motum amittitur. Excessus autem resistentię supra virtutem cum actione huius stare, & explicari potest, ubi effectus est divisibilis: ubi verò effectus est indivisibilis, nulla potest esse actio, nisi à virtute omnino superante resistentiam.

§. II.

Resolvitur principale quæsitum, & solvuntur objectiones.

Certissimum est, non omne agens agendo repati. Deus enim agendo in creaturas nihil potest ab iis pati. Luminosum qua tale nihil patitur à sphæra. agens etiam contrarium nihil repatitur à passo, quod est intra ipsius sphæram ampliorem, sed ipsum vicissim non est intra sphæram breviorem passi. Superest igitur, ut reactio solum detur in contrariis agentibus existentibus intra sphæram mutuæ activitatis. Et hanc quidem reactionem, etiam secundum eandem contrarietatem tum Philosophi authoritas, tum experientia, tum ratio manifesta ostendit.

Arist. sanè eam docuit 1. de Gen. tex. 53. 87. & 89. & 4. de Gen. Anim. sic habet: *Omne agens patitur etiam à patiente: ut quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur: quod calefacit, refrigeratur à calescente, &c.* Profectò si duæ manus altera frigidissima, altera calidissima invicem applicentur, mutuo ad justam caloris, frigorisque temperiem se reducent. idem continget in aquis hujuscemodi, & sim. Ratio est; quia agens debitè admotum passo actionis capaci, necesse est, ut agat. atqui ita sunt invicem admota duo contraria agen-

tia

tia, quorum utrumque est intra alterius sphæram. ergò necesse est, ut utrumque agat. Et quidem mixta non aliter ex elementis consurgunt, nisi mutuo agentibus, ac reagentibus: ex qua actione, reactioneque habetur primarum qualitatum refractio, & proprium cujusque mixti temperamentum.

Obiic. 1. Calidum ut 8. dum primò applicatur frigido, agit secundum omnes gradus suæ intensionis; aliter numquam ageret toto suæ intensionis conatu. ergò nihil tum à frigido repatitur; neque enim potest aliquis gradus caloris corrumpi, cum omnes gradus caloris agunt; secus ageret gradus, qui non esset.

Arriaga, qui morulas in alteratione tuetur, ità rem componit, ut primo agens omnibus viribus agat: tum cesset ab actione, & interea repatiatur; ita ut agens, & passum, veluti Cyclopes in antro, alterna vi brachia tollant, seseque statis, ac veluti pactis vicibus impetant. Sed hoc est ludere potius, quam philosophari. Nego igitur antec. quamvis enim omne agens agat toto suæ intensionis conatu, non tamen omnem initio etiam alterationis retinet omnem intensionis gradum, quem ante alterationem habebat. Sic duo exercitus dum concurrunt, multis ipso etiam pugnæ initio utrinque cadentibus, secundum omnes vires, quas ante pugnam habuerant, non amplius certant. Accidit quidem aliquando, ut agens principale propter passi distantiam, minoremque activitatem initio nihil patiatur. saltem pars non repassa agit secundum vires nihil imminutas, repassa, non item.

Obiic. 2. ex reactione fit, ut idem eodem tempore moveatur duplici motu contrario. sequela omnibus est absurda ergo.

Prob.

Prob. sequela 1. pars agentis calidi repassa simul frigesit à passo frigido, simul calefit à parte non repassa. tum quia non repassa cum inveniat repassam dissimilem, & proximam, necesse est, ut agat ad eam assimilandam: tum quia pars non repassa agit in passum; ergò etiam in repassam intermediam.

Prob. eadem sequela 2. Supponamus, inter agens calidum, & passum frigidum mediare aerem. jam si tempore eodem frigidum in calidum, calidum agit in frigidum, & ejusmodi actiones traiiciuntur per aerem intermedium, consequens est ut medius aer eodem tempore frigefiat ab uno, & calefiat ab altero.

Nego sequelam. ad 1. prob. dico, partem non repassam nihil agere in repassam propter contrarii activitatem, quæ habet vim reagendi, adeoque imprimendi suam actionem parti repassæ, non obstante activitate partis non repassæ. Ex quo consequens est, ut pars non repassa numquam agat in repassam, donec ista est repassa, h. e, donec passum retinet vim in eam agendi: sed vi deindè passi imminuta, pars repassa & à sua substantia, & à parte non repassa ad pristinam, suamque intensionem perducitur.

Ad 1. in oppositum dicendum, quod non est satis earum partium dissimilitudo, ut una in alteram agat; obstat enim passi vis reactiva. Ad 2. partes illæ sunt unum agens, adeoque non est opus, ut una in alteram agat.

Ad 2. sequelæ probationem, quæ continet præcipuam in hac re difficultatem, & quidem satis intricatam. resp. medium dupliciter esse posse affectum vel altera tantum ex qualitatibus in summo; atque ità conjungitur cum altero ex agentibus, ut cum eo unum constituat, quod totis viribus in alterum agat in

quem

quem caſum militat prima probatio ſequelæ jam ſoluta. vel eſſe affectum utraque qualitate in gradibus remiſſis, ac temperatis; ita ut nec agenti, nec paſſo ſit ſimile: & tunc ſecundum diverſas partes ab utroque patietur, non verò ſecundum eaſdem, donec ad talem intenſionem perducatur, quæ actioni, & ſphæræ utriuſque agentis ſit proportionata; ita ut pars medi vicinior calido ſit magis calida, vicinior frigido ſit magis frigida: pars autem media, veluti in centro actionum conſtituta æquæ ſit calida, & frigida. Hoc qua ratione contingat abſque eo, quod eadem pars medii caleſiat ſimul, & frigeſiat, his lineis oſtendo.

8 8 7	6 5 Aer 4 3	2 1
Agens 1 1-1	1· 1 —— 1· 1	——
1	1-1 —— 1-1	1-1·1 Paſſum
2	2 3 Aer 4 5	6 7 8

In his linea ſuperior deſignat actionem principalis agentis calidi. inferior parallela deſignat actionem paſſi principalis frigidi. notæ numerales in ſuperiori linea deſcriptæ notant gradus caloris: deſcriptæ in inferiori notant gradus frigoris. Spatium concluſum duabus perpendicularibus eſt aer medius; qui quidem ſi ſupponatur 4. continens gradus caloris, & 4. frigoris, jam in parte proxima agenti nihil debet frigoris accipere. ergo in eam nihil reagit paſſum. in parte verò proxima paſſo nihil debet accipere caloris. ergo in eam agens nihil agit. in parte verò centrali notata num. 4. nulla ſit ab agentibus immutatio; jam enim obtinet eos gradus intenſionis, quos per utriuſque actionem deberet accipere. Hæc mihi aptior videtur nodi hujuſce ſolutio, adverſus quam non video, quid poſſit obiici, niſi illud unum, quod ſcilicet agens, & paſſum agant

in

in se mutuo, nihil agendo in medium, quia juxta hanc hypothesim neutrum agit ultra partem notatam num. 4. Ad quod dico agentia, ubi nihil de novo agunt, conservare tamen qualitatem ibi repertam: vel quod cum qualitas medii sit ejusdem planè rationis cum ea, quam deberet agens introducere, facit ut totum ex medio, & passo conflatum habeat unius passi rationem.

Finis Tomi Secundi.